ELEMENTA
LOGICÆ, ONTOLOGIÆ, PSYCHOLOGIÆ, AC THEOLOGIÆ NATURALIS

IN QUATUOR TOMOS DISTRIBUTA

TOMUS TERTIUS

CONTINENS PSYCHOLOGIAM

AUCTORE

JOANNE BAPTISTA SCARELLA
CLERICO REGULARI.

BRIXIÆ
MDCCLXIII.

Excudebat JOANNES-MARIA RIZZARDI.
SUPERIORUM PERMISSU.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

x [illegible]

[illegible]

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO
DOMINO
JOSEPHO CAPYCIO ZURLO
EPISCOPO CALVENSI

JOANNES BAPTISTA SCARELLA CL. REG.
F.

MIhi tertium hoc edituro Logicæ & Metaphysicæ volumen, in quo de Animæ humanæ natura & proprietatibus disputatur, duo præsertim veniunt in mentem, quæ me ab eodem in lucem emittendo multum deterrent: primum hujus loci difficultas, quæ talis ac tanta est, ut quamvis nihil humanæ menti sit propius quam ipsa sibi, tamen ab ejus cognitione nihil longius, quam eorum

quæ in illam conveniunt, cognitio, abesse videatur: deinde maxima copia ad speciem firmarum rationum, quæ tum veteri tum recenti memoria ab impiis adversus præcipua disputationis hujusmodi capita contradictæ fuerunt, quarum aliquas si aut prætermiseris, aut non iis quibus par est, ubertate orationis & argumentorum copia labefactaveris, in justissima caussa turpissime prævaricari, & impiorum dogmatum defensoribus subservire judiceris. Sed cum post ea, quæ in primo & in altero pollicitus sum atque recepi, rem mihi non esse integram videam, nec hoc studiosæ juventuti amplius deberi posse cognoscam, aliud nihil esse reliquum sentio, nisi ut ab alicujus præstantissimi Viri, cui illud consecrem ac dicem, auctoritate præsidium petam. Nam illustrium nomen Virorum favorem apud omnes conciliare solet operibus, si in eorum fronte apparuerit. Cum autem hos de Re Logica ac Metaphysica libros claris nostræ Congregationis Episcopis offerre decreverim, idque jam semel & iterum præstiterim, Te, ILLUSTRISSIME AC REVERENDISSIME ANTISTES, *nulla ratione præterire possum, cujus illustre nomen ter-*

tertio volumini præfixum tantum lucis eidem fore allaturum confido. Etenim recordor quæ gesseris, dum vitam degeres inter Clericos Regulares, & fama ad me detulit quæ gessisti & etiamnum geris, postquam sapientissimus & justus sapientum virorum æstimator S. Pontifex Benedictus XIV. *Tibi Episcopale munus commisit. Claustralis omni virtutum genere florens, in tribus maxime excellebas, quæ Tibi viam ad Episcopatum muniere, in doctrina, qua factum est ut Præsides nostrorum Alumnorum Institutionem in Philosophicis primum disciplinis, & deinceps in Theologicis Tibi summo cum auditorum profectu demandarent; in zelo salutis animarum, cui procurandæ Te totum devoveras, præsertim cum Neapoli Præfectus Missionum, præclaris insistens vestigiis Tui Antecessoris* Capycii Galeottæ, *quem eximia merita ad Archiepiscopalem Consentinam Sedem transtulerant, in eam incumberes curam, ut perditas mulieres a vitiis ad virtutem revocares; & in prudentia, qua nostræ Congregationis Præfecturas magna cum laude administrasti, & Consultoris munus in Comitiis*

Ge-

Generalibus omnium consensu delatum obiisti. Postquam vero tam excellens Pastoralis vitae tyrocinium posuisti in ea Congregatione, quam S. S. Pontifices tamquam praestantium Episcoporum Seminarium semper habuere, mirum videri non debet, si Te ut Antistitem numeris omnibus absolutum haec Ecclesia quae Tuae sollicitudini concredita fuit, a primis temporibus suspexerit, & in dies magis magisque suspiciat. Cunctas enim Tuae Dioecesis partes statim complexus, in eo totis viribus incubuisti, ut Clerum reformares sanctissimis institutis & legibus, & Seminarii alumnos sub idoneis morum & omnium disciplinarum Praeceptoribus in pietate & in bonarum artium ac sacrae doctrinae studiis institueres; ut meliorem Gregis portionem, sanctimoniales feminas, ad majorem in singulos dies faciendum in christianae perfectionis itinere progressum incitares; utque alias universas Tibi commissas oves, ex faucibus luporum ereptas, ad vera salutis pascua deduceres. Quae omnia eo facilius Tibi datum est obtinere, quo omnium virtutum ad quas alios adhortaris, perfectiora exempla praebuisti. Te namque mirantur orationi & piis

ope-

operibus ſedulo intentum, S. S. Litterarum, S. S. Patrum aliorumque eccleſiaſticorum Scriptorum lectioni non intermiſſam operam dantem, humilitate & charitate tantum aliis ſubmiſſum, quantum alios dignitate præſtas, & mirifice parcum in victu, quo majorem ex redditibus Eccleſiæ portionem in ſublevandis egenis & in ornandis reſtaurandiſque Templis impendas. Cujus habent lucalentiſſimos teſtes in magnifico Parochiali Templo Pignattariæ, ubi ordinariam habes ſedem, quod his paucis Tui Epiſcopatus annis a fundamentis erexiſti; & in antiquo ſubterraneo Oratorio ſub Ara Maxima Cathedralis Calvenſis, quod olim deſtinatum aſſervandis Reliquiis S. S. urbis Patronorum, & deinde temporum injuria ſitu & ſquallore obſitum, marmoreis gradibus aliiſque ornamentis ſuo priſtino ſplendori reſtituiſti; ſed multo magis in vivis templis, quales ſunt Chriſti pauperes, quorum copioſis gregibus neceſſaria alimenta quotidie ſuppeditas. Hæc & alia quæ ſilentio prætereo, quemadmodum oſtendunt Te inter præſtantiores Epiſcopos, qui Dei Eccleſiam illuſtrant, jure ac merito recenſeri oportere, ita perſpi-

ſpicuum faciunt mihi juſtiſſimam eſſe cauſſam haſce meas elucubrationes in Tuo Patrocinio collocandi, ſperandique fore ut ea res iiſdem laudi & honori futura ſit: Quamobrem Te oro atque obſecro, ut meum conſilium æqui bonique facias, & conceptam animo ſpem Tua humanitate in hoc volumine in Tuam clientelam benigne recipiendo foveas atque confirmes.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Mihi Philosophiam mathematica methodo exposituro nihil difficilius est visum, quam constituere quænam Philosophiæ partes ante alias tractandæ forent. Animadverti enim talem esse inter eas mutuam necessitudinem, ut si animum advertas ad aliqua principia unius, quibus est opus in explicandis conficiendisque aliarum enuntiationibus, primam secundis esse præponendam arbitreris; sin autem rationem habeas principiorum, quæ aliæ suppeditant ad explicationem demonstrationemque enuntiationum primæ, has easdem judices præire oportere. Observavimus jam id usuvenire in Dialecticis, quas ob aliquas rationes ex hujus methodi legibus petitas debere antevertere Ontologiam atque Psychologiam, ob alias vero indidem erutas sequi §. 71. num. 3. & seq. Log. docuimus. Idem nunc mihi accidere sentio post Dialecticam & Ontologiam aggressuro expositionem aliarum Philosophiæ disciplinarum. Nam primo Psychologiam præmitti oportere Theologiæ Naturalis suadetur ex eo quod cognitionem eorum quæ in Deum conveniunt, haurimus ex cognitione eorum quæ animæ nostræ convenire intimo sensu deprehendimus §. 112. n. 6. Log. Ex eo vero quod Physica & valde intricatior ac difficilior est præ Psychologia, & multorum opus habet apparatu experimentorum, quibus rite capiendis atque intelligendis, Psychologiæ principia circa leges quas anima in sensationibus observat, sunt necessaria, hanc eamdem prius addisci oportere colligitur. Sed cum Deus sit prima non solum substantiæ corporum & animarum, verum etiam accidentium seu virium, quibus hæ substantiæ operantur, caussa in iisdem non solum creandis, verum etiam continuate conservandis adeout nec permanere nec aliquid facere sine continnata ejusdem actione possint. §. 42. & seq. Ont. inde fit ad Psychologiæ & Physicæ enuntiationes funditus intelligendas opus esse non exigua eorum cognitione, quæ Theologia pertractat, atque idcirco hanc ante alias duas exponi debere. In his contrariis rationum momentis in eadem arbitramur nobis esse insistendum ratione quam inivimus, dum Logicam Psychologiæ præposuimus atque Ontologiæ §. 71. num. 4. Log. ut propter primas caussas, quæ movere debent quemlibet cordatum Philosophum, Psychologiam ante alias explicemus; propter vero secundas quædam ex Theologicis atque Physicis excerpta

principia, Psychologiæ enuntiationibus explicandis atque ostendendis necessaria præmittamus. Quamquam id jam præstitimus in Dialecticis atque Ontologicis, in quibus primo ostendimus existentiam entis a se, præcipua illius attributa, & quod attinet ad substantiam & vires corporum & animarum, divinæ creationis conservationisque necessitatem; deinde explicavimus quid sit vacuum, quid extensio continua, quid motus, quid tempus, quid corpus & quænam ipsius attributa & accidentia, quid demum sint corporis vires, & secundum quas leges se in corporum motu exserant. Quibus non explicatis prævidebamus futurum, ut aqua nimium sæpe nobis hæreret in declarandis conficiendisque Psychologiæ principiis: nec sine magna ratione. Nam ut silentio prætercam Theologicas disciplinas, quarum multa principia fore Psychologiæ necessaria clarius constat quam ut hic uberius exponi debeat, jam sæpe in Ontologia significavimus & præsertim §§. 31.n.5. & 251. prorsus necessarium esse tenere tum quid sit essentia corporis atque materiæ, & quænam ex illa consequantur, ut adversus Materialistas monstrare possimus animam esse incorpoream & immaterialem, præsertim cum ex falsis, tametsi communibus, Philosophantium circa hæc opinionibus quas accurate refutavimus, multa impii collegerint quæ aut in mostranda animæ spirituali natura, aut in convellendis eorum rationibus non sinebant Philosophos ad liquidam veritatem pervenire: tum quid sint vires corporum, quid attractio, quid repulsio, quid inertia, & quid leges, quas servant dum aut singula moventur, aut aliud in aliud incurrit, ut inde aliquod possimus mutuari lumen ad explicandas magis reconditas animarum vires, & leges, ex quarum præscripto vel in se ipsis, vel in corporibus quibuscum sunt copulatæ, operantur. Quæ omnia nos cuicumque probaturos confidimus; si ad Psychologiam quam aggredimur, accedat jam satis versatus in iis, quæ in duobus antegressis tomis accurate disseruimus. Nam præ nobis ferimus nos scribere non iis qui hanc aut illam quæstionem tantummodo percurrere volunt, sed iis aliis, qui quod sibi faciendum censent in libris de Geometria conscriptis, quos ob mathematicam methodum in iisdem usurpatam a principio ad finem sibi esse percurrendos censent, idem ob eamdem rationem in meis de Philosophia libris statuunt esse faciendum.

Sed hæc sint satis de via & ratione quam tenui; nunc paucis complectar quæ hic disputavi. Primum duas in partes Psychologiam dispesco, in quarum altera disputatur de iis, quæ per reflexionem & intimam conscientiam cognoscimus in anima usuvenire; in altera vero de animæ essentia, natura, attributis, acci-

cidentibus & modo, quo aut ipsa in corpore, aut corpus in ipsa operantur, sive de commercio inter animam & corpus. Siquidem ut experimenta ex quibus discimus quid in hoc mundo materiali contingat, in Physicis prius narranda sunt, quam rationes naturæ, proprietatum & accidentium corporum investigemus; ita observationes eorum, quæ in immateriali animæ mundo usuveniunt, præire debent accuratam naturæ, & mutationum animæ humanæ investigationem. Tum primam hanc Psychologiæ partem duabus sectionibus persequor, in quarum prima de iis quæ ad facultatem animæ cognoscentem pertinent, in secunda de iis quæ ad volentem, disputo. Quia vero facultas animæ cognoscens duplex est, altera partis inferioris, quæ complectitur eas ideas & cognitiones, quæ proxime pendent ab impressionibus in corpore & in cerebro, & excitantur in anima statim ac aliquæ exsistunt in corpore propagatæ usque ad cerebrum impressiones; altera superioris quæ complectitur eas ideas, quæ pendent a reflexione & ab attentione animæ ad ideas per sensus excitatas; idcirco capite primo explicare aggredior facultatem animæ cognoscentem partis inferioris, & ejus priore articulo præter observationes, quas in Logica §. 250. & seq. circa sensationes & imaginationem exposui, alias hic addo excerptas præsertim ex Wolphio, & ex Hartleyo, circa memoriam ejusque leges, circaque statum vigiliæ, somni, & somnii; secundo autem articulo nonnulla statuo circa sensus & imaginationem, & præsertim explico qua de caussa fiat ut vel in somnio res absentes appareant tamquam præsentes, quam repeto ex eo quia quemadmodum abeuntibus sensationibus fortioribus sensationes debiliores quæ ante aut non percipiebantur aut valde obscure, apparere & percipi incipiunt; ita cum in somno sensationes rerum præsentium cessent, impressiones debiliores in cerebro factæ per solam imaginationis legem valde clariores evadere, & ab anima minime distracta a sensationibus fortioribus valde clarius percipi debent: vel in vigilia in furiosis aut in mulierculis contemplationi deditis idem contingat: denique articulo tertio celebrem tracto quæstionem de perenni animæ cogitatione. Quamvis enim assentior Lochio exsistimanti ideas & appetitiones in anima esse accidentia, quemadmodum vires motrices & motus inde profecti ad essentiam corporum accidunt §. 48. Ont. tamen tantum abesse doceo ut inde efficiatur animam esse aliquando cogitationis expertem, ut potius aliquibus semper ideis eam informari indidem eliciam. Nam sicuti in toto mundo sunt perpetuo aliqui motus & vires, eo quod sine intermissione præsto sunt aliquæ caussæ a quibus gignuntur, adeout neque in gravitate, neque in vi-

viribus attractricibus secundum veram multorum sententiam umquam ad perfectum perveniatur æquilibrium, in quo non solus motus, sed etiam vis motrix secundum nostram evidentibus confectam rationibus protsus extinguitur §. 260. & seq. Ont. ita in anima nostra esse perpetuo ideas & appetitiones viresque iisdem generandis idoneas ex eo suadeo, quod præsto sunt perpetuæ caussæ, quibus eædem gignuntur. Nam & universe constat corporis humani utpote viventis omnes interiores partes continuatis insitis viribus atque motibus cieri, & peculiariter liquet mollem cerebri substantiam continenter agitari præsertim ubi eam acquisivit facilitatem, qua fit, ut renovata quadam ejusdem commotione & vestigio alia cum eadem copulata restaurentur, hisque aliis restauratis alia etiam cum iisdem conjuncta renoventur. Nec ullam esse rationem adjungo quæ suadeat eas commotiones in somno cessare, in quo tantum abest ut minuantur, ut etiam tanto majores evadant, quantum ostendit omnium experientia dormientium, qui sibi persæpe conscii sunt solis cerebri impressionibus perinde se affici, ac si forent res, quæ in sensus externos incurrerent. Rationes in contrariam partem allatas a Lochio sic refuto, ut mihi videat & iis cumulate satisfacere, & leges imaginationis atque memoriæ ponere in luce majori. Propono alias in scholio sequenti ex Anatome petitas, & ex ejusdem principiis refuto.

Caput secundum, in quo de facultate cognoscente partis superioris differitur, tres complectitur articulos, in quorum primo positis iis quæ de facultatibus partis superioris expendimus in Logica §. 112, definio quænam sit hujus facultatis subjecta materies, hocque definito inquiro in discrimen inter animam ratione utentem, qualis est humana, & inter animam illius expertem, qualis est belluarum: cujus discriminis explicatione nihil mihi difficilius videtur in tota Philosophia. Cum enim in utraque sit eadem per sensus & imaginationem percipiendi res extensas, & singulares facultas, & ex iisdem suas omnes ideas utraque hauriat; quid est proprii in anima, quo fit proxime potens a cognitionibus rerum singularium & corporearum gradum faciendi ad universalium & spiritalium cognitiones, in quorum usu præcipue vis ratiocinandi & rationis usus positus est? Quo loco adverto plures existimare belluarum animas virtute reflectendi ad suas sensationum ideas carere, qua seposita facile est intelligere, cur nec aliquid spiritale cognoscant §. 112. num. 6. Log., nec in pluribus ideis advertere possint ad id, in quo sunt similes, non consideratis iis aliis, in quibus differunt, & idcirco cur nequeant

queant ideas indeterminatas & universales formare. Verum doceo nimis esse alienum a ratione belluis negare cognitionem reflexam tum ob illa quæ hic differimus, tum ob illa, quæ acute differit Wolphius, dum §. 751. Psychologiæ Rationalis pluribus suadet animas belluarum suimetipsius esse conscias. Deinde expono ejusdem Wolphii sententiam, qui putat animas bestiarum rationales non esse, & universalibus ideis formandis minime accommodatas, eoquod usu sermonis destituuntur, atque ad id suadendum longum affero ipsius locum excerptum ex §. 461. Psych. Rat. quo docet tum rationibus tum pluribus historiis neque ipsosmet homines usum comparare rationis, si sermonis careant usu, aut quia in sylvis ab infantia enutriti fuerunt longe ab hominum consuetudine, aut quia surdi & muti nati fuerunt. Sed quæstioni a me propositæ hoc pacto non satisfieri colligo ex eo quod cum aliquæ belluæ, uti canes & psittaci, qui hominum consuetudine utuntur, organa habeant vocibus efferendis non inepta, quemadmodum idem Wolphius suadet de canibus, & quotidiana experientia planum facit de psittacis, inquirendum restat qua fiat de caussa ut homines aliorum consuetudine utentes loquendi habitum & illius adminiculo usum rationis paucis annis acquirant, belluæ vero, etiamsi quis eas per plures annos instruat, acquirere nequeant, & manifestum fit rationem non a solo corpore, sed ab ipsamet anima accersiri oportere. Rebus omnes in partes versatis nihil mihi ad verum propius accedere visum est, quam hujus discriminis rationem ab ea repetere differentia, quam inter has animas omnes agnoscunt cordati Philosophi, qui ad suam conscientiam & ad ea quæ in belluarum actionibus observantur, animum attenderunt. Nam anima prædita libera facultate suam attentionem ad quamcumque rem velit dirigendi, & in una potius quam in alia ex iis quæ simul eidem repræsentantur, suam attentionem defigendi, potest hujus attentionis auxilio prius rerum singularium signa seu vocabula ediscere; postquam vero edidicit plures rerum singularium voces cum suis ideis conjungere, & aliquantulum adolevit, ejusdem ope quit inter ea quæ in pluribus rebus similia sunt, interque illa quæ dissimilia, distinguere & notare vocabulo similibus explicandis idoneo, quorum vocabulorum usum ex Wolphio & ex §. 149. Log. compertum fit adeo necessarium esse ad ideas universales & indeterminatas retinendas, & quando opus est, iterum excitandas. Anima vero belluarum hac destituta facultate suam attentionem ad res pro libito dirigendi, & ad unam tantum objecti partem convertendi, non ad alias, quamvis idea totius simul pulsetur, perpetuo distrahitur ab ea parte ideæ quæ exhibet dif-

differentias rerum singularum, & ab aliis etiam continuate incurrentibus, & ab iisdem non pro suo nutu, sed ex necessitate, prout fortiores sunt, abripitur, impediturque ne in illa ideæ parte, quæ exhibet id in quo plura conveniunt, tanto immoretur tempore, quantum est necessarium ad ideam indeterminatam atque universalem inde eruendam: id quod confirmo ex statu dormientis, in quo anima humana quamvis facultatem ratiocinandi jam acquisierit, tamen raro in suis cognitionibus rationis sequitur ductum, & sæpissime ab omni rationis regula aberrat ob eamdem hanc caussam, quia cum expeditum libertatis usum in eo statu non habeat, ab incurrentibus undique ideis, prout fortiores sunt, & fortuito aliæ aliis succedunt, perpetuo hac illac sine ulla lege pertrahitur, & gradum alicubi sistere prohibetur. Una gravissima quæ toti huic quæstioni magnas offundit tenebras, restaret difficultas, nisi illa mea §. 56. Log. doctrina de ratiociniis singularibus, quæ prævertunt universalia, mihi viam jamdiu muniissem ad solutionem ejusdem, dum hic doceo, quemadmodum in belluis sunt tantum ideæ singulares & judicia pariter singularia, ita similiter ratiocinationes tantum singulares haberi, quæ certe ad multas ipsarum operationes explicandas sunt satis, non item vero ad comparandum illum qui est in hominibus, rationis usum. Quoniam vero cum hac quæstione necessitudinem habent, quæ Helvetius in pernicioso & merito diris devoto libro, qui inscribitur *l'Esprit*, sermone primo disserit, hominis sententiam hic paucis expono & refuto, uberius in utroque versaturus in fine Psychologiæ.

Sequitur articulus secundus, in quo differens de memoria intellectuali deque scientiarum habitibus, illud statuo vere & proprie exsistere in anima facilitatem reproducendi ideas aliquas universales & indeterminatas tamquam accidens quod in ea sit, tametsi etiam vestigia & dispositio cerebri ad eamdem facilitatem sint necessaria, quamdiu anima corpori jungitur; idque conficio ratione quæ mihi clara & efficax esse videtur, ducta ex eo, quod altera ex parte homines vere & proprie acquirunt facilitatem alii præ aliis majorem aut minorem reproducendi & recognoscendi ideas universales, vel simplices, quas ante habuerunt, statim ac individuum aliquod sub universalibus contentum, quodque simplicia in se continet, vel vocabulum aliquod universalibus significandis ab hominibus destinatum in sensus externos vel in imaginationem incurrunt; & ex altera hæc facilitas vere & proprie in anima esse debet, quia per impressionem in sensibus aut in imaginatione sive in cerebro factam non reproducuntur, nisi ideæ rerum singularium & compositarum. Præcipuam difficultatem depromtam ex eo quod ani-

anima, ut pote simplex, non potest plura eodem tempore complecti, quemadmodum necesse est ad habitum integræ scientiæ comparandum, solvo quadam doctrina, quæ in multis de animæ natura quæstionibus multum habet momenti, in eo posita, quod anima non est percipienda ita simplex ut punctum inextensum, quemadmodum ab aliquibus idea prorsus fallaci percipitur, carens omnibus partibus etiam potentia & virtute distinctis, quia tunc non esset substantia sed modus; verum intelligenda est ita simplex uti est corpusculum primitivum, quia quemadmodum hoc excludit quidem partes distinctione reali maxima distinctas, sed plures, immo infinitas habet potentia, ita anima quæ est valde perfectior corpore, ipsa in se quamvis extensione carens, multo plura quam corpus, non tamen distinctione reali maxima distincta contineat & omnes corporum perfectiones sua virtute superet necesse est.

Restat articulus tertius, in quo rationibus ab experientia ductis statuo animam in ideis partis inferioris pati, in cognitionibus vero superioris agere, & paucis me expedio, quia quæstionem hanc in consequentibus uberrime tracto adversus plurimos ex Recentioribus, qui cogitationem cum animæ essentia necessario conjunctam esse contendunt. In longo sequenti scholio adversus quosdam auctores memoratos in adnotationibus ad Prælect. Acad. Boeravii pluribus doceo animam nostram eodem prorsus tempore pluribus affici ideis, & plura non solum directe, verum etiam reflexe cognoscere. Sed cum objici possit illa Hartleyi doctrina qui vult omnes quidem complexas etiam intellectuales ideas compositas esse ex pluribus ideis sensationum, & imaginationum, sed quæ in unam coeant, quemadmodum ex septem sensationibus septem colorum in rota celeriter circumacta seorsim depinctorum generatur unica tantum coloris albi sensatio; & quemadmodum in medicinis valde compositis proprii evanescunt sapores singulorum aromatum, atque exsistit sapor quidam proprius, qui originarius esse videtur & simplex, & similis sapori corporum naturalium; quique ob hanc caussam contendit sperari posse fore ut si conjunctionis idearum doctrinam persequamur ac perficiamus, aliquando possimus omnem hanc immanem copiam idearum, quæ reflexionis nomine intelliguntur, ac intellectuales ideæ vocantur, resolvere in ideas sensationum, quæ ipsis occasionem præbuerunt: ad hæc diluenda adverto doctrinam hanc quæ fucum facere potest iis tantum qui rem penitus non inspiciunt, cadere solum in eas quæ & sunt ejusdem speciei & solum intensione differunt, & diversæ gignuntur pro diversa impressione quæ in sensibus fit, ut accidit in coloribus, in saporibus, & in sonis; non autem in illas quæ

sunt

sunt diversæ speciei, tametsi eodem tempore excitentur, & ad eumdem sensum pertineant. Nam si quo tempore colorem ex. g. rubrum video, vocem audiam alterius loquentis, cibum degustem, odorem naribus percipiam, & manu frigidum corpus contrectem, sensationem rubri coloris ne tantillum quidem ab his omnibus sensationibus, aut aliam quamdam ab aliis, quæ synchronæ sunt, variari comperio. Immo ne in impressionibus quidem ejusdem sensus, si modo sint diversæ speciei, id possum animadvertere. Nam sensatio rubri coloris eadem profecto est, cujuscumque figuræ sensationem eodem tempore habeam, ut colligitur ex eo, quod sensatio illius eadem manet, sive corpus rubro colore tinctum sit rotundæ figuræ, sive quadratæ, sive alterius cujuslibet. Sed quod maxime est attendendum, ne in iis quidem, quæ sunt ejusdem speciei, id universe contingit, si rerum quæ repræsentantur, natura non patiatur, ut in unam ex pluribus compositam coalescant. Nam ex. g. sensatio in anima impressa figuræ circularis ne minimam quidem subit mutationem ex eo quod eodem tempore sensatione afficiar quadratæ circulo inscriptæ aut circumscriptæ. Ex quibus colligo mihi videri me præclusisse viam quam sibi hic auctor munivit ad evertendas animæ immaterialitatem & libertatem, & ad inducendam fatalem in ipsius actionibus necessitatem. Dum enim hæc totis viribus conatur statuere, cuniculis oppugnat eam animæ facultatem, quam deinceps aperte aggreditur in altera libri parte, quam bono sane consilio interpretem resecuisse jam notavimus. Immo sub scholii finem adverto me in hac animæ facultate habendi simul plures sensationes & ideas non solum diversas, verum etiam contrarias, positurum esse non leve fundamentum pro statuenda animæ incorporea & immateriali natura.

Quibus disputatis transeo ad sectionem secundam, in qua disputans de facultate animæ volente, capite primo eam distribuo in facultatem volentem partis inferioris, quæ appetit aut aversatur res, quatenus bonæ aut malæ apparent ope cognitionum partis pariter inferioris cognoscendi, & in volentem superioris quæ similiter appetit aut aversatur res quatenus bonæ aut malæ apparent adminiculo cognitionum ejusdem partis superioris cognoscendi; varias distinguo appetituum & aversationum tum sensitivarum sive partis inferioris, tum rationalium sive superioris species, & contrarias quæ inde exsistunt, appetitiones & declinationes bellumque indidem ortum paci hominis ejusque absolutæ in hac vita felicitati adversarium describo. Cujus intestini inter animæ appetitus, dum hanc degimus vitam, belli originem in scholio adnexo moneo nos ex divina revelatione didicisse esse originale peccatum, quod

in Adamo illud primum inobedientiæ peccatum libere perpetrante totam humanam naturam quæ a Deo perfecta & suis omnibus absoluta numeris fuit procreata, depravavit. Quod cum antiqui Philosophi ignorarent, & arbitrarentur hanc naturam talem nunc esse, qualis optimi Opificis manibus fuerat elaborata, caussam fuisse addo, cur putarint quod verissimum est, eam ab omnipotenti & beneficentissimo Deo in eum finem fuisse creatam, ut beata fieret summumque bonum consequeretur, & inde quod a veritate quammaxime abhorret, eum posse perfecta beatitudine & summo bono potiri, dum in hac vita morti obnoxia versatur: indeque factum fuisse ut in irritum conarentur, dum maxima contentione investigarent & quærerent, quodnam esset summum bonum, sive ultimus bonorum & malorum finis, in cujus assecutione præsens beatitudo posita foret; atque moneo summis ingeniis, maximis studiis aliud nihil præstitisse, nisi ut se inextricabilibus implicarent difficultatibus: id quod ostendo de Aristonis discipulis, de Cirenaicis, Epicureis, Aristotelæis, atque Zenonicis, & quasi manu tangi posse declaro, si quis attente legat quinque de finibus bonorum & malorum libros, quibus omnium Philosophorum de hac re sententias Cicero diligentissime persecutus est. In hoc eodem scholio cuassas investigo, cur positis quibusdam in corpore impressionibus sensatio voluptatis aut jucunditatis in anima excitetur, aliis vero positis sensatio doloris & tædii. Cum autem internæ esse nequeant, propterea quod motus corporis esse non possunt caussæ effectrices sensationum animæ, extrinsecus illas ascisco in eo positas, quod universe dici potest Deum hanc sibi legem sanxisse, ut cum iis corporum externorum impressionibus, quæ corporeæ vitæ conservationi prosunt, sensationes gratas atque jucundas, cum iis vero quæ vitæ & integritati corporis obsunt, molestas & ingratas conjungeret in eum sapientissimum finem, ut anima primis admonita corpori procuret ea quæ illi conservando necessaria sunt, a secundis sollicitata caveat ab iis quæ nocent. Id quod idoneis exemplis declaro. Hoc vero quod sensationibus acquiruntur ideæ rerum, adverto animam spiritualiorem quamdam subtilioremque percipere voluptatem, quæ in eo sita est quod cum cognitio veri sit intellectus perfectio, inde anima se trahi experitur ad quamplurimas rerum cognitiones acquirendas, atque ad se in iisdem tamquam in aliquo bono ac perfectione oblectandam.

Aliis nonnullis animadversis, venio ad animæ humanæ libertatem, quam expendo capite secundo, copiosius de eadem in Theologia Naturali disputaturus. Hic enim tum ex constanti & per-

petuo omnium hominum, intimo sensu, qui se liberos esse in quamplurimis eligendis sibi conscii sunt, tum ex divina bonitate, quæ in hujusmodi rebus nobis tali ratione exploratis fallere nequit, primum colligo animam humanam libertate indifferentiæ gaudere. Nam constantem & universalem experientiam quam omnes cujuscumque status nationis & ætatis homines de sua in appetendo libertate habent, ipsam per se non esse satis ad libertatem eorumdem extra omne dubium ponendam colligi potest ex iis, quæ in Logica §. 222. disputavimus de rebus physice certis uti de corporum exsistentia, sed esse confugiendum ad bonitatem Dei, qui cum animas a se creatas fallere nequeat, non potuit hanc libertatis in appetendo universalem in omnibus hominibus experientiam sive sensationem excitare, quin ea libertate revera fruantur, quemadmodum ob eamdem caussam non potuit corporum sensationes in iisdem efficere, quin revera corpora exsistant. Ad rationes a Collinio, & ab aliis humanæ libertatis hostibus propositas respondeo ipsum absolutum voluntatis actum effici quidem a Deo adeout necessario exsistere debeat, sed directionem ejusdem ab animæ libertate pendere: cum vero urgeant esse debere sufficientem rationem cur anima humana se ad hoc potius particulare bonum dirigat, quam ad aliud quodcumque, quæ in eo posita est ut sit major ratio pro ea parte ad quam se convertit, primum refello eorum systema, qui volunt animam se aliquando determinare ad alterutrum eorum, quorum neutrum majorem aliquam habet rationem, propterea quod Deus nequiret certo prævidere futuras liberas animæ appetitiones, & ajo semper quidem hanc esse majorem rationem pro ea parte, quam eligit, sed ab eadem animam certo determinari, non autem necessario: cumque instent hanc majorem rationem debere ex nostra sententia relinquere animam adhuc indifferentem pro utraque parte, ne libertatem evertat, atque idcirco non posse Deum in eadem prænoscere futuras liberas animæ appetitiones; id quidem assentior, sed ita ut anima sit minus indifferens ad eam partem, quæ majori utitur sufficienti ratione, quam ad contrariam. Tum caput concludimus nonnullis quæ pertinent ad fines quos sibi anima in appetendo proponit, & deinde transimus ad caput tertium, in quo agimus de animæ imperio in corporis motus, atque statuimus animam esse caussam aliquorum corporis motuum, quemadmodum & quædam corporis motiones sunt caussa quarumdam animæ sensationum. Cum autem Leibnitius statuat omnes corporis humani motus naturales esse & solis ipsius & aliorum mundi corporum, quibus humanum circumdatur, viribus absolvi, & nulla ratione

ab

ab animæ arbitrio pendere, nos hic paucis ostendimus aliquos in corpore ad animæ nutum exsistere motus, quorum sufficiens caussa nec in corpore humano nec in aliis, quæ circumfusa sunt, reperitur, fusius & accuratius idem ostensuri, cum systema Leibnitii circa commercium inter animam & corpus resurabimus. Cum vero instent animam esse non posse nec caussam efficientem motuum corporis, quemadmodum nec corpus esse potest sensationum animæ, ut in Ontologia docuimus §. 254.; nec occasionalem, quia si anima foret caussa occasionalis motuum corporis & ideo etiam corpus sensationum animæ, Deusque foret utrorumque efficiens, idem Deus esset auctor peccati ut pote vera caussa quorumdam malorum corporis motuum, & pravarum animæ sensationum, eademque, quod maxime attendendum est, prævertens liberum voluntatis actum, cui idcirco eædem pravæ motiones sensationesque acceptæ ferri non possunt; hanc gravissimam difficultatem quæ ab amplexando vero caussarum occasionalium systemate etiamnum plures catholicos viros deterruit, facile solvo, dum adverto pravas hasce motiones sensationesque prævertere quidem liberas filiorum Adæ appetitiones, non autem ipsius Protoparentis, qui, cum Deus ita hominem creasset rectum & summa pace inter sensuales & rationales appetitus & aversationes utentem §. 53. ut ob legem commercii inter animam & corpus ab ipso statutam non deberet occasione idearum & appetituum animæ nisi bonos motus in corpore efficere, & occasione motuum corporis nisi bonas sensationes in anima generare, libero donatus arbitrio sua sponte hanc pacem corrupit, & naturam humanam non solum in se ipso, sed etiam in suis posteris depravavit. Ex quo colligo, si occasione quorumdam corporis motuum Deus in anima excitat pravas aliquas sensationes, id esse vitio vertendum Adæ peccato, quod caussa fuit ut tota humana natura corrumperetur, non Deo, quem ajo easdem excitare non quatenus pravæ sunt & a sua lege dissentiunt, sed quatenus naturales & absolute ac in se considerantur; idque declaro celebri S. Thomæ similitudine tibiæ curvæ, quæ idonea quidem est pro statu naturæ corruptæ, non autem pro statu integræ & innocentis, tametsi ejusdem discipuli ad hunc quoque alterum eam pertinere velint. In adnexo scholio quædam solvo objecta quæ adversus hanc nostram sententiam ex intimiori Theologia depromi possunt, & ex saniori Theologorum opinione circa statum naturæ puræ quædam constituo. Cum autem ex altera parte alii exoriantur Philosophi, qui non solum aliquos, ut hactenus docui, verum etiam omnes humani corporis motus ab anima pendere volunt, ex an-

 ctore

ctore adnotationum ad Prælectiones Academicas Boeravii eorum sententiam & rationes quibus nituntur, expono, & ejusdem auctoris rationes & meas etiam ad hos refellendos propono.

Sed jam ingredimur alteram Psychologiæ partem, & examinare aggredimur essentiam animæ, attributa, accidentia, & commercium inter animam & corpus. Caput primum destinamus examini essentiæ & attributorum animæ, tametsi etiam nonnulla disputabimus de ipsius accidentibus. Articulo primo tamquam principii loco statuimus animam esse unam simplicemque substantiam, idque evidenter colligimus tum ex intimo sensu, quo quisque sibi conscius est se esse unum & eumdem qui oculis videt, qui tactu sentit, qui auribus audit, qui percipit simplicia & universalia, qui advertit ad se ipsum, & ad suas ideas, qui judicat, qui ratiocinatur, qui alia vult, alia aversatur; tum ex eo quod sensationes, ideæ, appetitiones & aversationes sunt animæ mutationes, vim aliquam postulantes absolutam, quæque idcirco a partium animæ, si quæ fuerint, conjunctione, ut pote aliquo relativo, pendere non potest, sed in singulis partibus aut in aliqua earum seorsim, quin conjunctione sit opus, reperiatur necesse est §. 173. Ont. Prima objectorum series destinatur iis solvendis, quæ disputat Lochius, ut huic clarissimæ veritati tenebras offundat; secunda autem illi gravissimæ difficultati, quam idem auctor aliique repetunt ex eo quod anima eodem tempore afficitur sensationibus contrariis, ut coloris albi & nigri, doloris ob vulnus & voluptatis ob esum cibi dulcis: ad cujus communem solutionem ex eo ductam quod anima est quidem reipsa una & simplex, sed virtute multis æquivalet, cum opponant Materialistæ hanc distinctionem intelligi clare non posse, & sine ratione excogitatam fuisse a Scholasticis in eum finem defendendi animæ simplicitatem adversus clarissima argumenta contraria; adverto nos hujus virtualis multiplicitatis, quam Peripatetici in scholas induxerunt sine clara ejusdem notione, clarissimum habere exemplum in uno extenso continuo, quod est quidem omnino unum & simplex ut docui §. 78. Ont. sed virtute æquivalet multis, quia potest esse æquale duobus, tribus, quatuor &c. §. 84. Ont. atque ex virtuali multiplicitate fit ut plura suscipere possit contraria, ex. gr. in una sui potentiali parte tangi ab uno corpusculo, in alia non tangi, aut tangi ab alio quocumque. Cum vero ad hæc urgeatur, sicut corpusculum primitivum tametsi virtute multiplex non potest eodem tempore habere diversa accidentia, ut vim sursum, & vim deorsum, ita animam, etsi virtute multiplicem, tamen non posse habere diversas sensationes, quæ sunt ipsius accidentia; illud in-

inter animæ & corporis mutationes affero discrimen, in quo ad naturam animæ funditus intelligendam multum esse momenti in consequentibus observabo, in eo positum quod in corpore percito aliqua vi intelligitur una mutatio exterior & exterioris relationis contactus ad alia corpora circumfusa; at in anima ipsius vires intrinsecus agunt, & mutationes sunt interiores. Ex quo colligo propositæ difficultatis solutionem, & aio, quemadmodum quia ex altera parte corpus est virtute multiplex, & ex altera ipsius mutationes sunt externæ, plures eodem tempore esse queunt hujusmodi externæ mutationes; ita quia ex altera parte anima est pariter virtute multiplex & ex altera ipsius mutationes sunt ipsi interiores, plures pariter eodem instanti esse posse in anima hujusmodi interiores mutationes.

Sequitur articulus secundus, in quo quia mihi magna luctatio est cum clarissimis hujus ætatis Philosophis, vires ingenii contendo, viresque cogitandi & appetendi non esse cum anima humana necessario conjunctas tamquam ipsius essentialia aut attributa, sed esse ejusdem accidentia adeout possit anima permanere non solum sine ulla cogitatione & appetitu, verum etiam sine viribus cogitandi & appetendi, conficio illa eadem ratione quam in Ont. §. 42. & seq. usurpavi, in eo posita, quod nulla determinata cognitio est animæ necessaria, & anima ex sui natura indifferens est ut ab idea, cogitatione & appetitione, quibus percellitur, tam migret ad has talis naturæ & qualitatis, quam ad alias alius prorsus naturæ & qualitatis, quam hic latius explico & vindico ab objectis adversariorum in prima serie rationum, quas in contrarium produco. Nam si ad eum finem ut falsas & commentitias non modo Peripateticorum, verum etiam Recentiorum Philosophorum circa metaphysicas quæstiones ideas corrigere possemus, umquam necessarium fuit restaurare Physicam, in multis autem necessarium fuisse jam docuimus in Ontologia, §. 31. n. 5. maxime fuit in hac disputatione de viribus cogitandi deque earum cum animæ substantia connexione. Cum enim Philosophi ex altera parte observassent figuras in corporibus perpetuo mutari, & ex altera ex natura extensi finiti aliquam figuram esse prorsus necessariam in corpore ratione collegissent; inde intulerunt principium hoc, fieri posse ut unum ex pluribus indeterminate sit omnino necessarium & cum substantia rei necessario cohærens & ideo substantiale, tametsi nullum determinate necessarium sit: idemque non solum aliqui ex Aristotelæis, verum & quidam Recentiores, uti auctor libri inscripti, *Traité de l' ame & de l' origine de ses connoissances*, cujus rationes hic diluimus, ad hanc transtulere quæstio-

ſtionem, & quamvis alias atque alias diverſæ naturæ cogitationes ideoque etiam vires iis gignendis idoneas ſibi viciſſim in anima ſuccedere obſervarent, tamen hoc freti principio aliquam cogitandi vim & cogitationem indeterminate cum animæ ſubſtantia neceſſario cohærere affirmarunt. Verum ex iis quæ in Ontologia §. 235. ſtatuimus, manifeſte patet ea omnia, ſine quibus corpuſcula primitiva reipſa exſtare nequeunt, ita eſſe determinate neceſſaria, ut poſtquam in ſtatu exſiſtentiæ cum iiſdem conjuncta ſunt, amplius vere & intrinſecus variari non poſſint. Nam ſubſtantia extenſa, qualis eſt quodlibet ex primitivis corpuſculis, reapſe nequit exſiſtere niſi cum determinatis magnitudine, figura & denſitate, quæ tria eſſe in corpuſculo immutabilia enucleate docuimus, adeout ſine corruptione totius corpuſculi & in nihilum reditu aliæ in eodem magnitudo, figura & denſitas eſſe nequeant. Cum autem obſervemus vim motricem in corpore talis eſſe naturæ, ut poſtquam vim habuit aliquam verſus plagam, poſſit eam amittere, & vim acquirere verſus contrariam, inde non minus, quam ex ratione expoſita in Ontologia §. 42. colligere poſſumus vim motricem eſſe talis naturæ, ut corpus ſine omni vi motrice conſtare poſſit, ideoque vis motrix ad illius ſubſtantiam accidat. Ex quibus efficio, ſi vis cogitandi & cogitatio inde profecta cum animæ ſubſtantia exſiſtenti forent neceſſario copulatæ, tamquam ſubſtantialis ipſius differentia & determinatio; non aliquæ indeterminate vis & cogitatio, ſed aliquæ determinate neceſſariæ forent, adeout poſtquam anima cum tali vi cogitandi & cogitatione in ſtatu exſiſtentiæ conjuncta eſt, ſine iis amplius perſeverare nequiret. Quod cum falſum eſſe oſtendamus, manifeſtum eſt vim cogitandi & cogitationem eſſe accidentia, ſine quibus animæ ſubſtantia conſtare quit. In ſecunda objectorum ſerie propono difficultatem petitam ex ſententia Leibnitii & Wolphii, qui volunt proprium ſubſtantiæ caracterem eſſe vim agendi, eamque confirmo ex eo, quod anonymus ſupra citatus ſaltem vim cognoſcendi ſe ipſam vult eſſe animæ eſſentialem, & in eadem invariabilem: quam difficultatem ſolvo docendo vim agendi eſſe ſolius ſubſtantiæ a ſe caracterem; confirmationem autem monſtrando non eſſe in anima ſuimetipſius cognitionem, niſi poſtquam ope ſenſuum aliqua in ipſa notio excitata eſt, atque ad eamdem ipſa reflectens cognovit ſe cognoſcere, ideoque exſiſtere tamquam cognoſcentem ſubſtantiam. In tertia objectorum ſerie ad eadem ſolvenda primum doceo cogitationem eſſe quidem ſemper in anima, ſed tamquam accidens perpetuum, ut attractio eſt accidens perpetuum materiæ molecularum; ſecundo differentiam inter actiones corporis & animæ non eſſe poſitam

in

in eo quod vis corporis sit accidentalis, animæ vero essentialis; sed in eo, quod vis corporis, extrinsecus a Deo creata, est ad unum tantum determinata, substantiæ autem vis a Deo creatæ directio ad bonum potius verum, quam ad apparens, ab anima pendet; tertio denique ad animæ libertatem in suis appetitionibus non esse necessarium ut vis appetendi sit essentialis, cum certum sit vim a gratia supernaturali pendentem ad animæ substantiam accidere, & nihilominus ea vi libertatem animæ nequaquam auferri: ut mittam ad animæ libertatem vim essentialem nihil magis conferre quam accidentalem, propterea quod esset hoc unum discrimen, quod vis essentialis a Deo crearetur atque conservaretur eadem actione, qua creatur conservaturque substantia, accidentalis autem diversa. In adnexo scholio num 3. refero aliam rationem, qua supra laudatus auctor contendit efficere ad animæ essentiam pertinere cogitationem; petitam ex eo quod corpus quidem sine motu intelligi potest quid sit, substantia nempe ex pluribus, impenetrabilibus contexta partibus; animæ vero essentia si per aliquod tempus sine ulla cogitatione permaneat, in quo posita sit nullo pacto intelligi potest. Si enim dixeris esse substantiam cogitare potentem, non percipies quid sit hæc cogitandi facultas, quæ interdum otiatur, & quomodo cum animæ essentia conjungatur, indeque colliges hanc facultatem esse qualitatem occultam Peripateticorum. Dum his occurro, planum facio quod mihi erit usui cum Materialistis in posterum congressuro, animæ notionem non minus esse ajentem quam corporis, eoquod docemus animam ita esse in loco extenso, ut tota sit in singulis ejusdem partibus, contraquam in corpore usuvenit, quod ita est in loco extenso, ut singulis suis potentialibus partibus singulas loci extensi partes contingat.

Aliis nonnullis de medio sublatis difficultatibus, transeo ad articulum tertium, in quo paucis dissero de differentia animarum, & de tempore quo anima corpori infunditur. Quod attinet ad primum, in tribus animas inter se posse differre observamus, primo in ipsamet substantia, quia quamvis Cl. Alembertus aliique arbitrentur nulla ratione intelligi posse, quomodo substantiæ omnino simplices & ex nullis distinctis partibus coalitæ inter se substantialiter discrepare possint, id saltem universe colligi quit ex iis tribus substantialibus differentiis, quas in corpusculis primitivis prorsus simplicibus in antecessum ostendimus, & ex ea præsertim quæ posita est in majori vel minori primitiva densitate, quam in infinitum variabilem adversus communem Philosophorum sententiam corpuscula habere posse evidenter confecimus. Quemad-

mo-

modum enim corpuſcula inter ſe differre poſſunt primum figura; quæ eſt varia extenſionis diſpoſitio, deinde magnitudine, quæ eſt major vel minor ejuſdem extenſionis participatio, tum in denſitate, quæ eſt major vel minor ejuſdem intenſio; ſic adverto quod pro conjectura tantum propono, dici poſſe animas alias aliter eſſe intrinſecus diſpoſitas, alias alii reſpondere loco ea ratione quam ſupra explicavimus, & alias alius eſſe intenſionis in eodem loco, cui reſpondent. Alteram differentiam eſſe poſſe docemus in viribus internis cogitandi, quas Deus in iiſdem creat, alias in aliis animis majores & perfectiores, cujus creationis ratio eſſe poteſt in diverſa animarum ſubſtantiali differentia: quia cum poſſibilitas accidentium pendeat a natura ſubſtantiæ quæ illa recipere debet; prout animæ ſubſtantia plus vel minus perfecta eſt, eo perfectiores, vel imperfectiores vires recipere poteſt & recipit. Tertia vero differentia in una organorum corporis cui quæque anima conjuncta eſt, differentia poſita eſt: quia cum Deus ex impreſſionibus ſenſuum & præſertim cerebri occaſionem ſumat excitandi in anima ſenſationes & ideas ſecundum leges, quas ſibi tulit in commercio inter animam & corpus; eo clariores & magis diſtinctas atque perfectas creare debet, quo ſenſuum & cerebri fibræ perfectiori & magis artificioſa ratione ſunt contextæ, & pluribus, promtioribus magiſque diſtinctis & celerioribus motibus recipiendis atque diutius continuandis idoneæ ſunt. Alterum ex iis quæ propoſuimus, paucis exſequimur, duo conſtituentes, alterum nullam eſſe rationem cur a communi diſcedamus ſententia quæ ſtatuit ſingulas animas tum creari & infundi corporibus, cum fœtus formatur, alterum in ipſomet primo conceptionis momento hanc perfici creationem, de quo nobis integrum ſervamus in ultima Phyſicæ parte.

Articulo quarto aggredimur præcipuam hujuſce diſputationis de animæ immateriali natura quæſtionem. Cum autem extenſionem eſſe primariam corporis ſive materiæ eſſentiam ex qua omnes corporis proprietates originem ducunt, jam docuerim in Ontologia §. 203. & ſeq. hic duo mihi oſtendenda ſuſcipio, alterum ſenſationes cogitationeſque eſſe nequire in extenſa ſubſtantia tamquam motus ſive mutationes quæ motu perficiantur, quia ex altera parte ſubſtantia extenſa omnino una & ſimplex qualis eſt anima humana, ut jam docui, nullum habere poteſt inteſtinum partium motum, & ex altera quædam cogitationes, uti judicia ſi motu perficiuntur, ſine inteſtino partium motu perfici nequeunt; alterum autem eaſdem ſenſationes cogitationeſque eſſe nequire in extenſa ſubſtantia neque tamquam mutationes quæ a motu diſtinctæ

ſint,

sint, & sine motu absolvantur, eo quod ex altera parte accidens prorsus inextensum quodque nullas partes alias extra alias nec potentiales habet, in substantia extensa esse non potest, & ex altera in quibusdam cogitationibus, ut in perceptione non convenientiæ inter cubum & sphæram, nullam extensionem nullasque partes ne cogitando quidem fingere quimus. Duæ sequuntur objectorum series, in quibus præcipuas refero rationes a Materialistis in contrarium allatas, & ex meis principiis facile solvo. Verum de his aliquid præfabo, dum in summam redigam quæ in sequenti longissimo scholio disputantur. In eo enim sic versor. In hac celeberrima & maxime necessaria totius Philosophiæ quæstione, in qua natura animæ humanæ, materiæ & corporis expers statuitur, illud primo loco tamquam certissimum & evidentissimum pono virtutem sentiendi & cogitandi, si non sit in singulis materiæ elementis, nec posse in iisdem, quodemumcumque disponantur modo, reperiri. Cujus clarissimam rationem repeto ex iis, quæ in Ontologia disserui §. 42. n. 173. & variis exemplis illustro. Hac itaque explosa quorumdam Materialistarum sententia, examinare suscipio an in ipsis materiæ elementis inesse possit vis sentiendi cogitandique, illudque primum doceo, si materiæ & corporum elementa extensionis expertia sunt, qualia volunt esse tum Zenonici, tum Leibnitiani & Wolphiani atque recenti memoria Cl. Buschovichius, prorsus actum esse de spe demonstrandi animam quæ facultate sentiendi & cogitandi prædita sit, esse a materia & a corpore prorsus distinctam atque secretam; rationemque repeto ex eo quod ex altera parte vera ipsorum natura tunc nobis foret ignota, & negantem eorumdem notionem in extensionis carentia positam solum haberemus, & ex altera nulla prorsus ratio ad id ostendendum duci posset ex eorum extensione, ex qua una simul cum iis, quæ eam consequuntur, rationes elici posse jam docuimus in antecessum, & in consequentibus multo clarius docebimus. Repudiata igitur hac etiam sententia ob eas evidentes rationes quas in Ontologia protulimus, quæstio de qua hic tractamus, eo revolvitur ut examinemus an singula extensa primitiva corpuscula sint sensationis cognitionisque capacia. Observo autem eos qui hoc in loco versati sunt, rationes ad ostendendam partem negantem ducere ex divisibilitate materiæ & ex ipsius ex partibus compositione atque ex ejusdem impenetrabilitate, eo quod materia per ipsos repudiat veram & propriam unitatem quam in anima esse debere jam evicimus, & penetrationem cum aliis substantiis, qualis pariter in animam cadit. Sed cum jam docuerim corpusculum primitivum & esse proprie unum & simplex atque insectile, tametsi

possit multis distinctis æquivalere, & seposita omni accidentali vi repellente posse cum aliis compenetrari, perspicuum facio nihil effici hisce rationibus, nisi aliter contorqueantur. Quamobrem etsi magni faciamus recentissimum opus hac de re conscriptum a Cl. Huberto Hayero, inscriptumque *la Spiritualité & l'Immortalité de l'Ame*, atque in tres tomos distributum; tamen subscribere non possumus iis rationibus, quas ducit ex divisibilitate materiæ & ex eo quod substantia materialis vere una & simplex esse non potest, sed ex pluribus partibus constet necesse est. Longum hominis locum exscribo, in quo si impugnare contendat eos Materialistas, qui sensationes, cogitationes appetitionesque volunt esse non in singulis primitivis corpusculis, sed in quadam eorum artificiosa congerie & dispositione, ajo me homini prorsus assentiri, & ipsius verba exscripsisse in eum finem, ut magis magisque confirmetur quod aliis ex intimiori Metaphysicæ sinu petitis rationibus supra confeci. Verum si his argumentis prorsus labefactari velit Materialistarum systema, me in ejus sententiam descendere non posse profiteor. Nam si quis ajat esse in homine unum tantum primitivum corpusculum, quod a Deo facultate sentiendi & cogitandi præditum sit, illud erit anima hominis una, simplex, individua, nullisque partibus constans, & nihilominus extensa & materialis, non vero spiritualis & inextensa. Ex quo colligo nullius esse momenti allata argumenta, quæ suam vim habent in eo quod falsum est, quod materia una esse non potest, sed pluribus iisque distinctis partibus constet necesse est: similiterque infirmari alias rationes, quas ex indivisibilitate cogitationis, divisibilitate materiæ ducit ad suadendum cogitationem in materia esse nequire, quasque pluribus locis urget tomo priore & secundo. Nec aliquem hic objicere debere moneo periculi plenum meum esse systema in quo nullius esse roboris ostenduntur tam invictæ rationes ab Hayero & ab omnibus sanæ mentis Philosophis propositæ. Siquidem memoria repetendum est quantum momenti in eo, quod corpus extensum ex partibus reipsa distinctis coalescere debet, ponat aut Lochius quo colligat nobis esse prorsus ignotam extensæ substantiæ reconditiorem naturam §. 251. n. 8. Ont. aut Leibnitiani, Wolphiani, Zenonici & Buschovichius ejusque Sectatores, quo corpora sub sensus cadentia ex rebus inextensis coalescere doceant §. 155. num. 13. & seq. Ont. in quorum altero primus latebram in qua delitesceret, quæsivit, dum ullis claris rationibus confici posse negabat substantiam extensam non esse capacem recipiendi a Deo sensationes cogitationesque; ex altero sequitur absurdum quod supra observavimus, impossibile esse mon-

stra-

ſtrare corpora non eſſe apta hiſce mutationibus recipiendis, & aliquod ſubſtantiale inter corpora & animos dati diſcrimen. Ex quibus efficitur, ſi in hoc ſyſtemate eſt illud incommodi quod cadunt ſupra dicta pro animæ immateriali natura argumenta, multo plus commodi eſſe quod in eo ſubſtantiæ materialis natura clare & evidenter cognoſcitur ac definitur, omneſque ſolvuntur graviſſimæ difficultates, quæ adverſus eamdem occurrunt in omnium aliorum Philoſophorum ſententia, quæque ſunt ita efficaces ut quidam Angli Philoſophi, quorum opinionem paulo poſt impugno, non ſolum ab hac rerum univerſitate, verum etiam a numero poſſibilium ſubſtantiam materialem & extenſam depulerint, a quibus nomine tenus, non reipſa abeſſe puto quos ultimo loco commemoravi; atque hoc pacto certa via munitur ad definitionem graviſſimæ de animi ſpiritualitate diſputationis. Nam ut alteram producam rationem, ex qua liquidum fit nihil eſſe in hoc meo ſyſtemate, quod attinet ad ſummam quæſtionem, periculi, alias in eodem eſſe doceo eaſque clariſſimas rationes quibus animæ ſubſtantia extenſione carere monſtratur, atque ad idem conficiendum valere etiam plures ab aliis in medium prolatas, ſi modo aliter contorqueantur. Qua in re illa duo, quæ in anteceſſum ſignificavi, mihi oſtendenda ſuſcipio, & in altero conficiendo non ſolum magis urgeo rationem quam duxi ex eo, quod una materialis & extenſa ſubſtantia motum inteſtinum multis animæ cogitationibus, ſi ſunt corporei motus, neceſſarium habere non poteſt, verum etiam aliis utor & iis præſertim quæ ab inertia corporum ducuntur, eoquod in iiſdem multi Recentiores Philoſophi diligenter verſati ſunt. Ac primum refello Eulerum, qui nullius momenti ducit rationem ex eadem vi, eo quod cum vulgo Recentiorum falſam obtrudit illius explicationem, quemadmodum docui tom. III. Phyſicæ Generalis, & deinceps ex illa ſic explicata, quemadmodum explicari debere ibidem & in prima Appendice Ontologiæ monſtravi, alteram duco majoris momenti, & longo Interpretis libri *Explication Phyſ. des ſens* textu confirmo. Tum adverto ex iis quæ ſupra docui quod in anima ſunt eodem tempore ſenſationes & ideæ non ſolum diverſæ, verum etiam contrariæ, clariſſime confici non poſſe animam eſſe unam extenſam ſubſtantiam, & hujuſmodi ſenſationes cogitationeſque diverſas & contrarias eſſe nequire ejuſdem motiones. Quibus expoſitis tranſeo ad alteram partem, & oſtendere aggredior cognitiones appetitioneſque eſſe nequire in extenſa ſubſtantia, etiamſi ponantur eſſe aliquid a motu diverſum. Quo confecto primum reſuto rationes Lochii, Gorini, Baumanni, & Diderοti, qui putant divina potentia fieri poſ-

se, ut materialis & extensa substantia sensationem recipiat, & deinde eos alios refello qui conceptis verbis affirmant atque tuentur animam humanam aliud non esse, quam corpus, & particularum apte dispositam congeriem, & præsertim Metrium, atque auctorem epistolæ gallicæ ad Keitium. Qui omnes cum duobus præsertim nitantur, quorum alterum est a nobis ignorari intimiorem substantiæ materialis essentiam, cui ob id ipsum quod nobis perspecta non est, facultatem cogitandi negare non possumus; alterum præter extensionem atque figuram, quæ sunt aliquod iners, esse in corporibus aliquid aliud nobis prorsus incognitum, quod cum natura sua sit actuosum, est principium, origo & caussa actionum corporis, earumque virium attractionis, repulsionis, inertiæ, aliarumque quæ tantum abest ut extensæ sint, ut etiam sine ullo motu esse queant; unde colligitur in corpore esse quire vim cogitandi, tametsi inextensa sit, & motu suas actiones non perficiat: mihi videor hæc omnia ex meis jam in antecessum constitutis principiis enucleatius, quam alii etiamnum fecerunt, labefactare, docendo intimiorem corporis essentiam nobis esse exploratam, dum eam substantia extensa contineri percipimus; esse quidem in corpore præter extensionem atque figuram principium aliquod actionum, sed prorsus accidentale, & in corpore jam perfecto & absoluto proxime a Deo creatum; hoc principium non esse nisi motricem vim, quæ alia pro aliis adjunctis, in quibus a Deo creatur, sortitur nomina inertiæ, attractionis, repulsionis, impenetrabilitatis &c. has vires motrices ne minimum quidem temporis posse sine convenienti sibi motu permanere, & quamvis non sint extensæ uti corpus, eoquod non sunt substantia extensa, sed ejusdem accidens, habere tamen partes in potentia extra partes, adeout in dimidio unius corpusculi sit dimidia pars vis, quæ in toto reperitur, & si duo corpuscula alterum altero duplo majus eadem velocitate cieantur, in duplo minori sit vis dimidia illius quæ in duplo majori reperitur: contraquam usuvenit in perceptione convenientiæ aut discrepantiæ subjectum inter & prædicatum, cujus dimidium nulla prorsus ratione possumus reperire.

Refutatis etiam aliis multis Materialistarum rationibus, iis præsertim, quæ ex commercio inter animam & corpus ducuntur, quarumque evidentem solutionem pariter ex meis principiis deducere mihi videor, occasionem arripio excurrendi in eum locum, qui declarat quantum varia sint hominum ingenia, propterea quod cum veteri & recenti memoria multi inficiati sint aliam esse substantiam præter materialem, ex altera parte exorti sunt alii, qui unam

sub-

ſubſtantiam immaterialem & inextenſam agnoſcunt. Ex Cl. Alemberto expono rationes, quibus Bercheleyus conatus eſt efficere nulla corpora exſtare aut exſtare poſſe, quæque huc redigi poſſunt, primo nullam eſſe rationem, quæ pro corporum exſiſtentia ex ſenſationibus quæ in nobis excitantur, ducitur, eoquod rem aliter eſſe poſſe ſomnia evidenter declarant, nec Deus nos deciperet, ſi ſenſibus nimium quam par eſt, fidamus: ſecundo ſubſtantiæ materialis notionem manifeſta includere contradictoria. „ Quid eſt enim (ſcribit Alembertus in perſona Bercheleyi) hæc materia, cujus adeo claram notionem ope ſenſuum in me excitari contendis? Quid ſunt elementa aut primæ corporum moleculæ? Reſpondere non potes eſſe corpora, quia conſtarent elementis, ideoque non forent quod quærimus. Quod ſi corpora non ſunt, qui percipis ex conjunctione non materialium elementorum poſſe exſiſtere corpora, quæ materiam appellas? Numquid ajes corpus eſſe ex aliis coalitum uſque in infinitum? Sed nonne eſt commentitium ens compoſitum, cujus partes componentes numquam inveniri queunt, aut potius nuſquam reipſa ſunt, quoniam poni non poſſunt exſtare ſolæ, & ſuam acceptam ferunt exſiſtentiam conjunctioni cum aliis entibus, quibus eam ſimiliter largiuntur? Potiuſquam concoquam tot contradictoria, mihi verius eſt ſtatuere materiam non eſſe niſi apparentem, & ſenſuum deceptionem, nihilque extra nos eſſe ſimile eorum quæ ſenſus repræſentant. „ Quoniam vero Alembertus putat eos qui ad divinam bonitatem confugiunt, in duo incurrere abſurda, quorum alterum eſt veritatem directam qualis eſt corporum exſiſtentia, oſtendere veritate reflexa qualis eſt exſiſtentia Dei, cum e contrario in exſiſtentia corporum ſint inveſtigandæ rationes pro exſiſtentia Dei ſolidiores, & quæ omnibus Philoſophis arrident; alterum eſt in animum inducere ſe poſſe ratiocinio perſuadere obſtinatum Philoſophum fore ut Deus nos fallat, ſi corpora non conſtarent; & Immaterialiſtis concedit rationem extenſionis in partibus contiguis eſſe poſitam, & aliunde nos pervenire non poſſe ad elementa materiæ; omni perceptioni primitivæ, unicæ & elementari unum & ſimplex objectum propoſitum eſſe oportere; nobis pariter eſſe impoſſibile percipere quomodo aut conjunctio idearum ſimplicium numero finito, vel infinito perceptionem compoſitam gignat, aut ens compoſitum, qualis eſt materia, ex ſimplicibus conſtet; uno verbo ſenſationem, qua extenſionem cognoſcimus, eſſe incomprehenſibilem juxta ac extenſionem ipſam, atque futurum, ut eſſentia materiæ ac modus quo ejuſdem formatur notio, in tenebris ſemper verſetur: ad hæc refellenda adverto eum qui in communibus vulgi opinionibus conquieſcit, tam eſſe certum

tum

tum de sui & aliorum exsistentia, ut ne minimum quidem de sui & aliorum exsistentia dubitare se posse arbitretur; si quis vero res a sensibus remotas scrutatus in eam veniat cognitionem quod divina potentia fieri possit ut corporum sensationes in anima excitentur, tametsi nulla sint corpora, quibus acceptæ ferendæ sint, eum posse subdubitare utrum id quod fieri potest, revera fiat; absurdum non esse hoc dubium reflexum depellere ratione pariter reflexa, quæ a divina bonitate deducitur, eo quod non minus perspicuum est, quod proxime cognoscitur ita esse, ut aliter esse nequire noscatur, quemadmodum sunt prima principia, quam illud quod in quolibet remoto gradu a principiis colligitur, idque adminiculo illius mei syllogismorum principii, quod si evidens sit A esse in C, C esse in D, D esse in F &c. & hoc ultimum F esse in B, similiter evidens est A esse in B; cognitionem exsistentiæ corporum necessariam non esse ad eliciendas illas divinæ exsistentiæ rationes, quæ apud quemlibet sanæ mentis rem cogere & persuadere debent, propterea quod ex eo tantum quod quisque metaphysice certus est de sui exsistentia, ducitur demonstratio adeo certa de exsistentia entis a se & summe perfecti, ut quisque pariter metaphysica certitudine teneat exstare hujusmodi ens a se ipso distinctum: si vera foret communis de partibus in continuo extenso reipsa distinctis sententia, pariter manifesta fore illa contradictoria, quæ ex Bercheleyo deducit Alembertus, quemadmodum planum feci in Ontologia §. 251. n. 8. adversus Peripateticos aliosque Philosophos, quo responderem Lochio putanti & simili ratione docenti obscurissimam esse materiæ notionem; cum vero in extenso vere continuo, uti est primitivum corpusculum, nullas esse partes reipsa distinctas §. 78. Ont. & extensionis, ut pote primariæ corporum essentiæ §. 203. Ont. nullam esse interiorem in partibus rationem invicte docuerim §. 212. Ont.; manifeste consequi nulla esse contradictoria Berkleyi, quemadmodum nulla esse Lochiana §. 251. num. 8. Ont. monstravimus; & tandem ex his magis magisque comprobari quod §. 157. num. 13. & seq. Ont. notavi, ablegatis ab extenso continuo partibus reipsa distinctis, totum hunc de continuo extenso locum in clarissima poni luce, & argumenta in contraria sententia prorsus inextricabilia mira facilitate dissolvi; ut omnes intelligant systema quod a me propugnatur, quamquam multos habeat ab ipso dissentientes Philosophos, tamen pro certo esse existimandum, quia & rationibus adeo perspicuis confirmatur, & eo posito omnia mirum in modum cohærent, & præcipua Philosophiæ capita nullo negotio explicantur.

Mitto

Mitto alia quæ adversus Alembertum atque Berkleyum disputo, & capite secundo gradum facio ad celebrem de animæ immortalitate quæstionem, in qua tractanda redigo in summam eas gravissimas rationes, quibus Cl. Hayerus adversus antiquos atque recentiores Materialistas veram animæ immortalitatis sententiam undique communivit, meumque identidem interponendo judicium in eo præsertim efficiendo, quod anima æternum vivere debet, propterea quod laudatus Auctor putat evidenter quidem effici animam corpori superesse, non autem simili evidentia æternam ipsius vitam monstrari. Quo loco Cl. Alemberto scribenti antiquorum opiniones Philosophorum circa statum animæ post mortem fuisse quæstiones cœcorum circa lumen atque colores oppono Socratem, cujus profecto sententia non erat hujusmodi, cum apud Ciceronem l. 1. Tuscul. Disput. cap. 30, & apud Platonem in Phædone animis omnino puris & ab omni contagione secretis beatas & cœlestes sedes; animis omnino contaminatis miseras & infernas, animis vero nec scelerum omnino expertibus, nec criminibus omnino contaminatis temporalem quemdam expiationis locum assignavit.

Sequitur caput tertium de anima belluarum, de qua tria statuo, primo veras esse in belluis sensationes cognitionesque, cujus rationem duco ex perpetua & constanti omnium sensuum experientia, & ex eo quod Deus nos perpetuo falleret, si tot essent in iisdem sensationum cognitionumque signa sine ulla interna cognitione & sensatione: 2. has sensationes cognitionesque prodire ab anima immateriali & inextensa; eoquod jam supra docui substantiam sentientem atque cognoscentem esse debere immaterialem & incorpoream: 3. hanc belluarum animam esse longe inferioris gradus quam sit humana, & ex duabus animæ nostræ facultatibus cognoscendi, partis inferioris & superioris, solam inferiorem habentem: propterea quod nulla bellua adhuc observata est acquisivisse eam cognitionum seriem & ordinem eamque judicandi & ratiocinandi vim, quæ in omnibus fere hominibus reperitur, ab iisque paulatim & sensim acquiritur; nec a sola corporum hominum & belluarum differentia id ortum ducere potest, cum ex altera parte cerebrum multarum bestiarum esse idoneum ad seriem aliquam idearum sensualium recipiendam, continuandam & per multum tempus conservandam compertum fiat ex docilioribus feris, uti sunt psittaci & eæ quæ ad formam humani corporis propius accedunt; & ex altera tantum absit ut bestiæ ex defectu organorum careant facultate loquendi, ut multæ ex iis ab hominibus institutæ ne dum aliquas voces, sed etiam integras periodos proferant.

ferant. Ne quis vero ajat me mihi non constare, qui paulo post physicum inter animam & corpus influxum nego, tametsi multa sint ejusdem signa, adverto ex iis regulis quas in Logica §. 233. præscripsi, nos a Deo non decipi in tot præbendis physici influxus signis, eo quod rationem dedit qua in cognitionem venire possumus eumdem dari non posse, ut paulo post evidenter conficio; cum quod attinet ad animam immaterialem belluarum, nullæ sint præsto rationes, quæ doceant eam in belluis reperiri non posse. Id quod paucis ostendo, solvendo præcipuas quæ in contrarium afferuntur, & illam præsertim quæ duci potest ex iis terrestribus vermibus in stercore inventis, qui si in multa frusta secentur, singula in vermes priori similes transformari dicuntur. In adnexo scholio alteram contorqueo rationem petitam ex eo, quod in confutando Leibnitii systemate infra sum ostensurus, tales in corpore hominum & belluarum ex improviso exsistere motus, eosdemque ita multiplici ratione pariter ex improviso variari, ut eorum motuum earumque variationum secundum mechanicas leges nulla sit aut in ipsis humanis & belluinis corporibus, aut in aliis mundi circumfusis corporibus ratio sufficiens & idonea iisdem perficiendis. Quam tamen rationem valere non adverto in systema illius auctoris qui in Actis Lipsiensibus putat non omnes belluarum motus secundum mechanicas perfici leges, sed aliquos, uti spontaneos, ab anima proficisci, non quia revera sit, sed quia Deus illos efficit perinde ac si anima revera foret, & eas voluntatis ederet actiones, ex quibus secundum commercii leges exsistere debent tales in corpore motus. Quamobrem hanc sententiam alia ratione confuto. Tum ex auctore articuli *Ame des bêtes* refello objectum quod ab aliquibus ducitur ex doloribus, quibus belluæ sine ulla culpa obnoxiæ sunt; eidem tamen non concedo animam belluarum carere virtute reflectendi ad suas ideas. Quæ maxima difficultas Philosophos etiamnum deterruit ab hac alioquin evidenti sententia quod anima cognitionibus donata directis etiam habet reflexas §. 123. n. 20. & aliquo pacto judicat & ratiocinatur, ea me deterreri non posse moneo, doceoque hunc esse potissimum illius meæ doctrinæ circa syllogismos singulares usum, propterea quod eadem doctrina omnia quæ ad hunc obscurissimum animæ belluarum locum pertinent, in quam bona luce ponuntur, & nullo negotio diluuntur gravissimæ difficultates, quæ Philosophos aut præcipites egerunt in falsas & absurdas opinationes, aut incertos animi & in omnem partem ancipites etiamnum tenuerunt. Quæ ut magis magisque confirmentur, operæ pretium arbitror exponere & refutare rationes, quibus auctor libri inscripti *Traité*

de

de la nature de l'Ame se hanc a nobis defensam sententiam labefactare conatur. Quo confecto exponο sententiam Rudigeri, quam probabilem putat Cl. Genuensis, quæque vult distinguendam esse materiam a corpore; corpus esse hoc contractabile, solidum, iners; illam puram esse extensionem, primumque substramen cum corporis, tum & spirituum & animorum; animas autem brutorum, ut & humanas mentes, suam habere extensionem, sed sine notis corporum qualitatibus, inertia, soliditate, vi attractionis & gravitatis aliisque similibus: atque doleo laudatum Genuensem alioquin de immateriali & immortali animorum natura præclare sententem hæc litteris consignasse, quæ nimium, quam par est, Materialistis favere videntur. Si enim incerta res est utrum materia corporea spoliata inertia, soliditate, gravitate aliisque corporum qualitatibus sentire & cogitare possit; si probabile substantiam extensam cum viribus sentiendi & cogitandi posse conjungi: actum esse doceo de demonstratione substantialis discriminis inter substantiam corpoream, interque cogitantem; cum tam illæ qualitates sint accidentia substantiæ materialis & extensæ, ut ostendi in Ontologia §. 303. & seq. ac sequitur ex hypothesi quod separari possint, quam vires cogitandi & appetendi ad animæ substantiam accidant §. 91. Se quidem Genuensis tuetur communi Philosophorum hujus ætatis sententia, qui unam extensionem non esse corporis essentiam & volunt, & se invictis rationibus suadere arbitrantur; sed ex hoc ipso magis apparere moneo quod sæpius animadverti, quantum communes & ab antiquis temporibus præjudicatas opiniones circa vacuum, circa extensum continuum & alias quantitatis species inde pendentes, circaque essentiam, attributa & vires corporum accidentales corrigere necesse fuerit non solum ad Physicam restaurandam, verum etiam ad Metaphysicam, in quam multa obrepserant obscura & prorsus falsa & inextricabilia ob illud unum quod in inquisitione naturæ continui extensi omnes alii aliter aberraverunt. Cum vero Genuensis scribat a veri similitudine non abhorrere creatam a Deo esse animam mundanam, idest substantiam quamdam activam, quæ dum organica quædam corpora qualia brutorum sunt, permeat, sensum in iis & perceptionem pariat, quæque in natura agat, & ejus vires omnes atque motiones producat; illosque coarguat Philosophos, qui hæc omnia ἀμέσως a Deo fieri volunt: sub scholii finem ostendo quantum hæc abhorreant a recta ratione & quantum cum vero consentiat nostra sententia, qua contendimus vires tum corporum tum animarum proxime a Deo creari, motiones autem actionesque earum virtute perfici.

His succedit caput quartum, in quo tractare aggredior intricatissimam de commercio inter animam & corpus quæstionem. Primum ex principiis quæ in Ontologia constitui circa vires quæ ab alio in aliud subjectum migrare nequeunt §. 237, & 254 evidenter colligere mihi videor in explicando hoc commercio non esse admittendum systema physici influxus, sive simplex quod attinet ad utramque substantiam ratione habita alterius, sive mixtum quod attinet ad solam animam ratione habita corporis, hancque enuntiationem vindico ab adversariorum objectis, & præsertim ab eo, in quo multi maximum ponunt momentum, quodque in hoc positum est, quia cum nobis ignota sit natura tum mentis, tum corporis, qua ratione alterum affici possit, sine temeritate definire non possumus; illudque respondeo nobis esse perspectum eamdem naturam esse creatam atque finitam, ideoque non habere virtutem educendi ex nihilo vim motricem, quam alterum in altero creet, & aliunde jam fuisse monstratum eamdem vim non posse communicari. Tum refello Leibnitianum harmoniæ præstabilitæ systema, eo quod cum in eodem anima seorsim operetur a corpore, & corpus seorsim ab anima, nec alterum alterius mutationum sit aliquo modo caussa, id constantibus atque perpetuis experimentis adversari contendo etiam adversus plura, quæ contradicuntur. Ex quibus demum colligo nullum aliud superesse idoneum systema, quam caussarum occasionalium, triaque adverto, primum si corpora sunt caussæ tantum occasionales, dum alia incurrunt in alia, tametsi corpus incurrens habeat vim motricem ejusdem rationis, ac est ea quæ in percusso generanda est §. 237. Ont. multo magis animam esse caussam tantum occasionalem motuum corporis, & corpus sensationum animæ, cum nec anima vi motrice, nec corpus vi sentiendi prædita sint: secundum, quia systema caussarum occasionalium in corporibus revolvitur ad systema virium attrahentium in distantia & in contactu repellentium §. 305. Ont. inde sequi non esse prorsus explodendum Cl. Tourryum qui in explicando commercio inter animam & corpus ad vires attractrices confugit, si modo aliud nihil significari velit quam hoc, Deum hanc statuisse legem ut positis quibusdam in mente cogitationibus & cogitandi viribus quasdam motrices vires in cerebro & in nervis ac in aliis corporis partibus crearet, & positis quibusdam in corpore motibus quasdam sentiendi & cogitandi vires pariter in anima progigneret: tertium totis viribus in id esse incumbendum, ut quemadmodum inventa est lex, quam in collisione corporum sibi Deus statuit, quod attinet ad eam partem vis quam in percutiente corrumperet, & ad alteram quam in percusso crearet §. 303.

Ont.

Ont. ita idem possit definiri in explicanda communicatione virium inter animam & corpus. Hæc excipit scholion in quo primum urgeo alteram adversus Leibnitianum systema rationem, in hoc positam, quod sicuti cujuslibet corporis mutationum status sequentis ratio non est solum petenda a viribus & mutationibus status antecedentis, sed ab aliis quoque circumpositis corporibus, quæ ob leges a Deo statutas sunt occasio, cur is alias vires in corpore gignat & priores aut ex toto aut ex parte corrumpat, tantumque abest ut vires & mutationes antegressæ sint ratio sufficiens sequentium, ut potius si ipsæ per se considerentur, esse caussa deberent cur corpus in iisdem perseveraret; ita mutationum animæ status sequentis, idest idearum & appetitionum quæ a viribus accidentalibus proficiscuntur, ratio sufficiens esse non potest in viribus accidentalibus cogitandi atque appetendi atque in ideis, cogitationibus & appetitibus inde profectis status antecedentis, nec in ipsamet animæ natura quæ ipsa per se ad has aut ad alias quascumque recipiendas est indifferens, sed investiganda est etiam in motionibus corporis, cerebri præsertim, quicum esse arctissime conjunctam animam experimentis & observationibus comperimus. Ad quod confirmandum doceo non minus inter se adversari sensationem magnam afferentem voluptatem, & sensationem magnum efficientem dolorem, atque appetitiones & aversationes inde profectas, quam vim & motum in unam partem, & vim & motum in contrariam; atque ex his colligo, ut vim & motum in unam partem non esse solam rationem sufficientem vis & motus versus contrariam ex lusu pilæ discimus, ita voluptatem quæ ex sumtione cibi dulcis oritur, non esse unam sufficientem rationem doloris, quem in continenti sentimus, si post illius sumtionem amarum statim gustemus, aut magno vulnere sauciemur. Deinde refero rationes quas adversus caussarum occasionalium systema Cl. Genuensis proposuit, duoque præsertim in iis refutandis ostendo, alterum hoc systema esse pro certo amplectendum, idque conficio vi propositionum contradictoriarum, quæ sensim sine sensu rem eo deducunt, ut solum hoc systema reliquum sit quod cum vero consentiat: alterum libertatem hominis & Dei sanctitatem cum hac sententia facile conciliari ob ea, quæ de statu naturæ integræ in antecessum disputavi; quæ duo non satis ab aliquo, quod sciam, caussarum occasionalium defensore explicata cum fuerint potissima caussa, cur plurimi liquidam hac in re veritatem attingere non potuerint, quemadmodum idem ob alias caussas usuvenisse in disputatione de continuo alibi notavimus, spero futurum ut hisce difficultatibus de medio sublatis omnes caussarum occasionalium systema amplectan-

ctantur. Tum expositis & dilutis quibusdam rationibus eruditi Pini, qui systema physici influxus suadere sibi visus est, expono eas quas Wolphius proposuit adversus caussas occasionales, & planum facio nec deesse sufficientem aliquam rationem, cur Deus ad tales corporis motiones tales potius, quam alias, in anima sensationes excitet, nec verum esse principium virium vivarum, quatenus ab homine defenditur, ut eadem semper virium summa in hac rerum universitate permaneat, sed solum esse verum, quatenus a me defenditur tom. III. Phys. Gen. §. 240. ut quæcumque sint post conflictum residuæ vires, eæ sint æquales producto ex massa in quadratum velocitatis: nec motuum inter corpora communicationem a divina voluntate efficiendam minus pendere, quam virium inter animam & corpus; ut non videam quid habeat peculiaris hic corporum naturalium ordo, ut eum non debeat aliqua ex parte turbare ordo corporum & animarum; præsertim cum jam docuerimus tot tamque subitas & varias in anima & corpore fieri sensationum & motuum mutationes, ut nec primarum ratio in antegressis, nec secundorum in antecedentibus motibus & in viribus corporum circumfusorum inveniri queat: nec tandem commercium inter animam & corpus futurum esse miraculum nisi in eo sensu, uti est creatio & conservatio, quæ sunt miracula necessaria ordini & conservationi naturæ, diversa ab iis, quæ Deus identidem patrat ad confirmandam veritatem & ad suas perfectiones hominibus patefaciendas. His autem finem impono Scholio XIII., quod continuo excipitur a Scholio XIV. In hoc vero expono & refello duo alia systemata, quorum alterum Gorini quemdam spontaneum motum & quamdam doloris & voluptatis sensationem subtilissimæ cuidam humani corporis materiæ tribuentis non est cur diutius moremur, posteaquam materiam sentire & cogitare non posse universe docuimus: alterum vero est Tourneminii, qui primum ex Leibnitio hanc excerpsit difficultatem adversus caussarum occasionalium systema. Nec lex quam sibi Deus fixit, respondentes inter se mutationes in anima & corpore gignendi, nec earumdem mutationum convenientia veram inter animam & corpus conjunctionem efficiunt. Est enim opus principio, quod perspicuum faciat esse inter tale corpus & talem animam adeo naturalem adeoque essentialem & necessariam convenientiam, ut alia nulla anima præter meam hoc meum corpus informare possit, & aliud nullum corpus præter meum ab anima mea possit informari. Quo constituto ponit corpora ob variam ipsorum structuram apta esse alia aliis mutationibus accipiendis vel a rebus externis, vel a spiritibus qui suam in ipsis vim explicare possunt.

Tum

Tum statuit inter varias dispositiones in quibus humanum corpus esse potest, aliquam reperiri omnium suarum particularum, sive solidæ sint, sive fluidæ, quæ animæ humanæ functionibus sit accommodatissima; deinde animam accepisse a Deo naturalem vim continendi corpus, cui destinata fuit, in hac convenienti dispositione; hanc vim relatam fuisse ad corpus quod anima debet informare; cumque corpora diversa sint, inde consequi tot esse diversas animas quot sunt corpora, quibus informandis sunt destinatæ. Duas ob caussas hoc systema refello, primam quia postulat ut anima quosdam corporis motus tamquam efficiens caussa gignere possit, quod esse nequire jam luculenter ostendimus; alteram quod hæc mutationum convenientia saltem quod attinet ad aliquos motus, qui voluntarii dicuntur, non a vi necessaria & essentiali qualis est Tourneminii, & liberam animæ electionem prævertente oriri debet. Quod vero attinet ad difficultatem ex Leibnitio depromtam, accurate doceo posse in systemate caussarum occasionalium id obtineri, quod Tourneminius contendit esse necessarium in conjunctione corporis & animæ explicanda, & rationem elicio ex iis differentiis, quas tam inter corpora, quam inter animas, esse posse supra confeci, indeque colligo esse adeo propriam cujuslibet animæ cum quolibet corpore conjunctionem, sive mutationum utriusque convenientiam, ut aliæ in aliarum locum substitui, & in aliarum domicilia migrare sine magna totius commercii perturbatione non possint, præsertim ubi corpora adoleverunt, & eorum cerebrum, uti & aliæ corporis partes, multos habitus acquisierunt, quibus esse in anima alios respondentes §. 37. docuimus.

Caput V. de natura & origine idearum dispesco in tres articulos, in quorum primo disserens de natura idearum, ex meis principiis, quod nulla substantia potest mutare statum, quin Deus in ipsa creet absolutum aliquod accidens, quod illius mutationis sit proxima causa, evidenter colligo ideas esse internum animæ accidens quod objecta repræsentat, animamque his ideis ut res cognoscat, indigere. Quia vero Philosophi ob defectum claritatis idearum multa hic involvunt, & putant quædam objecta esse menti adeo intime præsentia, ut nulla sit opus idea quæ illa objecta repræsentet, uti esse Deum in Patria Cœlesti contendunt; in diluendis quæ contradicuntur, perspicuum facio, quantumcumque substantia cum altera substantia intime conjungatur, sitque illi præsens, non posse in illa operari nisi generando in ipsa mutationem internam, & hanc efficere nequire nisi efficiendo in eadem accidens aliquod absolutum quod dicitur vis, quodque sit caussa mutationum, eoquod mutatio ipsa per se gigni nequit. Il-

lam

Iam vero quæstionem an idea sit a perceptione distincta, sic dirimo. Si nomine perceptionis intelligatur perceptio directa rei quæ menti repræsentatur, idea non est a perceptione distincta; quia ad hoc ut anima cognoscat res, opus non habet nisi uno tantum accidenti, quod si referatur ad rem exhibitam, dicitur idea; si ad rem in qua creatur, dicitur perceptio: si vero intelligatur perceptio reflexa, tunc idea est distincta a perceptione, quia ex altera parte quarum idearum & perceptionum objecta sunt diversa, etiam tales ideæ & perceptiones diversæ sunt, & ex altera ideæ directæ ex. g. corporis objectum est corpus; at ideæ & perceptionis reflexæ non est corpus, sed idea corporis. Potissimam Cl. Genuensis difficultatem ex eo petitam, quod si perceptio non foret ab idea distincta, anima esset substantia patiens, non agens, facile diluo distinctione inter ideas partis inferioris, in quibus animam pati, interque superioris, in quibus agere in antecessum docuimus. Quod vero pertinet ad caussam efficientem idearum, articulo secundo primum statuimus ideas a cerebri impressionibus tamquam a caussis efficientibus nequaquam effici; tum negamus easdem elici ab ipsamet anima tamquam a caussa efficiente, & rationem eruimus ex hoc ipso quod vis cogitandi est accidens animæ, cujus ratio in anima esse non potest §. 106. Log. sed in substantia externa illud creante, quæ solus Deus esse quit, quem idcirco unam & veram efficientem idearum causam esse monstramus, eo quod ut in Ontologia confecimus, ejusdem vis productio est vera creatio quæ soli Deo convenire potest. Quibus positis, articulo tertio, in quo dissero de ratione & ordine quem Deus tenet in ideis in animam infundendis, adverto quæstionem de origine idearum deque ideis innatis ad hunc ordinem revolvi, quia dubitari non potest de caussa ipsas proxime efficiente, quæ est solus Deus, sed solum de ordine quem servat in iis excitandis, an scilicet omnes ideas excitet sumta occasione ab iis quas ope sensuum sive quarumdam cerebri impressionum in anima proxime gignit, an vero aliquas prius imprimat nulla sumta ab ideis per sensus proxime genitis occasione; & primam partem ex iis quæ supra & in Logica ostendi, mihi videor clare colligere. Potissimam rationem, quam pro contraria sententia valide contorsit auctor libri supra citati *Traitè de la nature de l'Ame &c.* ductam ex idea infiniti, quam prævertere omnes alias notiones idem contendit, pluribus urgeo, ut ex responsionibus quas oppono singulis adversariorum confirmationibus, magis magisque perspicuum faciam hanc infiniti ideam qua donamur, esse non affirmantem atque perfectam, sed negantem & imperfectam, eamdemque ex

ideis

ideis corporum & animæ nostræ fuisse deductam. Huic capiti finem imponit scholion, in quo inter Cl. Viros Malebranchium volentem animam opus habere ideis, quæ forent exemplaria & *entia repræsentativa* rerum, non quidem in mente generata, sed illi a Deo in suo lumine participata, Arnaldum adversus hanc sententiam disputantem & contendentem Malebranchium petere principium, & falsum esse præcipuum illius fundamentum in eo positum, quod nemo possit percipere res externas in se ipsis, hasque ideas esse entitates quasdam philosophicas, obscuras & commentitias, & nullius fere usus nec necessarias, quia non est simile vero Deum noluisse menti dare facultatem cognoscendi res & quidem via faciliori & breviori, qualis est ea ut res cognoscat sine ope idearum hujusmodi a perceptionibus distinctarum, & tandem Genuensem affirmantem nihil esse clarius Malebranchiano principio, quia nec anima potest sibi formare rerum ignotarum imagines, nec omnes res potest in se ipsis cognoscere, cum nec formaliter sint in mente, nec mens rebus omnibus sit intime præsens, meam expromo sententiam, & ajo quæstionem, ne fiat petitio principii, huc revolvi, an anima ad res cognoscendas opus habeat aliquo absoluto accidente, quod in ea extrinsecus creetur. Si enim opus habet, ut revera habere jam in antecessum docuimus, adverto illud vocari ideam repræsentantem res, quia per hujusmodi accidens in anima creatum eadem noscit res quas antea non cognoscebat, indeque fit eamdem ad res noscendas indigere idea; non tamen sequitur quod contendit Genuensis, hanc ideam esse a directa perceptione objecti distinctam, quia jam satisfecimus ejusdem rationi, atque docuimus animam ex alio capite esse substantiam agentem, tametsi inter ideam & perceptionem directam non intercedat nisi arnaldinum discrimen, ut quæ est perceptio relata ad mentem, sit idea relata ad objectum. Ex quibus colligo animam opus habere ideis, sed in sensu a me explicato. Nam quæ Arnaldi ratio iis obesse potest ducta ex qualitate idearum, perinde ac si forent occultæ quædam & commentitiæ entitates, ea jam præoccupata fuit a nobis, cum adversus Cartesianos & præsertim adversus Ogerium in Ont. §. 51. n. 27. docuimus in corporibus & universe in substantiis creatis dari hæc accidentia absoluta proxime a Deo creata ut caussas mutationum, eaque non esse occultas & commentitias Paripateticorum qualitates. Quod attinet ad principium quod nemo possit cognoscere res externas in se ipsis, in quo jam monui multa involvere Philosophos inter se digladiantes, cum jam ostenderim mentem non posse cognoscere aliquam rem neque seipsam sine illo accidenti abso-

soluto in eadem ereato quod idea nominatur, secundum veras notiones adverto tunc res cognosci in se ipsis, quando cognoscuntur idea propria & reali, quam in Logica definivi §. 258., cognosci vero non in se ipsis, sed in aliis rebus, quando solum idea imaginaria & impropria intelliguntur. Ex iis autem quæ circa caussam efficientem idearum constitui, planum facio cadere alia omnia de hac re Philosophorum placita, & præsertim Scholasticorum, qui duplicem distinguentes intellectum, agentem atque patientem, docent agentem illuminare phantasmata quæ in cerebro impressa fuerunt, & facere actu intelligibilia; Democriteorum & Epicureorum, qui volebant ex corporum extensionis libramentis avolare leves quasdam & tenuissimas corporeas exuvias quas simulacra vocabant, quæque per sensus cerebrum subeuntes forent caussa omnium sensationum, atque cogitationum; & Malebranchii, qui putat animam nullis ad res cognoscendas indigere ideis quæ in anima a Deo creentur, sed propter arctissimam sui cum Deo qui est omnium spirituum locus, conjunctionem omnia in Deo videre: quam sententiam ob illam toties inculcatam rationem convello; quod si anima sit substantia distincta a substantia divina, quemadmodum esse concedit ipse Malebranchius, & contra Spinosam in Theologia Naturali accurate monstrabimus, ipsa non potest ullam interiorem accipere mutationem, quam revera subit; dum a statu non ideæ ad statum ideæ & ab aliis ad alias ideas transit, nisi Deus in illa creet & conservet aliquod absolutum quod illius mutationis quæ ipsa per se gigni & variari nequit, sit proxima caussa, quodque vis cogitandi appellatur. Ex quibus colligo illud solum quærere posse Malebranchium, utrum Deus in anima prius excitet ideam sui & eorum quæ in ipso continentur, & ope hujus ideæ faciat ut res in Deo cognoscat tamquam in speculo instar ejus qui res in imagine in speculo depictas videt, an contra. At neque hoc pacto animam res in Deo videre conficio ex iis quæ supra disseruimus, cum ostendimus ideam infiniti quæ est eadem, ac idea Dei, esse negantem & imperfectam in sensu, quem ibi exposuimus, & hanc ab ideis per sensus illapsis eductam. His vero tractandis sensim ingressi sumus in quæstionem de modo & ordine quem Deus tenet in ideis infundendis. Qua in re primum evello ab aliquorum animo præjudicatam quamdam opinionem, qua putant esse aliquas spirituales ideas ab actualibus cognitionibus & appetitionibus distinctas, quas Deus animis imprimere possit, tamquam figuras quæ in cera imprimuntur, quæque sine ullo motu in eadem permanere possunt. Ad id autem præstandum utor principiis in antecessum constitutis, & planum facio quidquid uni substantiæ sim-

simplici accedit, quales sunt animæ & corpuscula primitiva, esse non posse nisi vim quamdam accidentalem, absolutam, in eadem a Deo creatam & conservatam, quæ sit proxima caussa mutationum, propterea quod hæ non possunt ipsæ per se creari, corrumpi, aut variari; idque declaro exemplo corpusculi primitivi, in quo nulla interior mutatio esse potest, nisi ea quæ oritur a vi motrice, quæ modo in ipso creatur & conservatur, modo corrumpitur aut variatur: atque pertinere contendo etiam ad animam, quæ intimo sensu intelligitur capax solius interioris mutationis, quæ est in cogitando & appetendo adeo ut siquid novi in ipsa exsistit, esse non possit nisi vis cogitandi & appetendi, ipsæque cogitationes & appetitiones, quæ ob rationes allatas pro motu ratione habita vis motricis non possunt ab hisce viribus separari. Sed adversus hæc Theologos adverto exoriri, qui volunt in anima justi dari gratiam sanctificantem & habitus virtutum Theologalium sine ulla prorsus actuali cognitione aut appetitione, eo quod etiam in dormientibus reperiuntur, eamdemque gratiam sine ulla prorsus cognitione & appetitione interdum infundi, eoquod infantes eorum actuum minime capaces baptismi aquis regenerantur. Exscripto longo Cl. Theologi Berti loco primum eruo meo systemati convenire cum illa hujus disputationis parte, quæ a Tridentino Concilio definita fuit. Nam ex meis principiis manifeste sequitur nihil novi Deum posse per gratiam in anima efficere, nisi in ipsa creando aliquod absolutum accidens quod mutationis ipsius sit proxima caussa. Ergo ex principiis etiam Philosophiæ adversus Luteranos fit manifestum gratiam, dum infunditur in anima, esse aliquod in ipsa genitum, immo creatum, ab ipsomet Deo creante, tamquam effectum a caussa, distinctum. Hoc autem accidens est vis quædam altioris ordinis quam naturalis, qua reipsa cognoscitur Deus & amatur. Hæ vires tamdiu in anima durant, quamdiu anima reipsa cognoscit & amat; & in iis posita est gratia actualis: cessantibus cognitione & amore in nihilum abeunt etiam vires quæ cum iisdem sunt copulatæ, ideoque cessat etiam gratia actualis. Quia vero ab his viribus fuit in anima genita nova quædam dispositio & veluti forma, quemadmodum impressione sigilli in cera nova quædam forma & figura illi respondens efficitur, idcirco illa in anima perstat etiam in nihilum redactis cognoscendi & appetendi viribus, quemadmodum in cera permanet figura, tametsi desierit sigilli vis, qua fuit impressa. Cum vero ad hæc objici possit in primitivo corpusculo, sublatis motu & vi motrice, aliud nihil esse residui quam externam novam situs relationem ad alia corpuscula, a quibus vel motu re-

cessit, vel accessit, observo hoc esse inter animam interque primitivum corpusculum a nobis etiam alias notatum discrimen, quod mutatio genita a vi motrice in corpusculo est pura ad alia corpora quæ gradatim contingit, externa relatio, adeout si præter unum motu percitum corpusculum nulla sint alia, actualis illa relatio amplius non sit, sed una proxima relationis potentia; at mutationes a viribus cognoscendi & appetendi in anima generatæ sunt illi interiores & in eadem manent, nec extra procedunt, adeout vere in ipsa actu forent, etiamsi una tantum anima reperiretur. Ex quo colligo, quemadmodum ex vi motrice solum in corpore residua est aliqua exterior relatio & dispositio, quia vis motrix solam mutationem in externa ad alia corpora relatione positam gignit, ita in anima ex viribus cogitandi & appetendi restare novam interiorem relationem & dispositionem, quia hæ vires mutationem animæ internam & in illa manentem progignunt. Quod vero attinet ad rationem ab adversariis ductam ab infantium regeneratione, do Bertio neminem posse cum ratione ponere in infantibus illustrationes atque motiones quibus ipsi libere assentiantur, ut faciunt adulti rationis usu pollentes; at ponere Deum, ut gratiæ auctorem, in justificatione infantis reipsa illuminare & movere ipsius animam, quin tamen ea liberam aliquam actionem exerceat, ab ratione alienum non esse rationibus e Philosophiæ penu depromtis doceo, & etiam theologicis docere potuissem, cum ex Evangelio constet Joannem Baptistam in utero matris Spiritu S. repletum gaudio exultasse. Quibus constitutis propius accedo ad id, cujus caussa in hunc locum excurri, & ex iisdem efficio Deum, antequam in anima creet vires cogitandi & appatendi ipsasque cogitationes, non posse ullam in anima formam & dispositionem imprimere, eo quod hæc, utpote aliquod relativum, ipsa per se fieri nequit, & fit solum ea vi cogitandi quam Deus in anima creat: indeque consequens esse doceo eos, qui notiones innatas defendunt, non posse, quemadmodum faciunt multi defectu claritatis idearum, id eo sensu explicare, ut ante ullas actuales ideas & cognitiones Deus formas aliquas & dispositiones animæ indat ab ipsius ortu: itaque fieri ut hæc de ideis innatis quæstio eo revolvatur, utrum Deus aliquas in anima nostra prius crearit ideas, quam aliquam ex iis quæ per sensus ingrediuntur, quarum is quoque est caussa efficiens, sed occasione sumta ab impressionibus in corpore genitis, procrearit; an vero omnes post ideas sensuum genuerit. Alteram partem amplexi sumus ob rationes expositas partim in Logica §. 115. & seq. partim hic §. 190. & seq. quas certe non infirmari monstramus multis earum rationum, quæ vel ab au-

cto-

ctore libri supra citati, vel a Genuensi afferuntur.

Hic vero datam alibi fidem accuratius examinandi librum Helvetii de Spiritu liberamus, & capite sexto ipsius sententias circa spiritualem & immortalem animæ naturam, circa ejusdem libertatem circaque naturam animæ belluarum exponimus iis quæ ad eumdem refutandum exscripsit Abrahamus Josephus de Chaumeix. Quibus expositis primo satisfacere nitimur rationibus, quas laudatus de Chaumeix affert ad hæc duo constituenda tamquam prorsus necessaria confutandis Helvetio aliisque Materialismi defensoribus, dari ideas innatas, & animæ essentiam atque naturam in cogitatione esse positam. Tum ex principiis, quæ in antecessum constitui, evidentes duco responsiones ad Helvetii argumenta, & adversus eumdem hæc duo præsertim confirmo, alterum omnes mentis operationes idem non esse ac sentire, alterum etsi demus judicare & ratiocinari idem esse ac sentire, quemadmodum Helvetius contendit, non tamen inde consequi animam esse extensam atque corpoream. Quoniam vero ut quæstionem de animi spirituali & immortali natura non posse nisi ex verisimilibus conjecturis decidi, & rationes etiamnum allatas intra verisimilitudinis fines consistere Helvetius significaret, idem auctor in celebrem principiorum certitudinis locum orationem inducit, & statuit eum qui manus non daret nisi evidentiæ, fere certum non fore nisi exsistentiæ suimetipsius, eo quod ex altera parte ob rationes alibi allatas & ex divina omnipotentia depromtas nos de corporum exsistentia minus certi sumus quam de nostra, & ex altera veritas est individua, nec de quadam veritate eam esse magis, aut minus veram pronuntiari potest: do quidem homini nihil esse aliud alio verius, sed ajo duas esse veritatis etiam evidentis species, alteram qua non solum pespicue, verum etiam proxime nosco prædicatum A esse in B, adeout opus non habeam alterius prædicati cognitione, ut in hoc principio *totum est majus sua parte:* alteram autem qua perspicue nosco prædicatum A esse in C, sed non proxime, verum remote, quia primum nosco A esse in B, & B in C, indeque in cognitionem devenio, quod A est in C: quæ remota cognitio potest esse in multiplici gradu, quin aliquid de propositionum evidentia decedat. Restat caput septimum, quo finem imponimus Psychologiæ. Continet autem brevem de habitibus quæstionem, in qua repetimus ea quæ supra disputavimus, sed ad formam redacta scholasticam & auditorum captui magis accommodata, nisi quod in sequenti scholio plures alias propono & solvo difficultates adversus hanc de habitibus in anima residentibus sententiam, interque hujusmodi habitus exercitio acquisitos esse rationis usum ostendo.

IN-

INDEX
PARTIUM, CAPITUM, ATQUE ARTICULORUM PSYCHOLOGIÆ.

PSYCHOLOGIA.

PSY-

PSYCHOLOGIA.

§. 1. Definitiones & Propositiones

EX definitione Psychologiæ speculatricis, quam tradidimus §. 70. Log., quæque ita se habet: *Psychologia speculatrix est illa Psychologiæ pars, quæ considerat ea quæ sunt & fiunt, esse &c. fieri possunt in anima humana, quatenus ea quæ sunt & cognosci possunt per suas caussas atque rationes*, eruitur ipsius objectum materiale, primarium, & integrum esse illa, quæ sunt & fiunt, esse & fieri possunt in anima humana; formale pariter primarium atque integrum contineri verbis quæ sequuntur, *quatenus ea quæ &c.*

2. Cum vero anima cum corpore conjuncta sit, & ex hac conjunctione fiat, ut multæ ipsius ideæ ab impressionibus organorum quinque sensuum & cerebri præsertim pendeant §. 250. Log., & multi corporum motus ab animæ ideis & appetitionibus; Psychologiæ munus est differere quoque de quinque corporeis sensibus, & de cerebro, sed tamquam de rebus, quæ sunt illius secundarium objectum §. 67. Log., eo quod hanc disputationem refert ad uberiorem eorum, quæ in anima sunt, cognitionem acquirendam, tamquam aliquod medium ad finem primarium.

§. 2. Propositio

Anima humana certissime exsistit; deque illa per suas caussas atque rationes multa certo & evidenter cognosci queunt. Prob. 1. pars. Quod mutat statum, sive aliquid agit aut patitur §. 35. Ont. certissime exsistit; quod enim non exsistit, nihil est, & ideo nihil facere aut suscipere potest. Sed unusquisque sibi clarissime conscius est se mutare statum, idest se modo unam rem cogitare aut appetere, modo aliam. Ergo anima humana certissime exsistit.

 2. Se-

2. Secunda pars ex iis, quæ de anima humana infra demonstrabuntur, constabit. Nunc unum adverto; cum idearum perspicuitas & evidentia sit certum nostræ cognitionis principium §. 220. Log., nihil animæ potest esse evidentius & ideo certius iis, quæ intimo sensu in se ipsa fieri clarissime noscit §. 222. Log. Ergo de anima humana multa per suas caussas atque rationes cognosci queunt.

§. 3. Divisio.

Duas in partes Psychologiam dispescimus; in prima disputabimus de iis, quæ per reflexionem & intimam conscientiam cognoscimus in anima usuvenire; in altera vero de animæ essentia, natura, attributis, accidentibus, & modo quo aut ipsa in corpus, aut corpus in ipsam operatur, sive de commercio inter animam & corpus. Prima pars erit valde historica & similis illi Physicæ parti, in qua experimenta narrantur; atque hac de caussa Wolphius illam vocat Psychologiam Empiricam; altera vero pars ea statuet, quæ ope rationis ex allatis in prima observationibus circa proprietates animæ colliguntur, & idcirco idem Auctor eam appellat Psychologiam Rationalem.

PARS PRIMA.

De iis quæ in anima humana contingere intimo sensu deprehenduntur.

§. 4. Lemma Physicum

EX Physicis præmittendum est corpus humanum ita esse constitutum, ut a molli cerebri substantia subtilissima quædam fila, quæ nervi dicuntur, ad omnes corporis partes tum interiores, tum exteriores diffundantur. Ex quo fit, ut ex incursu aliorum corporum in corpus humanum, aut alia de caussa in extremis nervorum, quæ in aliis corporum partibus reperiuntur, nulla impressio & motus gigni possit, quin usque ad cerebrum, ubi est alterum extremum, eadem impressio propagetur; nec aliqua in cerebro, quin usque ad alterum nervorum extremum. Quod a Boeravio & ab ejus Sectatoribus ita explicatur, ut velint nervos esse canaliculos quosdam subtilissimo repletos fluido, cujus portio ad unum posita extremum pelli nequit, quin aliæ ipsius partes continuate se contingentes ad alterum usque cieantur; ab Hartleyo vero in *Explication Phys. des sens a Reims* 1755. & ab aliis hoc alio modo, ut velint nervos esse corpora solida, & tremoribus atque oscillatio-

tio-

tionibus minimarum particularum accipiendis idonea, quorum alterum extremum percuti nequit, quin, ut contingit in longa lignea trabe, tremores atque oscillationes usque ad alterum didantur.

§. 5. Observationes ex Physica

Accuratis autem observationibus, quas afferemus in Physica, constat siqua de caussa fiat, ut impressio in aliis præter cerebrum corporis partibus atque ideo in capitibus nervorum, quæ ad illas pertinent, facta usque ad alterum extremum & usque ad cerebrum non deferatur, sensationem in anima non excitari. Inter alias affertur hæc, quod, religato nervo ex. g. brachii & puncto infra ligamen versus extremas partes, nullus sentitur dolor; puncto vero supra ligamen propius caput, revera sentitur; quod argumento est ligamen impedire, quominus in primo eventu impressio usque ad cerebrum deferatur, & a cerebri impressionibus sensationes proxime excitari.

§. 6. Observationes

Pariter observationibus compertum fit talem inter animam & corpus dari connexionem, ut positis quibusdam in corpore motibus, qui tamen usque ad cerebrum, uti modo adverti, propagentur, quædam in mente cogitationes & inde ortæ appetitiones exsistant, & positis quibusdam in anima cogitationibus & appetitionibus quidam in corpore motus excitentur; in cerebro quidem proxime, in aliis vero corporis partibus ope nervorum, qui in cerebro sunt, & inde ad universum corpus diduntur, & impressionis, quæ prius in extremo insito in cerebro fit, & inde usque ad alterum extremum diffunditur. Hæc autem connexio dicitur commercium inter animam & corpus.

§. 7. Scholion I.

Ad hunc locum accurate tractandum necesse foret universam corporis humani structuram, & præsertim organa quinque sensuum, cerebri substantiam & musculos, quorum adminiculo anima quasdam corporis partes movet, diligenter examinare. Nam ex his certius atque facilius erui possent leges, quæ in hoc inter animam & corpus commercio observantur, & ex hisce legibus multo plura quam in Log. §. 250. & seq. factum est, colligi eorum, quæ ad inferiorem animæ facultatem dirigendam pertinent, & alia etiam plura, quibus animæ natura illustratur. Verum cum hæc magnam desiderent rerum, quæ ad Physicam pertinent, cognitionem, de his ad finem ejusdem mihi integrum servo. Interea quæ modo adumbravimus, satis esse puto iis intelligendis, quæ hic tractabuntur; nisi quod identidem alia ex Physicis, si quando opus erit, interferemus.

§. 8. Divisio

Hanc vero primam Psychologiæ partem duabus sectionibus per-

sequemur, in quarum prima de iis quæ attinent ad facultatem cognoscentem, in secunda de iis, quæ ad volentem, disputabimus.

SECTIO PRIMA.

De facultate animæ cognoscente.

§. 9. Divisio & Definitiones

FAcultas animæ cognoscens duplex est, alia partis inferioris, alia superioris. Inferioris partis facultas complectitur eas ideas & cognitiones, quæ proxime pendent ab impressionibus factis in corpore & in cerebro, & excitantur in anima statim ac aliquæ exsistunt in corpore propagatæ usque ad cerebrum impressiones; ex g. statim ac lux ab arbore profecta in meos incurrit oculos, & nervos lacessit in ejusdem fundo positos, hæcque impressio usque ad cerebrum defertur, in anima excitatur idea, quæ arborem repræsentat. Superioris autem facultas complectitur eas ideas, quæ pendent ab attentione & reflexione animæ ad ideas per sensus excitatas §. 115. Log. Unde prima facultas complectitur solum ideas singulares, & rerum corporearum; secunda vero etiam universales & rerum spiritualium.

CAPUT PRIMUM.

De facultate animæ cognoscente partis inferioris.

ARTICULUS I.

De nonnullis observationibus circa hanc facultatem.

§. 10. Observationes & Definitio

HAc facultate continentur sensationes & imaginationes, quas §. 250. Log. num. 2. explicavimus, ubi etiam multa alia tradidimus, quæ hic ad memoriam revocanda sunt. Iis alia nunc addimus. Nam quod attinet ad imaginationis legem ibi declaratam, memoriam ea lege niti affirmamus. Nam memoria est facilitas producendi ideas rerum antea simul perceptarum statim ac aliqua ex iisdem menti occurrit, & easdem ideas recognoscendi, sive cognoscendi se antea habuisse. Nam cum aliqua simul & alia post alia continuate percipimus, ut plurimum etiam ad illa reflectimus & cognoscimus nos ea cognoscere. Quare cum illæ ideæ aliæ post alias,

re-

reproducuntur, persæpe reproducitur idea reflexionis, quam olim habuimus.

§. 11. Observationes

Advertendum est autem talem esse legem memoriæ ut facile renovemus ideas alias post alias secundum ordinem quo antea in mente exstiterunt, non secundum contrarium; ut periodum memoria facile repetimus a primo vocabulo gradatim transeundo ad secundum, & a secundo ad tertium, & ita procedendo usque ad ultimum, quem ordinem in addiscendo tenuimus; non vero contra incipiendo ab ultimo, & inde ad antepenultimum atque ad alia usque ad primum transeundo.

2. Hac de caussa si Italus linguam gallicam discat, post breve tempus facilius illi est gallicam orationem in italicam vertere, quam italicam in gallicam, eo quod addiscendo linguam gallicam hunc tenuit ordinem, ut prius cognosceret vocabulum gallicum & inde italicum illi substitueret, non contra.

§. 12. * Definitiones & Observationes

Oblivio est corruptio facilitatis quam antea quis habebat ab una idea transeundi ad alias cum ea connexas easque recognoscendi; ut si quis discipulus interrogatus quot sint & quales regulæ syllogismorum, non possit eas enumerare & reproducere ideas illis respondentes. Qua in re advertendum est aliquando contingere, ut mens nequeat ab una idea ad secundam transire, bene vero a secunda ad primam; ut in exemplo allato supra num. 2. interrogatus italus quomodo vox quædam italica gallice efferatur, non potest reproducere vocem gallicam illi respondentem; at si prius interrogatus fuisset, quid illa gallica italice significaret, vocem italicam continuo reperisset.

2. Lapsus autem memoriæ est reproducere duas vel plures ideas, & eas tamquam simul antea reproductas recognoscere, quamvis revera simul productæ non fuerint. Ut si quis ante annum duas visitasset Ecclesias, alteram S. Antonii, alteram S. Francisci, & in Ecclesia S. Antonii pulcram S. Francisci imaginem observasset, si in mentem veniat imaginis S. Francisci ante annum visæ, & continuo reproducat ideam Ecclesiæ S. Francisci; facile fieri potest, ut arbitretur se illam imaginem in hac Ecclesia observasse; eoquod reproducta idea imaginis S. Francisci reproducitur etiam idea Ecclesiæ S. Francisci; quamvis non idea imaginis S. Francisci, sed idea S. Francisci sit cum idea Ecclesiæ conjuncta.

§. 13. Definitiones & Observationes

Cum res præsentes ab anima non percipiantur, nisi mutatio orga

gani sensus externi ab iis facta ad cerebrum transeat §. 5., fieri potest ut anima res præsentes nullo modo percipiat, si meatus & viæ a sensibus externis ad cerebrum impediantur, adeout mutatio ad mollem cerebri substantiam transire nequeat; vel non ita clare, ut in vigilia, percipiat, si transitus non omnino intercludatur. Quandonam autem id usuveniat, in Physicis explicandum est.

2. Somnus est status animæ, quo res præsentes non percipit, quod inter sensus externos & cerebrum communicatio impedita est. Somnus profundus est animæ status, quo res præsentes nullo modo percipit, eoquod communicatio inter cerebrum & sensus externos omnino sublata est. Levis somnus est animæ status, quo res præsentes aliquo modo percipit, sed non ita clare, ut in vigilia; eo quod aliqua restat inter cerebrum & sensus externos communicatio: est autem magis vel minus levis, quo minor communicatio est.

3. Vigilia autem est status animæ, quo res præsentes & mutationes in sensibus externis factas percipit, eoquod impressio in sensibus facta usque ad cerebrum defertur; quæ vigilia vel perfecta est, vel plus aut minus imperfecta pro ratione communicationis inter sensus externos & cerebrum.

§. 14. Observationes & Definitiones

Mane cum experrecti sumus, aliquando recordamur nos ea nocte plura vidisse, audisse, gustasse, ac tactu & odoratu percepisse, tamquam sensibus præsentia, licet absentia forent. Somnium est status animæ, quo, sublata perceptione rerum præsentium propter sublatum inter sensus externos & internos commercium, res absentes tamquam præsentes & in sensus incurrentes percipiuntur, licet absentes sint, & in sensus minime incurrant.

§. 15. Observationes & Propositio.

Anima non continuo transit a perfecta vigilia ad profundum somnum, & a profundo somno ad perfectam vigiliam; sed paulatim adeout in primo eventu perceptiones rerum præsentium paulatim obscuriores fiant, donec tandem omnino evanescant, & in altero paulatim clariores, donec prorsus claræ evadant. Prob. illo experimento, quod in unoquoque sæpius contingit. Si antequam profundum somnum capiamus, vehemens strepitus, aut alia magna sensuum externorum commotio nos excutiat, recordamur nos paulo ante sensum aliquem valde obscurum habuisse tum lecti, in quo jacemus, tum sonorum, qui in vicinia eduntur ab hominibus loquentibus, vel aliqua corporum collisione, tum aliarum rerum præsentium, sive mutationum, quæ in organis sensuum externorum fiunt.

fiunt. Idem usuvenit, dum expergiscimur; quod si persæpe id non observamus, ratio ex eo petenda est, quod tempus, quo sensim clariores fiunt rerum præsentium imagines, adeo breve est, ut ad illud advertere non possimus. Ceterum id universe confirmatur ratione, qua patet motum omnem paulatim generari & paulatim corrumpi; unde efficitur communicationem illam motus inter organa sensuum externorum & cerebrum paulatim diminui antequam extinguatur, & paulatim augeri antequam prorsus restituatur §. 290. & seq. Ont.

ARTICULUS II.

Nonnulla circa sensus & imaginationem statuuntur.

§. 16. Problema

EXplicare quomodo anima incipiat somniare? Initium tribus ex caussis oriri potest; primo ex debili obscuraque sensatione rei præsentis & in sensus incurrentis, ut validi soni, qui subobscure exaudiatur; secundo ex commotione ingenti facta in organo sensus externi, ut cum sanguis ex improviso sistitur, quo in eventu homo somnians percipit se ab alio veluti opprimi; tertio ex ultima vigiliæ sensatione & imaginatione, quæ est generalis initii somniorum caussa. Continuatio vero fit ob legem imaginationis & memoriæ. Nam illa objecti externi imago per sensus excitata aliquo ex tribus modis excitat ideas rerum antea simul perceptarum, hæque ideæ ideas aliarum rerum, quæ pariter simul antea perceptæ sunt §. 10. idest in cerebro excitant eas impressiones, ex quibus excitantur in anima ideæ, quæ illis respondent.

§. 17. Problema

Explicare qua de caussa in somnio res absentes appareant tamquam præsentes? Rationem hoc syllogismo concludo. Res absentes apparere debent tamquam præsentes, si anima in somno ab impressionibus cerebri perinde afficiatur, ac si res in sensus incurrerent; atqui anima in somno ab impressionibus cerebri perinde afficitur, ac si res in sensus incurrerent. Ergo in somno res absentes apparere debent tamquam præsentes. Major patet, quia posita eadem caussa idem effectus ponatur necesse est. Itaque ostendo minorem. Impressiones in cerebro factæ per legem imaginationis sunt valde debiliores impressionibus factis per res quæ reipsa in sensus incurrunt, & commotionem in iis genitam usque ad cerebrum deferunt

§.

§. 256. Log. Ergo quemadmodum abeuntibus sensationibus fortioribus sensationes debiliores, quæ ante aut non apparebant, aut erant valde obscuræ, apparere & percipi incipiunt, & valde vividiores in anima excitantur §. 252. Log. ita cum in somno sensationes rerum præsentium cessent §. 13. impressiones in cerebro factæ per solam imaginationis legem valde clariores evadere debent, & ab anima minime distracta a sensationibus fortioribus valde clarius percipi. Id vero tantum augeri potest, ut ab iisdem ita clare afficiatur perinde ac si res externæ in sensus incurrerent.

§. 18. Problema

Explicare cur furiosis res absentes videantur tamquam præsentes etiam in vigilia? Ratio est quia ipsorum cerebrum vel ob ardentissimam febrem, quæ omnes cerebri fibras nimium concutiat, vel ob nimii vini particulas, quæ easdem fibras vehementer lacessant, vel ob aliam similem caussam, adeo concutiatur commoveaturque, perinde ac si res externæ in sensus incurrerent.

2. Ab eadem caussa oriuntur etiam illusiones muliercularum. Nam mulierum cerebri substantia per se est mollior & magis accommodata ad recipiendos validos vehementesque tremores & oscillationes. Hinc si accedat earumdem in contemplatione alicujus phantasmatis, v. g. Christi Crucifixi, defixio; hac cerebrum ita commoveri potest, perinde ac si Christi Crucifixi imago sub oculos caderet. Ita fit ut illam videre debeant, perinde ac si præsens ante oculos foret.

3. Hæc vero caussa potest esse etiam supernaturalis, idest vel Dæmon, qui cerebrum ipse per se sic valide commovere potest; vel Deus, qui & eodem modo facere potest ut mulier eam imaginem videat, & etiam hoc quoque, quia sine ulla cerebri mutatione potest in ipsamet anima eam sensationem efficere.

§. 19. Propositio

Quæres hic an supra explicata lex imaginationis, idest habitus sive facilitas transeundi ab una idea ad alias simul ante habitas, statim ac aliqua earum per sensus aut imaginationem denuo excitatur, sit tantum in mente, an etiam in cerebro, an in utroque. Huic quæstioni infra plenius satisfaciam; nunc hoc unum statuo. Hæc facilitas transeundi ab alia idea ad alias ante habitas pendet etiam a cerebri vestigiis & impressionibus. Prob. Hæc facilitas pendet etiam a cerebri vestigiis, si revera cerebrum hanc facilitatem acquirit, ut renovato uno vestigio & idea illi respondente renoventur etiam alia cum eodem connexa & simul antea impressa vesti-

ſtigia, ex quibus aliæ reſpondentes ideæ in anima excitantur. Atqui res ita ſe habet. Nam primo ſi hodie videam ex. gr. tres homines ſimul colloquentes, & cras aliquis eorum denuo in oculos incurrat, continuo renovantur ideæ aliorum duorum. Jam vero ſingulorum veſtigia in cerebro impreſſa manſerunt eaque ſimul conjuncta, & unum eorum per oculorum ſenſus rurſus excitatur, a quo idea ipſi reſpondens pendet. Ergo cum omnia ſint æqualiter apta ut renoventur, dicendum eſt ad renovationem unius alia quoque renovari, & ideas ipſis reſpondentes, quæ idcirco a renovatione veſtigiorum pendent.

2. Deinde acutiſſimi capitis morbi, vel cerebri ipſius læſiones aut omnem rerum memoriam obliterant, aut etiam cognitionem ipſam prorſus extinguunt, ut pluribus allatis exemplis docet Haller in annotationibus ad Prælect. Boeravii §. 581.; hi autem morbi & vulnera cerebrum prius afficiunt, & ideo delent eam facilitatem, quam ipſum acquiſivit in iis renovandis veſtigiis, quæ ſimul antea impreſſa ſunt.

3. Ab eadem cauſſa pendet animæ cognitio, & facilitas tranſeundi ab aliis ad alias cognitiones. Atqui cognitio pendet a cerebri impreſſionibus. Nam ut alia exempla omittam, *La Peyronie* in Com. Acad. Reg. Scicul. Pariſ. anno 1741. refert in homine cujus cerebrum erat apertum ob vulnus, pro libito chirurgi potuiſſe extingui, aut reſtitui cognitionem; extingui, cum corpus cerebri calloſum comprimebatur; reſtitui, cum a compreſſione ceſſabatur. Ergo illa facilitas reperitur in cerebri veſtigiis, quorum aliud poſt aliud renovantur, & inde reſpondentes ideæ excitantur.

ARTICULUS III.

An anima ſemper cogitet.

§. 20. Propoſitio

ANima humana poſtquam habitum cogitandi acquiſivit, ſemper cogitat. De ſtatu vigiliæ vix dubitandi ratio eſſe poteſt, eoquod per ſenſus externos, qui a corporibus mundi continuate incurrentibus continuate quoque pelluntur, ſemper aliqua in cerebro impreſſio, & ideo reſpondens in anima ſenſatio excitatur.

2. De ſtatu ſomni, poſito quod ſupra oſtendimus, in ſomno commercium inter animam & cerebrum non interrumpi, ſed ſolum inter ſenſus externos ex altera parte & inter cerebrum & animam

ex altera, sic res conficitur duabus hisce rationibus. Prima hæc est. Hominis, utpote entis compositi, essentia posita est in duobus, in partibus, idest in anima & corpore, & in modo, quo hæ partes conjunguntur, idest in commercio inter animam & corpus §. *163.* Ont. Quare si etiam commercium inter animam & cerebrum in somno tolleretur de medio, hominis essentia in eo statu periret; quod alienum est a ratione, quod in sola morte hæc interit.

3. Altera hæc est: tunc non debet commercium inter animam & cerebrum intercludi, quando experimenta docent valde majus exsistere. Docent autem experimenta in somno majus esse commercium inter animam & cerebrum; siquidem tunc anima ita clarius percipit impressiones in solo cerebro sine ope sensuum externorum excitatas, perinde ac si forent externa corpora, quæ per sensus majorem in eodem impressionem facerent §. 17. Ergo in somno hæc inter animam & cerebrum communio non tollitur.

4. His constitutis res ita conficitur; semper, ac etiam in somno, mens cogitat, si impressiones & commotiones in cerebro, quibus ideæ in mente respondent, semper exsistunt. Atqui postquam anima habitum cogitandi acquisivit, impressiones & commotiones semper exsistunt. Nam ut mens habitum cogitandi comparavit, hæc facilitas etiam ab ipsomet cerebro comparatur, §. 19. Sed postquam cerebrum hunc habitum acquisivit, tantum abest ut amittat saltem universe, ut etiam majorem in dies acquirat, cum quo magis ea vestigia excitantur, eo majorem comparent facilitatem, qua ad unius eorum renovationem alia quoque rursus commoveantur, & numquam videatur fieri posse ut ad illud perveniamus vestigium, quod cum alio nullo connexum sit, eoquod hæc in cerebro ubique reperiuntur longe lateque dispersa, & variis mirisque inter se modis copulata & disposita, adeout experimenta monstrent ad unius renovationem non unum tantum, sed plura excitari, eo quod cum pluribus connexum est. Ex quibus fit ut ab ultima illa vigiliæ sensatione §. 16. hæ cerebri commotiones possint per totam noctem continuari, & ob jam dictam facilitatem revera continuentur. Ergo etiam in anima semper sunt iis commotionibus respondentes imaginationes & ideæ.

§. 21. Objectio

Lochius in libro inscripto *Essai sur l' entendement humain* lib. 2. cap. 1. §. 10. hæc objicit. Nulla ratione probatur animam semper in somnis cogitare. Ergo &c. Ideo probaretur, quia cogitatio foret animæ essentia aut attributum, sine quo esse non posset; atqui nul-

nulla ratione probatur cogitationem esse animæ essentiam aut attributum; nam potius videtur esse accidens, quod potest abesse salva anima, uti motus est accidens corporis, quod sine motu esse quit. Ergo &c.

§. 22. Responsio

Dist. maj. Ideo probaretur quia &c. in sententia Cartesianorum, quos auctor impugnat, aut Leibnitii & Wolphii co. in nostra ne. Et dist. conf. Ergo nulla ratione probatur a Cartesianis co. a nobis ne. Cartesiani contendunt cogitationem esse animæ essentiam; verum id non probant. Pariter id affirmant Leibnitius & Wolphius ob rationem nullius momenti, quod caracter substantiarum est vis agendi. Sed nos jam ostendimus vires corporum & animarum, & motus atque cogitationes inde pendentes esse accidentia eorumdem sine quibus animæ & corpora esse queunt §. 48. Ont. idque de animæ cognitionibus infra accuratius ostendemus. Quare assentimur Lochio nihil confici hac ratione, & aliam adduximus petitam ex eo quod est continuata caussa cur cogitationes in anima excitentur, scilicet continuatæ cerebri impressiones etiam in somno; qua ratione nos ita nos gerimus, ut ille qui lunam continuo moveri demonstraret ex eo, quod continuatam in illa vim motricem esse doceret.

§. 23. Instantia

Atqui nec hac ratione conficitur in somno semper animam cogitare. Ergo &c. Prob. min. sub. Si ob reproducta cerebri vestigia anima in somno semper cogitaret, ubi experrecti sumus, eorum quæ cogitavit, anima recordaretur. Atqui eorum quæ in somno cogitavit, anima sæpe non reminiscitur; ut vulgaribus constat experimentis, & notat Lochius §. 14. cit. loci qui hac ratione utitur adversus nostram sententiam. Ergo &c. Prob. maj. Si anima in somno cogitaret, quædam in cerebro vestigia impressa manerent; atqui hæc vestigia lege imaginationis denuo excitata somni ideas revocarent. Ergo &c.

§. 24. Responsio

Dist. maj. Si anima in somno cogitaret, quædam vestigia in cerebro impressa manerent si fortiter impressa forent co. si leviter, illud præsertim, quo excitetur idea reflexionis ad ideas in somno habitas ne. Et distin. min. atqui hæc vestigia lege imaginationis denuo excitata somni ideas revocarent, si in vigilia per sensus & imaginationem excitaretur aliquod cum iis connexum vestigium co. si non excitaretur ne. Nam ad memoriam duo requiruntur, pri-

mum ut denuo excitentur vestigia cerebri, quibus ideæ prius habitæ respondent; secundum ut excitetur idea reflexionis, quam habuit anima, dum iis ideis affecta fuit §. 10. Quamobrem fieri potest ut excitentur quidem vestigia cerebri & ideæ illis conjunctæ, sed anima non recordetur se eas ideas ante habuisse; eoquod non reproducitur idea illius reflexionis, quam anima habuit, dum iis ideis fuit affecta. Et revera multas in nobis lege imaginationis excitari ideas, quas nos olim habuisse minime advertimus, quisque potest experiri.

2. Hoc posito primum ajo fieri posse, ut in profundo somno vestigia cerebri nimis leviter impressa sint, præsertim ob exiguam animæ dormientis ad ideas iis respondentes reflexionem, cujus defectum esse caussam cur etiam eorum, quæ paulo ante in vigilia cogitavimus, multoties non recordemur, tametsi memoria teneamus nos plura cogitasse. Quamobrem vel facile deleri possunt, vel etiamsi non deleantur, & vestigia atque ideæ reproducantur, tamen anima eas se habuisse non recordetur, vel non connectantur cum iis, quæ in vigilia renovantur.

3. Siquidem ut pressius accedam ad explicationem secundæ distinctionis, quo vestigia rursus excitentur, satis non est eadem in cerebro reperiri, sed postulatur, ut talis in anima vigilante impressio excitetur, quicum illa adeo copulata sint, ut posita tali impressione rursus eadem reproducantur. Revera aliquando recordamur hoc unum, nos scilicet plura tota nocte somniasse & cogitasse, nec quantumcumque conemur, & memoriam extundamus, in eam possumus revocare unam ex ideis quas in somno habuimus: interdum vero ab alia ad aliam ideam conatu mentis transeuntes, tandem incurrimus in eam, quæ cum habitis in somno connexa est, cujusque ope statim ideæ somni restaurantur aliæ post alias: interdum autem prorsus deposita mane cogitatione excitandæ memoriæ eorum, quæ in somno cogitavimus, per diem forte in aliquam incurrimus aut somni ideam, aut cum illa conjunctam, qua veluti sopitæ somni ideæ exsuscitantur. Ex quibus compertum sit vestigia eorum, quæ in somno cogitavimus, impressa manere, tametsi ob allatam caussam non renoventur. Ergo sicuti non recordamur eorum, quæ in somno cogitavimus, quamvis revera cogitaverimus, & vestigia in cerebro insculpta fuerint; ita etiam possumus universe oblivisci hoc ipsum, quod aliquid somniaverimus, tametsi revera pluribus iisque continuatis ideis anima in somno semper agitata fuerit atque commota; id quod non raro contin-

tingit; nam mane experrecti persæpe nobis conscii non sumus nos aliquid in somno mente agitasse, quamvis id revera fecisse certo colligatur ex eo, quod post plures horas ad revocationem alicujus vestigii & ideæ respondentis statim aliquæ somni ideæ excitantur.

§. 25. Instantia

Atqui in vigilia excitari deberet aliquod cum vestigiis somni connexum vestigium. Ergo &c. Vestigia & ideæ ultimi somni momenti tam exiguo tempore quale est inter ultimum somni momentum & inter primum vigiliæ, aut deleri aut ita interrumpi nequeunt, ut ab anima volente revocari non possint; atqui ut Lochius ad suam opinionem confirmandam advertit, sæpissime usuvenit, ut anima quamtumcumque conetur, in primo vigiliæ momento revocare nequeat memoriam eorum, quæ ultimo somni momento cogitabat. Ergo &c.

§. 26. Responsio

Dist. maj. Vestigia & ideæ ultimi somni momenti tam exiguo tempore interrumpi nequeunt, ut in primo vigiliæ momento ab anima volente excitari nequeant, si anima ab ideis sensationum non distrahatur ad alia prorsus vestigia & ideas co. si distrahatur ne. Nam præter responsionem in solutione primæ difficultatis jam datam, quæ huic quoque accommodari potest, quia etiam in vigilia accidit ut revocare non possimus ideas paulo ante habitas eo quod ad easdem non reflexerimus, quod multo magis cadere potest in ideas somni, in quo statu anima non fruitur expedita libertate, qua se ad reflexionem ad easdem determinet, præter, inquam, responsionem &c. in promtu est hæc altera.

2. Sæpe contingit ut si aliqua cogitemus, & ex improviso accidat aliquid præsertim extraordinarium, quod nostram attentionem ad se convertat, paulo post non recordemur eorum quæ paulo ante cogitabamus, propterea quod hæc nova vestigia non sunt copulata cum iis, quibus paulo ante cerebrum afficiebatur. Nam ut taceam de aliis, pluries mihi contigit, ut si dum per viam cum amico sermonem haberem, aliquid usuveniret quod nostram attentionem ad se revocaret, ad nos reversi amplius non meminerimus eorum, quæ modo tractabamus. Quid ergo mirum, si cum anima a statu somni transit ad statum vigiliæ, in quo ex improviso afficitur fortioribus sensationum ideis, cum vestigiis & ideis somni ut plurimum non copulatis, ab iisdemque omnino diversis, obliviscatur eorum, quæ paulo ante secum ipsa quodammodo locuta fuerat?

SCHO-

§. 27. SCHOLION II.

Hac in re Lochio assentimur existimanti ideas & appetitiones in anima esse accidentia, quemadmodum vires motrices & motus inde pendentes ad essentiam corporum accidunt §. 48. Ont. Sed tantum abest ut inde efficiatur animam esse aliquando cogitationis expertem, ut potius aliquibus semper ideis eam informari indidem eliciatur. Nam sicuti in toto mundo sunt perpetuo aliqui motus & vires, eo quod sine intermissione præsto sunt aliquæ caussæ, a quibus gignuntur, adeout neque in gravitate aut viribus attractricibus secundum veram multorum sententiam umquam ad perfectum perveniatur æquilibrium, in quo non solus motus sed etiam ipsa vis motrix secundum nostram evidentibus confectam rationibus prorsus extinguitur §. 260. & seq. Ont. ita in anima nostra esse perpetuo ideas & appetitiones, viresque iisdem generandis idoneas ex eo suadetur, quod præsto sunt perpetuæ caussæ, quibus eædem generantur. Nam & universe constat corporis humani utpote viventis omnes interiores partes continuatis insitis viribus atque motibus cieri, & peculiariter liquet mollem cerebri substantiam continenter agitari præsertim ubi eam acquisivit facilitatem, qua fit, ut renovata quadam ejusdem commotione & vestigio alia cum eadem cupulata restaurentur, hisque aliis restauratis alia etiam cum iisdem conjuncta renoventur. §. 16. Nec ulla est ratio, quæ suadeat eas commotiones in somno cessare, in quo tantum abest ut minuantur, ut etiam tanto majores evadant, quantum ostendit omnium experientia dormientium, qui sibi persæpe conscii sunt solis cerebri impressionibus perinde se affici, ac si forent objecta, quæ in sensus externos incurrerent. Positis vero numquam interruptis cerebri commotionibus semper aliquæ exsistant in anima sensationes cogitationesque necesse est, ut ex conjunctione inter animam & corpus certo certius colligitur.

2. Qua constituta nostræ sententiæ ratione expectare non debet Cl. Lochius, ut ex proxima cujuscumque dormientis conscientia & observatione efficiamus omnem animam etiam in somno semper aliquid cogitare; sed satis est ut afferamus rationes, cur etiamsi semper cogitet, tamen aliquando & etiam sæpe in vigilia non recordetur eorum, quæ per somnum cogitavit; quemadmodum ubi certa ratio allata est, qua efficitur continuatum esse in arboribus aut animalibus particularum motum, necesse non est id ex proxima experientia oculorum aut tactus deducere, sed satis superque est ex earumdem exiguitate rationem colligere, cur intestinus motus sensibus non observetur. Jam vero has attulimus rationes easque ad verum quamproxime accedentes, cur anima eorum, quæ tota nocte cogitatione volvit, non reminiscatur. Ergo ex eo quod harum memoria cogitationum in vigilia non restat, nihil adversus nostram sententiam Lochius colligere potest.

3. Multo minus momenti est in alia Lochii ratione ducta ex eo, quod nulli est bono hæc a nobis defensa continuata mentis etiam in somno agitatio, quia & persæpe eorum, quæ per quietem cogitavimus, nos tenet oblivio, & quando reminiscimur, tam inter se dissentaneæ atque confusæ sunt cogitationes, ut animam rationalem & Dei sapientiam prorsus dedeceant, si forent continuatæ. Cui difficultati satis esset factum, si Lochio ut Philosopho christiano responderem in examinandis iis, quæ in hominem cadunt, non esse habendam rationem solius creatoris sapientiæ, qui eumdem condidit rectum,

sed

sed etiam primi Parentis liberi arbitrii, quo is peccando se suosque filios atque nepotes in quamplurimis depravavit. Ex hoc enim intelligitur, quia quidpiam aut inutile, aut vitiosum in ipso est, non continuo esse negandum, si aliis rationibus exstare monstretur. Verum hac responsione non utor, & ajo ab homine nimis alioquin cauto in proferendis judiciis etiam circa res evidentes nimis præcipitanter negari utilitatem continuæ cogitationis in anima. Nam hæ perpetuæ mentis etiam in statu somni agitationes maxime conducunt ad habitum memoriæ acquirendum ita excellentem atque admirabilem, qualem D. Augustinus in Confes. L. X. cap. 8. & 9. exquisite describit. Nam si habitus eo præstantiores fiunt, quo sæpius ipsorum actus repetuntur, quam præstantes evadent, qui actibus perficiuntur noctes diesque continuatis? Inde oriri puto, quod multi litteris dediti experiuntur, evanescere post summum eas difficultates & tenebras, quæ ante somnum animam impediebant, ne id quod vellet, perficeret, & multo facilius mane cum experrecti sumus, memoriæ committi, quæ ante somnum legerimus. Nam ut dixi §. 10. facilitas reproducendi ideas non est semper conjuncta cum memoria sive cum facilitate easdem recognoscendi; & ideo plures in nobis vigilantibus ideæ, quas in somnis habuimus, reproducuntur, tametsi easdem in somnis nos habuisse non recordemur. Nec ideæ confusæ interque se discordes animæ nocent, propthereaquod ex altera parte habitum cogitandi augent, & ex altera ab anima vigilante dirigi possunt. Nam si quis ore proferat omnes ideas, quibus pulsatur dum vigilat, omnibus derididiculo erit; tam multa effutiet inter se dissentanea & repugnantia. Quamobrem ideæ somni tamquam supervacaneæ repudiandæ non sunt.

4 Verum Lochii sententia suaderi potest ex iis, quæ de somni natura & caussis ab auctoribus disputantur. Quod ut clare intelligatur, primo referenda est celebris historia hominis parisiensis, quam refert Hallerus in adnot. ad §. 284. Prælect. Acad. Boeravii. Hic cerebrum habebat sola callosa dura meninge tectum. Quoties autem dura mater digito lenissime comprimebatur, subito mille scintillæ ante oculos hominis versabantur; & si fortior fiebat compressio, jam caligo oculos occupabat: si denuo validiori manu premebatur, somno se dabat & deinde stertebat, donec sola manus levi opera apoplectico simillimus fieret. Hanc autem pressionem extinguendo sensui, & cognitionibus idoneam, somno conciliando, & afferendæ apoplexiæ accommodatam non in qualibet cerebri parte, sed in uno corpore calloso fieri oportere cum pluribus observationibus docuit *La Peyronnie* in Actis Acad. Paris. ad ann. 1741. tum vero maxime ex eo, quod ipsemet dum curaret sancium in cerebro, quod erat apertum usque ad corpus callosum, poterat eidem sensum & cognitionem adimere, ac statim restituere ob id unum, quod aut digito callosum ejusdem corpus comprimeret, aut digitum ab eodem retraheret. Ex quibus effici videtur somnum esse positum in nimia cerebri & præsertim corporis callosi compressione, ut fert multorum sententia apud Auctorem adnot. ad §. 591. ad Præl. Acad. Boeravii adnot. 1. ad §. 591., sive ob nimium sanguinem, qui ad cerebrum confluat, ibique redundet, sive ob nimis parvam ejusdem ad cerebrum confluentis copiam. Quod si ita est, nemo non videt somnum esse animæ statum, in quo non solum sensationum, verum etiam imaginationum ideis spoliatur, eo quod cerebri compressi vestigia impediuntur, ne rursus excitari possint.

5. Ut

5. Ut his satisfaciam, adverto innumerabilibus constare obsérvationibus frequentissimum esse illum dormientium statum, in quo somniis agitantur. Mihi profecto fere numquam usuvenit expergisci (sæpius autem id singulis noctibus accidit), quin recorder eorum, quæ paulo ante somniando mente revolvi. Quamobrem ordinaria somni caussa esse non potest corporis callosi compressio, eoquod illa sic abolentur sensus & cognitiones, ut sive tunc anima cogitet, sive secus, numquam tamen eorum quæ fortasse cogitavit, cessante compressione meminerit. Quapropter ea videtur hac in re verisimilior sententia quam defendit Bergerus apud laudatum adnotationum auctorem in adnot. 1. ad §. 593. commemorati libri, in qua compressio ponitur esse in medulla; hoc enim pacto omnia somni phænomena explicantur facillime, quia & cerebri callosum corpus expeditum manet ad impressiones, quæ restarunt, tempore somni excitandas, & ad ideas somniorum inde profectas, & via impeditur ad sensuum externorum sensoria, ex quo fit ut rerum præsentium sensationes evanescant. Quamquam etsi aliquam in corpore calloso compressionem in profundo somno poneremus, non tamen inde consequeretur omnem ideam omnemque cognitionem in anima cessare. Cum enim eo tempore non omnis motus cesset in eodem, quicum anima proxime conjuncta est, nec omnes sensationes & ideas ab ejus motibus pendentes cessare dicendum est.

CAPUT SECUNDUM.

De facultate cognoscente partis superioris.

ARTICULUS I.

De iis, quæ sunt objectum facultatis cognoscentis partis superioris.

§. 28. Propositio

PEr sensus & imaginationem, sive per facultatem cognoscentem partis inferioris anima non cognoscit nisi singularia, & corporea. Nam cognitio proxime per sensus & imaginationem in anima excitata est cognitio exhibens rem, quæ in sensus corporeos, & in imaginationem incurrit §. 10. Sed res quæ in sensus corporeos incurrit, est singularis, & corporea, quia non potest sensus ferire, nisi sit corpus & quidem re ipsa exsistens, atque idcirco individuum & singulare §. 111. Log. Ergo &c.

§. 29. Corollarium

Quamobrem ideæ universales, & ideæ rerum spiritualium erunt objectum facultatis cognoscentis partis superioris, scilicet pendebunt ab iis quatuor facultatibus, quas in Logica §. 112. num. 2. explicavimus, vi attendendi, reflectendi, comparandi, & præscindendi.

2.

2. Tales erunt ideæ relationum inter duas res, ut similitudinis, & dissimilitudinis, convenientiæ & discrepantiæ, & similium.

§. 30. Propositio

Anima quæ necessario operatur, habet ideas rerum singularium, tum corporum, tum suimetipsius, non vero potest habere ideas abstractas & universales, nec ideam Dei. 2. Anima vero quæ libere agit, potest acquirere has ideas universales & ideam Dei.

Prob. utraque pars. Ad acquirendas ideas universales & abstractas atque indeterminatas opus est virtute præscindendi, idest in pluribus rebus singularibus considerandi tantum ea, in quibus conveniunt, tamquam objectum primarium, non vero ea in quibus differunt, tametsi hæc cum iis necessario copulata sint, & tamquam conjuncta & aliquid unum per sensus & imaginationem in sensus incurrant §. 112. & seq. Log. Atqui anima quæ necessario operatur, hanc virtutem præscindendi non habet; bene vero ea quæ libere. Nam ex altera parte res per sensus incurrunt in animam omnino determinatæ §. 28., & anima æqualiter afficitur tum ab iis cujusdam rei prædicatis, in quibus illa res cum aliis convenit, quam ab iis, in quibus differt; & ex altera quæ anima necessario operatur, ea non potest pro libito suam attentionem potius defigere in ea, in quibus res plures conveniunt, quam in illa, in quibus discrepant, & prima sibi statuere tamquam primarium suæ cognitionis objectum, secundorum vero rationem non habere, sive illa tamquam secundarium considerare· hæc vero præstare potest anima, quæ libere agit, eo quod suam attentionem in unam potius objecti partem dirigere potest, quam in alteram. Sine ideis vero universalibus & indeterminatis cognitio Dei acquiri non potest §. 112. & seq. Log. Ergo &c.

§. 31. Objectio & Responsio

Omnis anima, etiam necessario agens, quæ habet cognitionem directam rei, potest habere etiam reflexam, idest cognoscere se cognoscere; & revera brutorum animæ multa præbent signa reflexæ cognitionis. Sed quæ anima potest habere cognitionem reflexam, idest cognoscere se cognoscere, potest efficere ideas universales. Ergo anima, quæ necessario operatur, habere potest ideas universales, & ideam Dei. Prob. min. Quæ anima habet cognitionem reflexam, ea potest judicia proferre. Sed quæ potest judicia proferre, potest etiam elicere ideas universales. Ergo &c.

Dist. maj. Quæ anima habet cognitionem reflexam, potest proferre judicia intuitiva co. discursiva ne. & dist. min. quæ potest pro-

ferre judicia discursiva, potest etiam elicere ideas universales co: quæ intuitiva tantum, ne. Nam primum concedo quamcumque animam etiam necessario operantem posse habere cognitionem reflexam, idest cognoscere se cognoscere, quia sicut qui videt res per imaginem earum in speculo delineatam, multo magis videt imaginem, per quam res cognoscit; ita anima cum ipsas per se res extra mentem positas non videat, sed solum per earum imaginem in anima descriptam, qualis est idea, multo magis ipsas imagines sive ideas videre & cognoscere potest. Quod idem est ac cognoscere se cognoscere. Et revera in belluis, ut dixi, multa signa cognitionis reflexæ observamus. Hac de caussa etiam animis necessario operantibus, quales sunt belluarum animæ, cognitionem reflexam concessi.

2. Verum aliud est judicium intuitivum, aliud discursivum; intuitivum est illud, quo convenientiam inter unam ideam & alteram proxime per sensus cognoscimus, sive sentimus, ut ignis me calefacit; quia per sensus proxime cognosco calorem esse in igne. Discursivum est, in quo cognosco aliud in alio esse non per sensus proxime & imaginationem, sed per illationem, idest ope duorum aliorum judiciorum, ut cum ajo ignis rarefacit aerem; non enim proxime per sensus id cognosco, sed eruo ex his duobus judiciis. Omne corpus constans particulis quoquoversum tendentibus, & se dilatare conantibus, aerem rarefacit; ignis est corpus constans hujuscemodi particulis.

3. Hoc posito ajo quæ anima habet cognitionem reflexam, posse quidem elicere judicia intuitiva, quia per sensus & imaginationem videre potest convenientiam inter duo, quæ simul juncta cum idea rei prorsus determinata in ipsam ingrediuntur, eique convenientiæ assentiri tamquam suimet bono & perfectioni, ut §.217. & seq. Log. explicavimus: non vero posse discursiva. Jam vero ad habendas ideas universales & abstractas satis non sunt judicia intuitiva, eo quod iisdem videmus convenientiam inter ea, quæ simul juncta in anima depinguntur, non autem in una re id, in quo ea convenit cum aliis, cogitatione separamus ab iis, in quibus discrepat. Sed ad hunc finem discursiva desiderantur.

§. 32. Instantia & Responsio

Atqui anima quæ habet cognitionem reflexam, etiam si necessario operetur, tamen potest elicere judicia discursiva. Ergo &c. Prob. min. sub. Potest per sensus intuitive cognoscere primum esse in secundo, secundum in tertio, & inde cognoscere quoque primum

mum esse in tertio secundum illud principium in Logica §. 50. Si A est in B, & B est in C, etiam A est in C. Atqui hoc pacto efficit judicium discursivum, sive ratiocinationem §. 52. Log. Ergo &c.

2. Dist. min. Anima efficit judicium discursivum, sive ratiocinationem singularem co., efficit universalem ne. Nam, ut diximus in Logica §. 56. anima prius efficit ratiocinationes singulares, idest singularem propositionem ex duabus singularibus elicit ope dicti principii, quia cum ex. g. per sensus proxime cognoscat aquam esse in situla, & situlam esse in domo, adminiculo interpositæ situlæ noscit quoque per sensus, sed non proxime, situlæ aquam esse in domo. Deinde si habeat quoque ideas universales, ex multis ratiocinationibus singularibus universales elicit. Quare concedimus quamcumque animam etiam necessitate agendi coactam efficere singulares ratiocinationes, eo quod si potest videre primum esse in secundo, & secundum in tertio; potest etiam videre primum esse in tertio interpositione secundi, quod idem est, ac ex duobus singularibus & intuitivis judiciis tertium elicere, & ideo ratiocinari. Et revera in animis belluarum multa ratiocinationis signa observamus; ut canis insequens Dominum, & perveniens ad trivium, subolfacit primam viam, deinceps subolfacit secundam, cumque effluvia Domini in iis non offendat, arripit tertiam quin subodorari observetur: in quo videtur ita argumentari; Dominus non tenuit primam, nec secundam. Ergo tertiam. Id vero non evincit in anima esse ratiocinationes universales, & ideas pariter universales, quibus illæ nituntur.

§. 34. Instantia & Responsio

Atqui si anima necessitate agendi coacta potest efficere ratiocinationes singulares, potest etiam ideas universales acquirere, & ideo illarum ope universales quoque formare ratiocinationes. Ergo &c. Prob. min. sub. Si anima necessitate agendi coacta potest efficere singulares ratiocinationes, potest etiam advertere ad rerum similitudinem, sive ad id, quod in pluribus rebus simile est; atqui hoc pacto acquirit ideam indeterminatam & universalem §. 212. Log. Ergo &c. Prob. maj. Non minus difficile est cognoscere prædicatum A esse in C, eo quod tum A est in B, tum B est in C, qnam cognoscere idem prædicatum in pluribus rebus reperiri. Atqui primum cognoscitur in ratiocinatione singulari, & secundi cognitio est cognitio similitudinis rerum. Ergo &c.

2. Dist. maj. Si anima posset suam attentionem pro libito defi-

gere in prædicato, quod in pluribus reperitur, eamdemque attentionem avertere ab iis diversis determinationibus, quibuscum re ipsa connexum est in pluribus, & veluti connexum animam pulsat co. aliter ne. Nam ut anima noscat, ex. g. aquam esse in domo, eo quod eam videt esse in situla, quam videt esse in domo; non opus est aliqua præscindendi virtute, seu virtute separandi ea quæ arctissime conjuncta sunt aut in aqua, aut in situla, aut in domo; propterea quod videt per sensus aquam quoque esse in domo. At quo agnoscat aliquod prædicatum esse in pluribus, opus est præscindendi virtute, qua fit ut in pluribus advertat tantum ad id, quod in iis est simile; non vero ad id, quod dissimile, quamvis similia & dissimilia in una tantum re sint conjuncta, & quatenus conjuncta in anima per sensus repræsententur. Ad id vero efficiendum necessaria est libera facultas, qua anima potest suam attentionem ad res pro libito dirigere, & ad unam tantum objecti partem, non ad alias, quamvis idea totius objecti simul pulsetur. Nam hac facultate destituta perpetuo distrahitur ab ea parte ideæ, quæ exhibet differentias rerum singularum, & ob aliis etiam continuo incurrentibus, & ab iisdem non pro suo nutu, sed ex necessitate, prout fortiores sunt, abripitur, impediturque ne in ea ideæ parte, quæ exhibet id, in quo plura conveniunt, tanto immoretur tempore, quantum necessarium est ad ideam indeterminatam atque universalem inde eruendam. Quod confirmatur ex statu dormientis, in quo anima quamquam ratiocinandi facultatem jam acquisierit, tamen raro in suis cognitionibus rationis sequitur lumen, & sæpissime ab omni rationis regula aberrat, ob eamdem hanc caussam; quia cum expeditum libertatis usum in eo statu non habeat, ab incurrentibus undique ideis: prout fortiores sunt, & fortuito sibi succedunt, perpetuo hac illac sine ulla lege pertrahitur, & gradum alicubi sistere prohibetur.

35. SCHOLION III.

Nihil mihi in tota Philosophia difficilius videtur explicatione discriminis quod interest inter animam ratione utentem, qualis est humana, & inter animam illius expertem, qualis est belluarum. Cum enim in utraque sit eadem per sensus & imaginationem percipiendi res extensas & singulares facultas, & ex iisdem fontibus suas omnes ideas utraque hauriat; quid est proprii in anima humana, quo sit proxime potens a cognitionibus rerum singularium & corporearum gradum faciendi ad universalium & spiritalium cognitiones, in quorum usu præcipue vis ratiocinandi & rationis usus positus est? Aliqui putant, belluarum animas virtute reflectendi ad suas sensationum ideas carere; ea vero seposita facile est intelligere, cur nec aliquid spiritale cognoscant §. 112.

112. n. *6.* Log., nec in pluribus ideis advertere possint ad id, in quo sunt similes, non consideratis iis aliis, in quibus differunt, & idcirco cur nequeant ideas indeterminatas & universales formare. Verum nimis a ratione alienum est belluis cognitionem negare reflexam tum ob ea, quæ supra disseruimus, tum ob illa, quæ acute differit Wolphius, dum §. 751. Psychologiæ Ration. pluribus suadet animas belluarum suitmetipsius esse conscias. Hæc enim scribit: *Patet enim quod sensu distinguant sensibilia, quæ in organa ipsorum agunt. Ipsa sane ostrea tactu discernit vim ad testas divellendas adhibitam, & de insectis curiosæ admodum colligi possunt observationes idem confirmantes. Habent adeo perceptiones partiales, claras, atque hinc totales distinctas* [§. 44. *Psychol. Empir.*] *Cum adeo sint in statu perceptionum distinctarum* [§. 45. *Psychol. Empir.*] *sibi perceptionum suarum conscia sunt* [§. 13.]

Idem etiam sic ostenditur: Brutis perfectioribus eadem sunt organa sensoria, quæ hominibus [§. 750.], *& constat eorundem eandem esse structuram, quæ in organis corporis humani deprehenditur. Nervi quoque eodem modo ex organis sensoriis ad cerebrum propagantur, & cerebrum ejusdem structuræ deprehenditur, quam in humano visu distinguere licet. Nullum igitur est dubium quin sensibilia in organa brutorum perfectiorum agentia eandem mutationem iisdem inducant, quam hominum organis inducunt, & motus nervis sensoriis impressi eodem modo ad cerebrum propagentur, quo in hominibus propagari solent* [§. 111.] *ut adeo species impressæ, & ideæ materiales eædem esse debeant, quæ in hominibus* [§. 112.] *consequenter dubitandum non est, quin eædem quoque ipsis respondeant ideæ sensuales* [§. 118.]. *Enim vero nobis sunt perceptiones sensibilium claræ, atque distinctæ. Tales igitur quoque esse debent brutis perfectioribus. Quoniam itaque perceptiones claræ atque distinctæ ad hoc sufficiunt, ut rerum perceptarum sibi conscia sit anima* [§. 11.]; *quin bruta quoque perfectiora sibi rerum perceptarum conscia sint, dubitandum non est.*

De brutis imperfectioribus, quæ unicum tantummodo habere videntur sensum, scilicet tactum, constat, quemadmodum & Perrault *loc. cit. observavit, ea tactu dignoscere, quæ nos eodem distinguere minime valemus, ut actiones ipsorum a subtilitate hujus sensus pendentes in admirationem rapiant naturæ contemplatores. Necesse igitur est ideas sensuales tactui respondentes multo esse clariores quam in hominibus. Enimvero cum homo sibi conscius sit tangibilium vi istius claritatis, quam ideæ suæ sensuales habent; non sine ratione colligitur animalia quoque imperfectiora sui conscia esse debere.*

Non verendum est, ne sic brutis tribuantur animæ spirituales; neque enim ad spiritualitatem sufficit apperceptio, seu ut subjectum percipiens perceptionum suarum sibi sit conscium [§. 643.]. *Si instes ex* Cartesianorum *principiis apperceptionem esse characterem spiritualitatis, objectionem insuper habemus, cum non auctoritate sed rationibus moveamur.*

2. Hactenus Cl. Wolphius, qui putat animas brutorum rationales non esse, & universalibus ideis formandis minime accommodatas, eo quod usu sermonis belluæ destituuntur. Quod ut melius intelligatur, exscribenda sunt ipsius verba, quibus §. 461. Psych. Rat. ostendere nititur sine usu sermonis ipsos homines usum rationis vix aut ne vix quidem consequi. *Usu sermonis facilitatur, atque amplificatur usus rationis: absque sermonis usu rationis vix conceditur. Usus enim rationis se se exerit ratiocinando* [§. 455.], *omnesque mentis*

tis operationes supponit (§. 456.) *Quamobrem cum in cognitione symbolica ratiocinia sint magis distincta, quam in intuitiva* (§. 369. *Psychol. Empir.*), *nec minus distinctiora sint judicia, si vocabulis efferantur, quam si absque eorum ope fiant* (§. 351. *Psychol. Empir.*) *imo in cognitione symbolica & acumen, & profunditas intellectus facilitetur, atque ostendatur* (§. 342. *Psychol. Empir.*), *usus quoque rationis vocabulorum usu facilitari debet*. Quod erat primum.

Jam porro notiones abstractæ, seu universales, quæ ab inferioribus abstrahuntur si ea, quæ ab alio abstrahimus, peculiaribus nominibus insigniuntur, non modo magis claræ atque distinctæ fiunt (§. 284. *Psychol. Empir.*), *verum etiam memoriæ facilius mandantur, & diutius retinentur* (§. 2?5. *Psychol. Empir.*), *ut adeo ad notiones magis abstractas pateat progressus, eædemque majori numero comparari, & in usum futurum servari possint. Idem cum dicendum sit de judiciis determinatis, quibus singulis sua respondet notio* (§. 320. *Log.*); *ea quoque majori numero memoriæ mandari possunt ut ad futurum usum in promptu sint. Enimvero quo quis plures notiones determinatas habet, & quo magis familiares eas experitur, eo amplior, & promptior est usus rationis* (§. 457.) *Sermonis itaque usu rationis usus amplificatur*. Quod erat secundum.

Quoniam denique in cognitione intuitiva notiones universales a singularibus non aliter abstrahi possunt, nisi quatenus successive dirigitur attentio ad ea, quæ in ideis duorum, vel plurium individuorum nobis simul occurrentibus eadem sunt (§. 326. *Psychol. Empir.*); *notiones generum, atque specierum completæ, atque determinatæ, quales definitionibus respondent* (§. 152. *Log.*), *& ad ratiocinandum solæ aptæ sunt* (§. 374. *Psychol. Empir.*), *tanta difficultate acquiruntur ut vix credibile sit, hominem sermonis usu destitutum, nec ipso vocabulorum usu ad attentionem successive in individuorum communia dirigendam excitatum, quicquam in studio notiones istiusmodi universales sibi comparandi proficere posse. Imo cum definitiones rebus sensui, vel imaginationi obviis* (*imo in cognitione symbolica intellectui quoque objectis*) *ad sua genera suasque species distincte reducendas inserviant* (§. 179. *Log.*) *applicatione illarum ad has per ratiocinium facta* (§. 356. *Psychol. Empir.*); *tanta profecto hic se se offert difficultas, ut jure dubites utrum ullus umquam mortalium sermonis usus expers generum, ac specierum notiones determinatas sibi comparaverit, quibus distincte agnitis determinationibus intrinsecis communibus ad suum genus, vel speciem suam res obvias reduxit. Similiter cum in cognitione intuitiva judicium absolvatur affirmativum si ea, quæ tamquam a re diversa spectamus, porro tamquam eidem inexistentia, vel ad eam quocumque modo pertinentia consideremus*. (§. 343. *Psychol. Empir.*); *in judiciis autem determinatis, qualia ad ratiocinandum requiruntur* (§. 360. 361. *Psychol. Empir.*), *idea subjecti continere debeat omnes determinationes, quibus prædicatum determinatur, & in eas simul attentio dirigenda* (§. 348. *Psychol. Empir.*); *non modo eadem difficultas recurrit, quæ de notionibus abstractis in cognitione intuitiva absolvendis modo proposita fuit, verum etiam inde augetur, quod prædicato respondens notio sæpe eandem difficultatem experiatur, semper vero molestiam creent determinationes, quæ eam ingrediuntur tamquam a re diversæ, mox tamen iterum tamquam eidem inexistentes spectandæ, ut adeo denuo dubites, utrum ullus umquam mortalium sermonis usus expers judicium aliquod universale determinatum formaverit, nec ne. Quoniam itaque in omni ratiocinio aut genus, seu species, aut prædicatum aliquod vel absolutum,*

vel

vel hypotheticum subjecto cuidam vindicatur (§. 370. *Psychol. Empir.*)*; quam sit difficile ratiocinium absque sermonis usu satis superque apparet, ita ut non immerito dubites, an ullus umquam mortalium absque sermonis usu distincte fuerit ratiocinatus. Quamobrem, cum usus rationis se se ratiocinando exerat* (§. 455.)*; vix credibile est, absque sermonis usu cuiquam concedi usum rationis.*

Idem quoque confirmatur a posteriori. Facit huc exemplum juvenis inter ursos educati, ad quod sæpius jam provocavimus. Describit idem Bernardus Connor *in Evangelio Medici art.* 15. *p. m.* 133., *& seqq., & hic a nobis commemorari meretur, tum ut supradictis plenior constet fides, tum ut præsens propositio clarius illustretur. Anno* 1694. *in nemoribus ad Lithuaniæ & Russiæ confinia sitis inter gregem ursorum captus est juvenis decem circiter annos natus adspectu horridus, pilis hirsutus, hominis loquelæ expers, imo ne vocis quidem humanæ compos, nec ullum rationis indicium præbens, pedibus, ac manibus instar ursorum incedens, vultum tamen humanum externaque nudi corporis figura hominem referens. Baptizatus, & in commercio cum hominibus degens levatis contra murum manibus tandem stare pedibus didicit, & dapibus humanis assuefactus post longum tempus feram naturam exuit, ac verba quædam rauca, & inhumana voce proferre cœpit. Cum jam de statu sylvestris vitæ interrogaretur, ejus non magis recordabatur, quam nos eorum, quæ acta sunt nobis in cunis vagientibus. Refert simile exemplum idem* Connor, *fide* Joannis Petri Van den Brande, *in aula Britannica Legati Batavi, qui hominem sylvestrem inter ursos captum An.* 1669. *ipsemet Varsaviæ vidit. Neque enim infrequens est, ut in Lithuania infantes ante fores vel prope sæpem, vel in agro ab incautis parentibus relicti ab urso famelico corripiantur, & in frustula discerpti devorentur. Quod si vero contingat ursam esse lactantem, infans captus ad ursile defertur, & una cum ursulis educatur. Quam diu adeo inter ursos degebat homo, nullus loquelæ usus ei fuit, etsi vocis organa non destituerentur naturali illa dispositione quæ ad loquelam requiritur; ea enim deficiente fieri non potuisset, ut postea inter homines loquelam didicisset. Quamdiu deerat loquela, seu sermonis usus, nec ignotæ eidem actiones a ratione pendentes imitationi esse poterant; nullis quoque operationibus intellectus locus erat, nullum rationis indicium se se præbebat. Quod vero in aliis, loquelæ expertibus, qui inter homines commorantur, cæca imitatione actionum in aliis a ratione pendentium imponi nobis possit, quasi rationis indicia præberentur, alio quodam non minus memorabili exemplo comprobatur, quod in historia Academiæ Regiæ Scientiarum Parisinæ Anno* 1703. *commemoratur. Etenim juvenis quidam a nativitate surdus, & mutus a parentibus Religioni Pontificiæ addictis edoctus fuerat ea omnia, quæ in externo cultu Divino observanda, veluti ut signo Crucis notaret frontem, os, & pectus, ut aquam benedictam seu lustralem faciei aspergeret, ut in genua procideret, & gestus precantis imitaretur. Cum casu fortuito auditus compos factus fuisset, sono campanarum in aures prope adstantis illapso, & quatuor circiter mensibus elapsis verba imperfecta fundere didicisset; non solum nullam de Deo, anima, & moralitate actionum ideam habere deprehendebatur a Theologis solerter examinatus; sed & eum numquam animum advertisse ad ea, quæ alios imitatus didicerat, multominus super iisdem reflexisse palam erat; contentus quippe simplici sensibilium ipsi oblatorum perceptione. Videmus itaque hominem sermonis usu minime pollentem, imitatum quidem fuisse ea, quæ vidit in aliis; sed absque omni attentione, absque reflexione, & absque omni prorsus*

sus rationis usu, quippe quem absque attentione, ac reflexione, dari minime posse negandum non est, cum attentione ac reflexione opus sit ad consequendas notiones universales, sine quibus nullus est rationis usus (§. 457.). *Ceterum patet, non modo hominem inter ursos educatum nullam edidisse mentis operationem, quamdiu sermonis expers fuit, sed & alterum inter homines educatum, & eorum actiones imitatum ab omni propemodum mentis operatione abstinuisse, quamdiu in eodem statu fuit. Unde satis conficitur, quanta sit necessitas verborum, vel aliorum signorum æquipollentium ad edendas mentis operationes. Unusquisque etiam in seipso experietur, quam sit difficile mentis elicere operationes absque vocabulorum usu, siquidem vim sibi ipsi inferre voluerit ad abstinendum a vocabulis, dum notionem universalem formare, dum judicare, dum ratiocinari intendit, veluti dum de negotio aliquo deliberat, & ipsimet experti sumus quam molestum nobis acciderit, ubi operationes mentis absque voablulorum, vel aliorum signorum æquipollentium usu absolvendas distincte percipere conati fuimus. Quod vero signorum ope præstari possint, quæ absque iisdem fieri impossibile est, nemo ignorat, qui in Algebra versatus præclarum illorum in operationibus mentis usum expertus est. Exemplo quoque esse potest* Arenarius Archimedis, *in quo luculenter docet quantus sit ad distincte percipienda convenientium terminorum usus, quæ alias facultates inferiores confundunt. Signa vero istiusmodi sunt vocabula quibus ad genera, & species rerum, seu entia universalia denominanda, & ad prædicata iisdem convenientia determinate enuntianda utimur.*

Facultates superiores, quasi sepultæ sunt, ut ne vestigium quidem ipsarum appareat, quamdiu nisi per commercium cum hominibus aliis excitentur. Quamobrem cum absque sermonis usu commercium istud propemodum nullum sit, absque eo facultates superiores ad agendum ne excitantur quidem, nedum exercentur quantum ad rationis usum sufficit. Qui ex anterioribus percepit, quid proprie sint facultates mentis, is non mirabitur homini sibi unice relicto, & ab omni commercio hominum sejuncto tam parum prodesse animam rationalem, ita ut absque eadem vitam, quam degit, agere posset, etiam si facultatibus inferioribus tantummodo gauderet, imo ubi inter homines degit, magis ipsi prodessent facultates solæ inferiores, quam inter animantia bruta commoranti prodesse possunt superiores: etenim in priori casu multa non infeliciter imitatur, quæ sine ratione affecuti non fuerant alii; in posteriori autem auxilio facultatum superiorum per se nihil assequitur. Unde patet non naturam, sed hominem hominem efficere rationalem, siquidem eum demum rationalis titulo dignari volueris, qui ratione utitur, quemadmodum communis fert usus loquendi, etsi incostantiam loquendi rejicientes ab ea discesserimus [§. 451.] *Citra tamen inconstantiam loquendi dici potest hominem efficere, ut homo utatur ratione, & ut eum rationalem esse appareat.*

Hactenus Wolphius, cujus sententiæ rationem attulimus §. 143. Log. Ex hoc vero colligit in brutis idearum universalium, & rationis defectum, eo quod carent distinctis vocabulis, aut aliis signis, quibus suas ideas aliis significent. Cum vero in animalibus aliqua ratiocinandi signa observasset §. 765. Psych. Ration., ut in cane, qui solitus baculo percuti, statim ac illud rursus attolli videt ab hero, recordatus se alias percussum fuisse, & similem casum expectans, vociferatur & fugit; in hoc non veram agnoscit rationem, sed aliquid rationi analogum, quod in expectatione similium casuum positum est.

3. Verum quæstioni a me propositæ hoc pacto non satisfit. Cum enim belluæ

luæ, uti canes & psittaci qui hominum utuntur consuetudine, organa habeant vocibus efferendis non inepta, quemadmodum is §. 759. suadet ex eo, quod ante plures annos quidam canis in Saxonia plura vocabula germanica & gallica bene pronuntiare poterat, & vulgo psittaci plures voces, immo integras propositiones efferre queunt, inquirendum restat, qua fiat de caussa, ut homines aliorum consuetudine utentes loquendi habitum, & illius adminiculo usum rationis paucis annis acquirant, belluæ vero, etiam si quis eas per plures annos instruat, acquirere nequeant. Id certe manifestum facit rationem non a corpore, sed ab ipsamet anima accersiri oportere. Quod vero attinet ad judicia & ad ratiocinationes, ex superioribus constat tales animæ actiones etiam in belluis esse, sed solum circa ideas singulares, in quibus liquet ex iis, quæ in antecessum disseruimus, veram fieri posse a belluis ratiocinationem, quin tamen aliquod sequatur incommodi circa discrimen, de quo hic agimus, animæ humanæ ab anima belluarum.

4. Rebus omnes in partes versatis nihil mihi ad verum magis accedere visum est, quam hujus discriminis rationem ab ea repetere differentia, quam inter has animas omnes agnoscunt cordati Philosophi qui ad propriam conscientiam, & ad ea, quæ in belluarum actionibus observantur, animum attenderunt. Nam anima prædita libera facultate suam cognitionem ad quamcumque rem velit, dirigendi & in una potius, quam in alia ex iis, quæ simul eidem repræsentantur, suam attentionem defigendi, potest hujus attentionis auxilio prius rerum singularium signa sive vocabula ediscere, dum ex. g. infans millies videt indicari nutricem, & simul audit vocem *nutrix*, & ob legem imaginationis atque memoriæ in se noscit excitari ideam imaginariam vocis *nutrix*, dum videt nutricem, & ideam imaginariam visionis nutricis, dum vocem audit §. 5. Log. Postquam vero edidicit plures rerum singularium voces cum suis ideis conjungere, & aliquantulum adolevit, ejusdem ope quit inter ea, quæ in pluribus rebus similia sunt, interque illa, quæ dissimilia, distinguere, ut supra explicavi, & notare vocabulo similibus explicandis idoneo, quorum vocabulorum usum ex Wolphio, & ex §. 149. Log. compertum fit adeo necessarium esse ad ideas universales & indeterminatas retinendas, & quando est opus, iterum excitandas.

5. Hic objici posset tantum abesse ut animæ libertas sit caussa, cur ideas universales, & inde pendentem ratiocinandi usum acquirat, ut potius eadem ab ideis universalibus, & ab usu ratiocinandi proficiscatur. Verum aliud est plena & perfecta libertas, qualis in adulto reperitur, aliud est quædam imperfecta, quæ in infantibus etiam exsistit. Illa plenum rationis exercitium & ideo notiones quoque universales tum aliarum rerum, tum præsertim boni & mali postulat; hæc autem solum aliquam rerum cognitionem, quæ per sensus acquisita fuerit, & insitam a Deo facultatem suam attentionem in hanc potius quam in illam dirigendi defigendique. Prima idcirco requirit ut in anima prius sint universales atque indeterminatæ notiones, & est earumdem effectus; altera vero ut solum ideæ singulares, & universalium notionum est caussa.

6. Sed quoniam cum hac quæstione necessitudinem habent, quæ Helvetius in pernicioso & merito diris devoto libro, qui inscribitur *l'Esprit... Paris* 1758., sermone primo differit, ipsius sententiam hic exponam iis verbis, qui-

bus eam complectuntur Cl. Auctores Diarii Bernensis inscripti: *Estratto della Letteratura Europea* tom. 4. anni 1758. pag. 134. „ Primi sermonis subjecta materia est demonstrare Physicam Sensibilitatem, atque Memoriam esse duas caussas, quibus omnes ideæ nostræ referuntur acceptæ. Primo capite aggreditur explicare principia, in quibus sui maximi ædificii fundamenta ponit. Etiamnum disputatur in scholis, quid sit spiritus; unusquisque suam expromit sententiam. Notio, quæ huic vocabulo subjicitur, eadem non est apud omnes. Inde fit ut alii alios difficulter intelligant. Spiritus itaque aut consideratur, tamquam facultatis cogitantis effectus, atque hoc sensu acceptus omnes hominis cogitationes complectitur; aut tamquam ipsamet cogitandi facultas, tuncque ad ipsius agnoscendam naturam necesse est effectrices idearum caussas investigare. Duæ sunt præcipuæ facultates, sive ut eas vocat auctor, *potentiæ patientes*, quas in nobis esse recognoscimus, omnium suffragio firmatæ. Prima est potentia diversas accipiendi impressiones, quas res externæ in anima gignunt, idque Sensibilitas Physica appellatur. Altera est potentia servandi impressiones, quas res externæ genuerunt, hæcque dicitur Memoria. Ex quo fit memoriam aliud non esse, quam continuatam sensationem, tametsi aliquantum remissam. Has facultates Auctor vult esse caussas idearum efficientes, quæ cum homini cum belluis communes sint, non valde magnam suppeditarent idearum copiam, nisi ab exteriori quadam organorum structura adjuvarentur. *Si natura* (sunt verba auctoris) *pro manibus digitisque flexibilibus nostra brachia pedibus terminasset equinis, quis dubitat futurum fuisse ut homines sine arte, sine domicilio, sine tutela adversus bestias essent, totique intenti curæ se nutriendi, & contra feras belluas muniendi, instar fugientium gregum. Nunc vero hic expendamus oportet, an hujus externæ machinationis adminiculo dictæ binæ potentiæ omnes nostras ideas revera gignant.* Quo loco in ancipiti linquens quæstionem, utrum substantia his prædita facultatibus sit materia, an aliquid a materia prorsus alienum (quam ob caussam, ut alias nunc taceam, primum Parisiis, deinceps Romæ liber fuit proscriptus) arbitratur Physicam Sensibilitatem atque Memoriam esse omnium idearum caussas effectrices. Immo cum auctor neget Memoriam esse facultatem a sensibilitate distinctam, id quod hoc capite conatur efficere, inde consequens est soli sensibilitati omnes ideas acceptas ferri oportere. *Jam vero posito principio* (concludit auctor) *omnes spiritus operationes positæ sunt in potentia, qua præditi sumus, cognoscendi similitudines, aut differentias, convenientias aut discrepantiam, quæ inter diversa objecta intercedunt. Ita fit ut hæc potentia aliud non sit, quam physica sensibilitas.* Verum id Auctori satis non est, atque ultra procedit, efficitque judicare idem esse, ac sentire. Revera judicium aliud non est, quam modo commemorata perceptio similitudinis, aut differentiæ, convenientiæ aut discrepantiæ rerum externarum. Quare si hoc est judicium proferre, judicare idem erit ac sentire. Scholæ, in quibus omnia nimis subtiliter dispiciuntur, Cl. Helvetio, qui ceteroquin suam valde firmis rationibus tuetur sententiam, de hoc principio litem intendent, propterea quod ipsæ magnum ponunt momentum in diversis modis, quibus sentimus, atque judicamus. Verum si hanc ad rem animum diligenter adverterint, profecto comperient judicium aliud non esse, quam ipsam per se sensationem, temetsi aliis acquisitam modis, ac acquiritur ea, quæ proprie sensatio appellatur. „

7. Ha-

7. Hactenus Diarii Bernensis auctores. Ceterum Hartleyus in libro in linguam gallicam ex Anglica verso ab Abate Juraino, inscriptoque: *Explication Physique des sens . . . à Reims* 1755. hanc eamdem sententiam defendit. Nam ut advertit Interpres in monito pag. 10., Hartleyus a solis sensibus repetit idearum originem, nec, ut facit Lochius, in consortium ascifcit reflexionem, sed arbitratur nostras ideas quamtumvis abstractas atque intellectuales, aliud non esse, quam sensualium idearum conjunctionem, & tom. 2. sect. 2. prop. 86. docet nostrum assensum atque dissensum, quæcumque sit eorum propria natura, in censum idearum collocari oportere, propterea quod reipsa aliud non sunt quam interiores illi sensus complexi, qui adminiculo legis imaginationis §. 255. Log. descriptæ, quam is vocat *association*, adhærent conjunctioni vocabulorum, quæ universe vocantur propositiones, speciatim vero affirmationes, aut negationes. Qua in doctrina nihil esse adversus animæ immaterialem naturam periculi laudatus Interpres advertit, si modo ex animis avellamus præjudicatam illam quorumdam opinationem, quod corpus sensationis fit capax, quam unam maxime omnium docet Materialistis favere, eo quod uno evertit ictu rationes omnes, quæ ad animam materiæ expertem monstrandam afferri possunt.

8. Ceterum ut ut hoc ultimum sit, de quo alias enucleate tractabimus, ajo distinguendum esse judicium intellectus a judicio voluntatis, sive perceptionem convenientiæ aut non convenientiæ subjectum inter & prædicatum ab assensu, aut dissensu, qui eam perceptionem sequuntur, quosque inter actus voluntatis esse numerandos in Logica §. 180. & seq. jam confecimus. Nam quod attinet ad primum, facilius admitti potest Hartleyi & Helvetii sententia, eo quod videtur per sensus & imaginationem non solum exhiberi res singulas, ipsas per se, verum etiam tamquam alias in aliis inclusas, aut alias ab aliis exclusas, sive tamquam convenientes, aut secus, cum in Logica jam ostenderimus §. 133. non res abstractas & simplices ipsas per se in anima depingi, sed concretas atque determinatas, cumque omnibus suis attributis conjunctas; & quemadmodum corpusculum quod exsistit, est una tantum substantia, sed pluribus affecta determinationibus, extensione, magnitudine, figura & similibus; ita corpusculi ideam, quæ in anima exsistit, esse unam tantum, sed pluribus affectam determinationibus atque differentiis. Ex quo apparet, attributa, quæ per sensus & imaginationem tamquam conjuncta, aliaque aliis inhærentia repræsentantur, ab anima percipi tamquam convenientia; quæ vero secus, tamquam non convenientia. Sed quod pertinet ad assensum atque dissensum, iterum distinguendum est inter eos, qui ab anima dantur propositionibus evidentibus, interque illos, qui obscuris. Nam cum primi necessarii sint, ut in Logica ostendi §. 217. a laudatis auctoribus dici posset eosdem per sensus & imaginationem proxime generari. Sed cum unusquisque experiatur se obscuris propositionibus posse pro suo nutu assentiri aut dissentiri, aut etiam inter utrumque actum manere ancipitem atque suspensum; eosdem non a sensibus, qui necessario in anima operantur, sed ab alia animæ libera facultate, qualis est voluntas, gigni oportere nemo non videt. Ceterum aliquas etiam ideas non a sensibus proxime, sed ab animæ vi reflectendi pendere jam docuimus in Logica §. 126., & adversus eumdem Helvetium atque alios auctores enucleatius infra docebimus.

9. Commemoratus Interpres in Commentario, quem de suo addit ad hæc

duo conficienda, primum animam hominis esse expertem materiæ, alterum eam esse classis longe & ut ipse loquitur, infinite superioris, quam sint animæ belluarum, inter alias differentias in ea maximum ponit momentum, quam supra statuimus esse præcipuam caussam, cur anima humana notiones acquirat universales, anima vero belluarum nequaquam. Cujus verba in latinam translata linguam hic juvat exscribere. „ Etsi belluæ pluribus videntur obnoxiæ passionibus earum, quibus homines afficiuntur, similibus, voluptati, dolori, lætitiæ, tristitiæ, amori, odio, iræ, zelotypiæ &c. non tamen constat eas habere facultatem harum vim superandi, immo nec minimam objiciendi resistentiam impressionibus, a quibus commoventur. Canes cum feriuntur, clamant, quia vehementem sentiunt dolorem. Sed possunt ne a clamando abstinere? Minime profecto. Contra homo bene sanus nequaquam clamat, cum feritur, eoquod ipsius anima sensui doloris resistit. Unusquisque sibi conscius est esse futurum, ut cum pungitur ad sanguinem mittendum, illo ipso momento quo pungitur, brachium vi machinæ ipsius retrahat, nisi anima resistat. Jam vero motus diaphragmatis aliorumque musculorum, qui ad clamandum necessarii sunt, ex aliqua parte pendent ab anima, quemadmodum & motus brachii. Ita cum homo feritur, aut pungitur, nec vociferatur, nec brachium retrahit, eoquod anima obnititur corporeæ machinæ actionibus. Contraquam in belluis usuvenit; quod argumento est eas carere virtute resistendi naturalibus impressionibus quæ extrinsecus adveniunt. Arripiunt quidem suam prædam, & multas exereent actiones eadem, immo & majori dexteritate, quam homines; ipsarumque machina suos exsequitur motus melius, quam nostra. Caussa vero est, quod nihil ejus turbat actionem, quum ipsarum anima sine ulla omnino resistentia obtemperet sensationibus, quas res externæ in eadem excitant, quod cum ideis abstractis careant, capaces non sunt illius reflexionis, quæ animæ nostræ dat virtutem resistendi motibus, qui liberum ipsius arbitrium prævertunt; quod ut uno verbo dicam, libertate carent sese dirigendi ad unam potius rem, quam ad alias, & impressioni validiori semper obedire coguntur. Homo e contrario voluntatem habet, qua se ipse per se determinare potest, & appetere, aut repellere unam potius rem, quam alteram, immo etiam contrariam, tametsi nulla mutatio in adjunctis observetur. Idem homo in quamplurimis actionibus tuetur agentem indifferentiam, idoneam resistendo non solum vehementioribus doloris impressionibus, verum etiam maximis voluptatis illecebris. Tandem homo fruitur libero arbitrio, quod quamvis aliqua ex parte labefactatum rebellione passionum, tamen satis etiamnum habet virium ad eas moderandas, regendas, imperioque subjiciendas rationis. „ Hactenus Interpres, qui ea quæ supra disseruimus, in majori collocat luce. Sed de libro Helvetii alias enucleatius tractabimus illudque docebimus ideas abstractas & universales & judicia de iisdem proxime a sensationibus non pendere.

AR-

ARTICULUS II.

De Memoria Intellectuali deque Habitibus.

§. 36. Quæstio

Lex imaginationis, ex qua pendet lex memoriæ §. 10. in eo sita est, ut si plura simul antea perceperimus, & deinceps idea unius aut per sensus externos aut per imaginationem reproducatur, continuo reproducantur etiam ideæ aliarum rerum, quæ simul antea perceptæ fuerunt §. 255. Log. Quæritur hic utrum hæc lex imaginationis atque memoriæ, quæ in eo solum differt a prima, quod per memoriam non solum ideæ reproducuntur, verum etiam recognoscuntur, sit proprie in solo cerebro, an vero etiam in anima tamquam in proprio subjecto reperiatur. Nam si primum verum est, anima ipsa per se nullam acquirit facilitatem transeundi ab alia idea ad aliam, sed ideo transit, quia reproducto in molli cerebri substantia primo vestigio, a quo prima idea in anima excitatur, statim reproducitur secundum, cujus virtute pariter secunda idea renovatur. Ex quo fit ut tota facilitas reperiatur in cerebri vestigiis, quorum alia post alia secundum leges motuum reproducuntur, & ope eorum etiam in anima & in ideis aliis post alias reproducendis esse videatur. Sin autem secundum, etiam nullo prius reproducto secundo vestigio anima transit sua vi a prima idea ad secundam, eoquod hanc facilitatem ipsa per se acquisivit.

§. 37. Propositio

Quibus explicatis ajo vere ac proprie exsistere in anima facilitatem reproducendi ideas aliquas, tamquam accidens quod in ea sit. Prob. Homines vere ac proprie acquirunt facilitatem reproducendi ac recognoscendi ideas universales, vel simplices, quas antea habuerunt, statim ac individuum aliquod sub universalibus contentum, quodque simplicia in se continet, vel vocabulum universalibus significandis ab hominibus destinatum in sensus externos, vel in imaginationem incurrunt; ex. gr. viso Petro, vel audito nomine *homo*, alius præ alio majorem habet facilitatem producendi ac recognoscendi ideas universales sub illo contentas generum atque specierum, ut hominis, animalis, viventis, corporis atque tandem simplicissimi entis, sive ab idea Petri alias atque alias differentias semper magis magisque vi mentis separandi, prout sæpius atque diutius cum idea Petri, aut nominis *homo* has ideas mentisque

tisque operationes conjunxit. Et revera Philosophi eas facile reproducunt ac recognoscunt, non vero quilibet e vulgo. Atque hæc facilitas reproducendi ac recognoscendi ideas universales & simplices, statim ac individuum, aut terminus qui iisdem ideis significandis est destinatus, in sensus incurrunt, vere & proprie in anima reperitur, & ab eadem comparatur. Nam per impressionem in sensibus factam, non reproducuntur nisi ideæ rerum singularium & compositarum §. 9. unde per impressionem in oculis factam a Petro, aut vel in auribus, vel in oculis a vocabulo *homo*, quod est aliquod singulare, nempe talis sonus, si proferatur, aut talis figura, si litteris exprimatur, non generantur nisi ideæ singulares Petri, & vocabuli *homo*. Igitur si his visis aut auditis mens aliquam facilitatem acquirit reproducendi ideas universales & simplices, easque recognoscendi, eo quod antea simul cum Petro & vocabulo *homo* species & genera in illo contenta percepit, hæc facilitas transeundi & quodammodo a singularibus & compositis ad universalia & simplicia ascendendi proxime non pendet a vestigiis in cerebro reproductis, sed vere & proprie in anima tamquam illius accidens est, ab eaque comparatur; eo quod si ab iis vestigiis ideæ universales & simplices proxime non reproducuntur, per vim & facilitatem animæ insitam reproducantur necesse est.

2. Quibus explicatur difficultas a Cl. Genuensi proposita in parte II. Elem. Metaph. defin. 1. §. 8.; immo ex hoc magis magisque mea confirmatur sententia. Quærit auctor quid sit illud, quod facit, ut anima reminiscatur, idest non solum denuo cognoscat res, quas antea cognovit, sed etiam percipiat se antea percepisse. Do itaque auctori per cerebri vestigia non reproduci nisi perceptionem directam rei antea perceptæ, non vero saltem proxime gigni cognitionem reflexam se antea illam habuisse cognitionem, quod est reminiscentia. Verum ajo mentem, dum aliquid per sensus percipit, duo cognoscere & objectum directe, & suam cognitionem reflexe, & si cum attentione & aliqua mora id agat, acquirere facilitatem transeundi a cognitione directa objecti, qualis per sensus in illa imprimitur, ad cognitionem reflexam suæ cognitionis, quæ a virtute mentis pendet. Inter cognitiones vero reflexas hæc etiam habetur; dum mens per aliquod tempus reflectit ad suam cognitionem, distinguit partes ante & partes post, sive tempus præteritum, & tempus præsens, idest cognoscit se aliquam rem percepisse. Quare si hæc idea reflexa *ego eam rem percepi* reproducatur per legem imaginationis, quam etiam in anima reperiri docuimus,

mus, exſiſtit reminiſcentia, ſive intimus ſenſus, quo cognoſcimus nos eam rem antea cognoviſſe.

§. 38. Definitiones & Corollarium

Ex his & ex iis, quæ §. 10. & ſeq. diſſeruimus, colligitur duplicem dari memoriam, alteram ſenſitivam, alteram intellectivam. Senſitiva eſt recognitio idearum, quæ per legem imaginationis, quatenus ejus fundamentum in cerebro eſt §. cit. reproducuntur: intellectiva autem eſt recognitio idearum, quæ per legem imaginationis, quatenus ejus fundamentum ſive facilitas etiam in anima eſt, reproducuntur.

2. Habitus eſt facilitas alicujus rei efficiendæ, quæ repetitis actibus comparatur. Habitus autem intellectuales ſunt facilitates cognoſcendi aliqua, in eo ſitæ, ut excitata in anima aliqua ex ideis ad quamdam materiam pertinentibus, facile reproducantur & recognoſcantur aliæ ideæ præſertim univerſales, quæ ad eamdem materiam pertinent. Hujuſmodi ſunt omnes ſcientiæ. Unde habet habitum ex. gr. Ontologiæ, qui ſtatim ac illi proponitur quidpiam ad eam pertinens, ut quænam ſunt prædicata cujuslibet Entis, recordatur eorum omnium, quæ ad id pertinent, nempe definitionum eſſentialium, attributorum, accidentium, modorum, atque diviſionum & enunciationum, quæ de his in Ontologia ſtatutæ ſunt.

§. 39. Propoſitio.

Habitus intellectuales, uti ſunt ſcientiæ, non reſident tantum in cerebro, ſed etiam in anima ipſa.

2. Quamvis a cerebri veſtigiis mirifice adjuventur, immo quamdiu anima eſt cum corpore juncta, ab iiſdem veſtigiis pendeant, adeout ſine iis exerceri non poſſint.

3. Prob. 1. pars. Habitus intellectualis eſt facilitas reproducendi & recognoſcendi ideas præſertim univerſales ad aliquam pertinentes facultatem ſtatim ac aliqua ex ideis ad illam pertinentibus in mentem incurrit §. 38. Atqui hæc facilitas reproducendi atque recognoſcendi ideas univerſales vere in anima tamquam ejus accidens reperitur §. 37. Ergo &c.

4. Prob. 2. pars. Non poteſt anima reflectere ad ideas, eas inter ſe comparare, & aliquas ab iiſdem differentias ſua vi ſeparare ad ideas univerſales eliciendas, & alia circa eaſdem præſtare, niſi prius in anima exſiſtant hujuſmodi ideæ; uti non poteſt homo circa corpora quidpiam operari, niſi præſto ſint corpora. Atqui rerum ſingularium ideæ non ingrediuntur in animam niſi per ſenſus externos, & in ea non conſervantur niſi per ſenſum internum, ideſt

per

per vestigia cerebri, quæ perpetuo excitantur §. 20. & seq. Ergo quamdiu anima est corpori juncta, non potest sine vestigiis cerebri, a quibus ideæ pendent singulares aut rerum, aut nominum, quæ ad aliquam scientiam pertinent, retinere habitum sive facilitatem reproducendi ideas universales, quæ ad eam spectant, ad easque reflectendi.

5. Id confirmatur notissimis eorum experimentis, in quibus, ob gravissimum morbum, aut aliquod vulnus, offenso cerebro, memoria integrarum facultatum ita deletur, ut nihil aut fere nihil eorum, quæ ante didicerat, quis recordetur. Ex quo colligitur tale inter animam & corpus esse commercium, ut deletis aut impeditis cerebri vestigiis facilitas ab anima acquisita exerceri non possit.

6. Ex his vero etiam constat a cerebri vestigiis habitum mentis mirifice adjuvari; eo quod quo cerebrum rectius dispositum est, vestigia rerum singularium & nominum facile recipit, diutius conservat atque tuetur, & pro data occasione renovat & eorum ope excitat in anima earumdem rerum singularium ac vocabulorum ideas; iis vero excitatis præsertim vocum mens ob facilitatem jam acquisitam ideas quoque universales iisdem respondentes reproducit ac recognoscit.

§. 40. Objectio adversus 1. partem & Responsio.

Quidquid exsistit in mente quæ est simplex, debet quoque esse simplex. Atqui habitus integræ scientiæ non est simplex. Ergo habitus integræ scientiæ nequit exsistere in mente tamquam ejus accidens sive affectio. Pro. min. Cum in qualibet scientia multa sint cognoscenda, habitus integræ scientiæ constare debent ex multis multarum rerum cognoscendarum facilitatibus. Atqui quod constat ex multis facilitatibus, nequit esse simplex. Ergo &c.

2. Dist. min. Quod multis constat facilitatibus, nequit esse simplex, idest excludens partes distinctione reali minori quam maxima discretas co. excludens partes distinctione reali maxima discretas ne. Nam substantia simplex, uti anima, non est percipienda uti punctum inextensum, quemadmodum ab aliquibus idea prorsus fallaci & imaginaria percipitur, carens omnibus omnino partibus etiam potentia & virtute distinctis. Tunc enim esset purus modus, quemadmodum est punctum §. 73. Ontol. non vero substantia. Et sane corpusculum primitivum est simplex, quia excludit partes distinctione reali maxima distinctas, & ideo in partes nec a Deo potest dissolvi §. 78. Ont., attamen plures, immo infinitas habet potentia,

tentia, quatenus pluribus immo infinitis aliis prorsus distinctis corpusculis potest exæquari, §. 84. Ontol. Cum vero anima sit valde perfectior corpore, ipsa in se quamvis extensione carens, ut infra docebo, multo plura, quam corpus, non tamen distinctione reali maxima discreta contineat, & omnes corporum perfectiones sua virtute superet necesse est. Quare mirum esse non debet, si multa accidentia eodem tempore in anima tametsi simplici exsistere possunt. Et revera nonne anima eodem instanti plura percipit & etiam vult? Non potest enim intelligere, ut revera intelligit, relationes, nisi saltem duo, quorum aliud ad aliud refertur, eodem momento percipiat. Ex quo fit ut neque mirum esse debeat, si multæ multarum rerum facilitates, quales ad habitum integræ scientiæ formandum necessariæ sunt, in anima simul reperiantur, & potius mirum videri debet, quod ex animæ simplicitate colligi posse Cartesiani crediderint, habitus intellectuales in anima non reperiri.

§. 41. Instantia & Responsio

Atqui habitus integræ scientiæ nec est ita simplex, ut partes distinctione reali maxima discretas excludat. Ergo &c. Pro. min. sub. Si habitus foret ita simplex, ut &c. non posset interire. Atqui patet experimentis & observationibus habitus scientiarum interire. Ergo &c. Prob. maj. Quidquid est simplex, non potest corrumpi §. 171. Ont. Ergo &c.

2. Dist. ant. Quidquid est substantia simplex, non potest interire & corrumpi co. quidquid est accidens substantiæ simplicis ne. Nam substantia quidem simplex, uti docui loco citato, corrumpi non potest; at accidentia substantiæ simplicis, uti sunt habitus ab anima acquisiti, corrumpi queunt ab aliis determinationibus & accidentibus, quæ superveniant, si hæc cum prioribus componi non possint, vel quia contraria sunt, quemadmodum vis motrix versus occasum est contraria vi motrici versus ortum in corpore, & ideo altera alteram perimit; vel quia in substantia finita, qualis est anima, infinita esse nequeunt, sed tantum aliqua numero determinata. Id autem usuvenit in anima nostra; scientiarum obliviscimur, sive amittimus facilitatem reproducendi ac recognoscendi ideas, quæ ad aliquam scientiam pertinent, cum per longum tempus ab iisdem ideis reproducendis abstinemus, propterea quod interea mens nostra non otiatur, sed a rebus externis in sensus perpetuo incurrentibus semper novas acquirit, & hoc pacto alios habitus, quibus priores corrumpuntur.

§. 42. Instantia & Responsio

Si habitus scientiarum forent accidentia animæ, interire non possent ob eas caussas, ob quas interire observamus. Ergo &c. Caussæ, ob quas aliquando perimuntur, sunt morbi capitis etiam breves, dummodo acutissimi; atqui ob hujusmodi morbos corrumpi non possent, si in anima forent tamquam ipsius accidentia. Ergo &c. Pro. mi. Morbus corporis potest afficere corpus & cerebrum, & vestigia in eo delere; non autem afficere animam, & facilitatem ab illa acquisitam corrumpere. Ergo &c.

1. Dist. ant. Morbus corporis non potest afficere animam, & facilitatem ab illa acquisitam corrumpere tamquam caussa efficiens co. tamquam occasionalis ne. Nam universe ostendimus in Ontol. §. §. 237. 254. substantiam creatam in alia substantia creata non posse operari, nisi tamquam caussam occasionalem, & multo magis id amplectemur in explicando, quod observationibus compertum sit, cur anima operetur in corpore, & corpus in anima. Unde mirum esse non debet, si acutissimi corporis morbi præbeant Deo occasionem destruendi habitus, sive facilitates, quæ ab anima acquisitæ fuerunt.

2. Quamquam ad syllogismum §. 41. n. 2. potest ita distingui proposita minor quæ tamquam pro absolute vera habita fuit: patet observationibus habitus interire quod pertinet ad eam ipsorum partem, quæ in cerebro est co. quod ad illam, quæ in anima ne. Nam ad habitum scientiarum duo requiruntur, facilitas reproducendi ideas singulares rerum, & nominum §. 39. & facilitas transeundi ab hisce ideis singularibus ad universales & indeterminatas §. cit. Prima est in cerebro, & posita est in facilitate reproducendi ejusdem vestigia, quibus ideæ singulares in anima respondent; secunda vero est in anima, sed pendet a prima & exerceri non potest, nisi prius in anima ideæ singulares excitentur. Quamobrem etsi a morbis corrupta facilitate, quæ in cerebri vestigiis posita est, non corrumperetur facilitas, quæ in anima; tamen quia hæc exerceri non posset, perinde foret, ac si esset corrupta. Ergo ex observationibus colligi tuto non potest facilitates ab anima acquisitas a morbis aut ab alia caussa corrumpi.

ARTICULUS III.

An anima in cognoscendo patiatur, vel agat.

§. 43. Propositio

ARticulo primo jam vidimus quaenam sint ideae, quae a sensibus & imaginatione, sive a parte animae inferiore proficiscuntur, quaenam vero quae ad superiorem pertinent. Quaeritur hic an anima in hisce cognitionibus patiatur an agat. Cui quaestioni ut satisfaciam, haec statuo: anima in cognitionibus partis inferioris patitur, in cognitionibus autem superioris agit. Nam passio est illa mutatio status, cujus mutationis ratio extra subjectum est, actio vero est mutatio, cujus ratio est in subjecto, quod statum mutat §. 33. Ontol. Atqui in cognitionibus partis inferioris anima statum mutat; nam transit a statu, in quo non habet ideas, ad statum, in quo illas acquirit; hujusque mutationis ratio extra animam est; siquidem non potest in ideis acquirendis mutare statum nisi vim accidentalem a Deo recipiat, ut docui §. 42. Ont., ideoque nisi patiatur, quia creationis vis ratio est in Deo, non in anima. Ergo in cognitionibus partis inferioris, sive in ideis formandis anima patitur, easque ideas extrinsecus accipit. Postquam vero has ideas accepit, seu vim, qua illae in anima imprimuntur, potest pro suo nutu ad easdem attendere & reflectere, alias cum aliis conjungere, alias ab aliis separare, & similia circa ideas per vim acceptam praestare, ut §. 30. ostendi. Ergo in ideis, quae pendent a reflexione, & ad superiorem pertinent intelligendi partem, anima vere mutat statum per rationem & vim in ipsa sitam, atque idcirco operatur & agit.

2. Quod confirmatur ex eo, quia si omnes nostrae mentis ideas, ut fecit Lochius in libro *Essai de l'Entendement*, percurramus, comperiemus omnes ideas, quibus afficimur, quod attinet ad substantiam, ingressas esse per sensus externos, nullamque novam ab anima per se sine sensibus fuisse productam, eamdemque alia nulla donatam esse vi, nisi ad eas, quae per sensus illapsae sunt, se applicandi, easdem dividendi, idest earum, quae simul ingressae sunt, aliam seorsim ab alia considerandi, easdem componendi, idest quae seorsim intrarunt, in unum colligendi, & uno verbo ideas per sensus illapsas alia atque alia ratione disponendi. Ex quo fit ut anima circa ideas absolutas aliam non habeat facultatem, quam ho-

mo circa corpora, qui ne unum quidem corpusculum quod attinet ad substantiam, gignere potest, sed solum ea, quæ a Deo creata sunt, alio atque alio modo conjungere. Revera si quis careat sensu oculorum, nullam visionis & colorum ideam habet, sibique formare potest in tantum, ut quidam Clericus Regularis Januensis, dictus Ardizzoni, cœcus a nativitate, cum esset Philosophiæ Professor omnes negaret colores, iique pariter ab ortu cœci, quibus cataractæ in utero matris adnatæ fuerunt, & post aliquot ab ortu annos detractæ, de quibus mentionem faciunt Buffonius tom. *6.* pag. 11. *Hist. Nat.* & Hallerus in adnot. ad *Prælect.* Boeravii *de Visu*, sint fassi numquam se antea iis ideis, quas visu acquisiverunt, informatos fuisse, idque confirmarint particulari quadam & valde a communi diversa videndi ratione, quam alias ad examen vocabimus. Simile usuvenit in iis, qui surdi nati sunt, & repentino aliquo strepitu auditum adipiscuntur, ut contigit illi surdo, cujus meminit Hist. Acad. Reg. Scient. Paris. ad annum 1703, cui campanarum sonus in aures repente illapsus audiendi facultatem donavit.

§. 45. Objectio & Responsio

Ideæ sensuum sunt ideæ, quibus hic mundus animæ repræsentantur; sed anima secundum Leibnitium & Wolphium habet vim repræsentandi sibi mundum, & quidem essentialem. Ergo in ideis sensationum & partis inferioris non patitur, sed per vim sibi propriam & insitam agit. Prob. min. proprietas substantiarum est vis. Ergo &c.

2. Dist. ant. Proprietas substantiæ increatæ co. creatæ ne. Concedo itaque substantiam increatam, sive Ens a se habere vim essentialem, eoquod ab alia substantia eam tamquam accidens accipere nequit, §. 253. Ont. At nego hanc essentialem vim cadere in substantias creatas, idque ob rationes, quas §. 42. & seq. Ont. attulimus, cum probandum assumsimus vires animarum & corporum esse prorsus accidentales. Quo corruit propositum argumentum.

§. 45. Instantia & Responsio

Atqui hæc vis est essentialis, non autem accidentalis. Ergo &c. Prob. min. sub. anima hanc vim aliunde non accipit. Ergo &c. Prob. ant. Si anima aliunde hanc vim acciperet, in ipsa sensationum ideæ non excitarentur, nisi cum respondentes impressiones in sensibus fiunt. Atqui in somno ideæ sensationum in anima excitantur, tametsi respondentes in sensibus impressiones non fiant. Ergo &c.

2. Dist.

2. Diſt. maj. niſi cum reſpondentes impreſſiones in ſenſibus externis fiunt ne. niſi in ſenſibus internis co. Nam ut dixi §. 10. dum res externæ externos commovent ſenſus, illa commotio ad cerebrum uſque quod eſt ſedes ſenſuum internorum, defertur, ibique veſtigium aliquod relinquit. Hæc autem veſtigia ſi ob legem imaginationis denuo excitantur, in anima exſiſtunt ideæ quædam ſed obſcuriores rerum ſenſibilium, quæ in ſomno ob rationes §. 17. allatas fiunt claræ perinde ac ſi objecta in ſenſus externos reipſa incurrerent. Quamobrem ab hiſce cerebri veſtigiis, quæ in ſomno ita fortiter commoventur ac ſi res externæ ſenſus afficerent, Deus occaſionem ſumit, ideas ſenſationum in anima excitandi. Igitur ea vis repræſentandi mundum ſive formandi ideas ſenſationum extrinſecus advenit.

§. 46. SCHOLION IV.

His quod pertinet ad cognoſcentem animæ facultatem ea ſtricta & jejuna ratione, quam ſcholæ poſtulat inſtitutum expoſitis, aliqua uberius & accuratius tractanda ſunt. Ac primo nonnulla ſunt animadvertenda circa illam quæſtionem, quam §. 40. tetigimus, utrum mens eodem tempore pluribus ideis affici, pluraque cogitare poſſit. Nam auctor adnotationum ad Prælect. Acad. Boeravii adnot: 2. ad §. 584: affirmare videtur nos eodem tempore non poſſe niſi unam tantum ideam cogitare. *Non cogitamus* (ſunt ejus verba) *eodem tempore, niſi ideam unicam, & uni ideæ continuo ſuccedit altera, inenarrabili equidem velocitate, quæ tamen in diverſis hominibus diverſa eſſe videtur. Sed ſuccedit tamen altera, & diſtinguitur, ſi ſuccedit, quando prior idea ſtadium ſuum abſolvit: non diſtinguitur, quando prior ſuccedit quam altera evanuerit DXLI: 2. Plura ſimul cogitare forte Angelorum eſt, & omnia una cogitare Dei. Vis demonſtrationum, cogitationes noſtræ, adultorum, omnes verbis comprehenduntur; verum duo verba non magis mentaliter ſimul pronunciamus quam organorum ope. Demonſtrationum vero rapiditas in eo eſt, quod memoria noſtra retineat priorem proxime propoſitionem ſub veri ſpecie; ita dum de undecima propoſitione cogitamus, in decimæ veritatem non inquirimus, verum omnia prius demonſtrata collecta babemus pro uno Axiomate.* Loche 11. c. 14. Et num. 1. hæc habet. *Ideæ quæ ad ſcientias pertinent, fere complexæ ſunt. Notiones peculiares, quæ bas ideas efficiunt, deſtruit ſuccedens unda aliarum idearum; debilitatur ergo & evaneſcit paulatim ea idea, quam per omnes ſuas partes cognoſcere & memoriæ mandare intereſt. Id ergo faciendum, ne unda aliarum cogitationum ſuccedat. Hoc libertatis eſt, & prima, ni fallor, notio libertatis, qua una cogitatio præfertur alteri.*

2. Verum eodem prorſus tempore nos pluribus affici ideis, & plura non ſolum directe, verum etiam reflexe cognoſcere certiſſimum eſt, tametſi fortaſſe non eadem omnino intenſione ad plura ſimul attendamus, quod forte voluit citatus auctor, dum nos plures ideas ſimul cogitare negavit. Nam primo ſecundum ea, quæ de duratione ſenſationum per aliquod tempus §. 254. Log. monuimus, is hæc ſcribit loco a ſe in primo textu citato ſcilicet num. 2: ad §. 541., ſed prius exſcribenda eſt Halleri adnotatio, cui hæc altera appicta eſt.

est. Oculus non videt eodem tempore plus quam unum objectum. Hoc quidem multis insigniter paradoxum videbitur, cum verissimum sit & quilibet in propria visione id sibi demonstrare queat. Sume librum: totum, inquies, video; sed lege: non potes simul totius paginæ lineas legere, verum aliam distincte videbis, aliam confuse; sed neque unam lineam: nam & ibi in una serie alias literas languide videbis, alias vividius; adverte animum, unica litera est, quam vere vides, quam distinguis, ut accurate legere possis; reliqua omnia vides sed confuse. Sit granum sabuli, uno pede remotum vides, clare vides, quando id unum respicis; attamen ajo te non totum distincte videre sabuli granum, partesque ejus grani tunc demum luculenter mente percepturum esse, quando in unum punctum hujus grani oculum figis. Quare videmur nobis multa simul videre? quia oculus mirabili velocitate multa citissime percurrere natus est; neque enim objecta sensuum continuo evanescunt, neque prima litera ideo tibi perit quod ad alteram melius advertis; manet aliquamdiu cum nova imagine prior & videtur una nata esse. Si baculum trium pedum longitudine in fine ab igne candentem, loco tenebricoso, ad sex pedum ab oculo distantiam rotaveris, non punctum igneum videbis, cum tamen extremus baculus sub puncti specie revera visibilis sit, sed integrum circulum igneum. Prima nempe imago manet in oculo, donec accedat altera recentior. Pueri turbinem rotant rubente macula, tunc flagello agitant ut velocissime circumrotetur: tunc autem totus turbo ruber apparet, quia valentior color solus superest, donec alio, & alio in situ nova ejus sensatio accedat. Adeo verum est, nos non plura simul distincte videre, sed falli mentem a durabilitate imaginum, & velocitate summa mobilissimi oculi, ut una credat apparere sibi, quæ re vera successive sub visum veniunt. Hactenus Hallerus, ad cujus verba num. 2. hæc appingitur adnotatio. *Consentiunt plerique Physici, & Plem. IV. Prob. 20. Vide Mariotte I. c. p. 524. Porterfields III. p. 186. Newtonus p. 123., qui durationem sensationum ad unum minutum secundum definit. Quer. n. 16. Exemplum titionis habet olim Boethius. Deinde radii colorati rota circumacti uniti videntur, cum candorem efficiunt. Philos. Transact. abridgm. Tom. I. p. 152. Ita porro colores a vehemente luce visi, diu oculo præsentes supersunt. Mariotte p. 318. maxime solis imago Hamberger 1. c. p. 106. immo aliquando fenestrarum matutino tempore, clausisque palpebris. Mariotte p. 319. In auditu idem verum est, ut inferius demonstrabitur.* Quibus ex utroque loco excerptis planum est aliam in anima sensationem ante imprimi, quam prima evanescat. Hac de caussa fit, ut semita a titione celeriter ducto percursa tamquam vitta rubri coloris continuata videatur, quia prius sensationes ad omnia consequentia semitæ puncta pertinentes in anima excitantur, quam dispareat sensatio ad primum pertinens punctum, unde titio profectus est. Ergo diversæ sensationes, utpote quæ ad diversa loci puncta referuntur, in anima possunt haberi, & quidem cum reflexa ad easdem cognitione, eo quod facile est advertere se illam vittæ continuatæ ideam percipere. Quod si quo tempore visio aliqua perstat, eo strepitus aliquis auribus obstrepat, sapor aut odor vellicet linguam aut nares, & corpus aliquod tactus papillas afficiat, quidni has omnes sensationes anima simul percipiat? Expectandum ne ipsi est minutum temporis, quo cesset visio & aliæ sensationes succedant?

3. Deinde mens relationes inter duas distinctas ideas, atque distinctis rebus repræsentandis comparatas cognoscit; id autem facere non potest, nisi utram-

que

què ideam & rem eodem prorsus momento cognoscat. Quod perspicuum fit etiam ex virtute, qua prædita est, ratiocinandi; fac hominem claussis oculis duci in cubiculum sibi ignotæ domus, ex quo prospectus in ædes vicinas non sit. Is apertis oculis se esse in tali cubiculo videbit, & nihil aliud; sin autem dum ducitur, videat & cognoscat domum, in quam ingreditur, & inde in cubiculum ejusdem pariter apertis oculis deducatur; duas is eodem tempore cognitiones habebit, alteram visionis, quia videt se esse in cubiculo, alteram imaginationis & memoriæ, quia recordatur cubiculum esse in tali domo, & ex his duabus tertiam eliciet, quia infert se esse in tali domo. Ex quo fit ut is eodem tempore tres ideas absolutas habere debeat, sui, cubiculi & domus, & tres respectivas inclusionis sui in cubiculo, cubiculi in domo, & sui pariter in domo. Neque vim hujus rationis elevat qui ait, dum anima rem cogitat unam, aliarum retinere memoriam. Memoria enim non solum est simpliciter cognitio cujusdam ideæ, verum etiam major cognitio. Siquidem ope memoriæ non solum ideæ, quas antea habuimus, reproducuntur, & ideo præsentes animæ fiunt, verum etiam recognoscuntur, sive memoria fit, ut cognoscamus nos easdem ante habuisse. Ergo certissimum est in cognoscendis relationibus inter plura distincta, aut in efficiendis ratiociniis nos plures easque distinctas ideas & ad diversas facultates, uti visionis & imaginationis, pertinentes, distinctisque rebus, ut cubiculo & domui, repræsentandis accommodatas eodem tempore habere.

4. Verum hic aliquis fortasse dicet, considerata quidem origine plures esse in anima eodem tempore ideas, sed in unam coalescere; quemadmodum plures quidem vires motrices cum corpore possunt communicari, sed iis corruptis, quarum effectus prorsus contrarii sunt, & eodem tempore generantur, residuas coalescere in unam, & versus unum tantum punctum determinatas, eo quod sicuti in corpore esse nequeunt motus versus contrarias plagas, ita nec simul reipsa inesse vires quæ in contrarias partes dirigantur. Quod suaderi potest ex celebri experimento supra relato septem primitivorum lucis colorum, qui in rota gradatim depicti fuerint, quique rota velociter circumacta non suos quique sensationes, sed solam albi gignunt. Cum vero ex altera parte color albus ex reflexione ad oculum omnium septem radiorum oriatur, & ex altera ob celerem motum singulorum septem colorum rotæ omnes ante gignantur, quam primi sensatio in anima corrumpatur num. 2., videtur singulas quidem septem sensationes in anima gradatim fieri, sed ob omnium eodem tempore factam impressionem in unam albi coloris convertere. Id vero est consentaneum iis, quæ accurate disputat Hartleyus in libro inscripto: *Explication Physiq. des sens* tomo 1. tota sectione secunda. Vult enim ideas omnes complexas etiam intellectuales compositas esse ex pluribus ideis sensationum atque imaginationum, quæ in unam coeunt, quemadmodum ex septem sensationibus septem colorum generatur unica tantum coloris albi sensatio. Cujus sententiam hic exponere juvat, sed paullo aliter, quam is fecit. Primum in allato experimento non fiunt in cerebro septem distinctæ impressiones; sed ex iis eodem tempore in cerebro conjunctis exsistit certa quædam impressio, quæ ex omnibus est temperata. Deinde in anima respondet una pariter tametsi composita idea, quæ ex omnibus septem est temperata, eoquod pro ratione diversarum in cerebro impressionum sensationes quoque in anima impressæ diversæ sunt. Quod in sen-

sensationibus accidit, cadit etiam in imaginationes. Nam vestigia in cerebro relicta miris variisque modis inter se conjuncta sunt; postquam anima cogitandi habitum acquisivit. Quare non solum fit ut ad unius renovationem alia quoque excitentur, sed gradatim, sive alia post alia, & ita lente, ut primum jam fere evanuerit, cum alterum succedit. Sæpissime vero contingit, ut quia unum tantum vestigium cum pluribus conjunctum est, quia cum pluribus, idest modo cum una serie, modo cum alia in antecessum fuit conjunctum, eodem, aut fere eodem tempore plura excitentur vestigia, ex quibus unicum ex omnibus coalitum exsistat. Cum primum usuvenit, singulæ imaginationum ideæ in anima imprimuntur, ab eaque distinguuntur, eoquod consequentes in anima generantur tum cum antecedentes jam evanuerunt, eo quia etiam inter vestigia, a quibus originem ducunt, talis successio reperitur. Sin autem secundum, ex unica cerebri impressione, quæ ex pluribus coalita fuit, unica pariter exsistit in anima imaginatio, quæ tamen ex pluribus composita est. Quæ complexæ imaginationum ideæ, si ex simplicibus nimium multis coalescant, tam sunt ab iis diversæ, ut valde parum similitudinis intercedere videatur inter compositas, & componentes ideas imaginationum, & multo minus inter easdem componentes, & ideas sensationum, a quibus imaginationum ideæ traxerunt originem. Cujus ratio in eo est, quod quamlibet particularem ideam longe excedit summa omnium aliarum, simul ac copulatæ fuerunt. Similiter fit, ut in medicinis valde compositis proprii evanescant sapores singulorum aromatum, eo quod ab aliis omnibus quilibet superatur in tantum, ut in eadem medicina sit sapor quidam proprius, qui originarius esse videtur & simplex, atque similis sapori corporum naturalium. Ob eamdem rationem vulgus putat colorem album esse simplicissimum & minime omnium compositum, tametsi ex omnibus septem, eorumque omnium umbris & gradibus certa quadam proportione temperatis coalescat. Ex quibus auctor hæc colligit prop. XII. corol. 2. „ Ob hanc caussam sperari potest fore, ut si conjunctionis idearum doctrinam persequamur ac perficiamus, aliquando possimus omnem hanc copiam idearum, quæ reflexionis nomine intelliguntur, ac intellectuales ideæ vocantur, resolvere in ideas sensationum, quæ ipsis occasionem præbuerunt. Id quod valde arctam haberet necessitudinem cum arte scribendi, atque resolvendi colores luminis solis, aut corporum naturalium in suos primitivos. Intellectuales ideæ, de quibus hic sermo est, universe excitantur aut vocabulis, aut rebus sub aspectum cadentibus; sed conjunctæ sunt etiam cum aliis externis impressionibus, atque ab iis tamquam ab ipsarum symbolis pendent. Quoquomodo a nobis considerantur, earum successiones, quæ menti se sistunt, pendere videntur a præsenti corporis statu, ab externis impressionibus, & ab influxu residuo primarum impressionum, & consociationum, quibus una copulentur. „ Hactenus citatus auctor, qui ob ea, quæ hic ab ipso disputata fuerunt, alio ejusdem libri loco, quemadmodum advertit interpres in monito pag. X. solis sensibus omnes ideas etiam intellectuales fert acceptas, nec ad earum originis explicationem, cum Lochio reflexionem in societatem ascifcit.

5. Ut exponam quid sentiam in tam difficili ac lubrico loco, primum adverto ad hanc plurium sensationum in unam concretionem non solum desiderari ut singulæ cerebri impressiones, quibus singulæ sensationum ideæ in anima respondent, eodem tempore fiant, & in unam ex omnibus compositam coa-

coalescant, verum etiam ut fiat ejusdem speciei. Nam si quo tempore colorem ex. gr. rubrum video, vocem audiam alterius loquentis, cibum deguftem, odorem naribus percipiam, & manu frigidum corpus contrectem, sensationem rubri coloris ne tantillum quidem ab his omnibus sensationibus, aut aliam quamdam ab aliis, quæ synchronæ sunt, variari comperio. Immo ne in impressionibus quidem ejusdem sensus, si modo sint diversæ speciei, id possum animadvertere. Nam sensatio rubri coloris eadem profecto est, cujuscumque figuræ sensationem eodem tempore habeam, ut colligitur ex eo, quod sensatio illius eadem manet, sive corpus rubro colore tinctum sit rotundæ figuræ, sive quadratæ, sive alterius cujuslibet. Sed quod maxime est attendendum, ne in iis quidem, quæ sunt ejusdem speciei, id universe contingit, si rerum, quæ sensationibus repræsentantur, natura non patiatur, ut in unam ex pluribus compositam coalescant. Nam ex. gr. sensatio in anima impressa figuræ circularis ne minimam quidem subit mutationem ex eo, quod eodem tempore sensatione afficiar quadratæ circulo inscriptæ aut circumscriptæ. Quare doctrina plurium sensationum, quæ in unam coalescant, cadere solum videtur in eas, quæ & sunt ejusdem speciei, & diversæ gignuntur pro diversa impressione, quæ in sensibus fit. Quod ut declarem, repeto allatum figurarum exemplum & ajo ideas repræsentantes figuras aut circularem, aut quadratam, aut aliam quamcumque, sive claræ utcumque sint, sive obscuræ, idest utcumque intensæ, aut remissæ, easdem prorsus manere, quod attinet ad naturam figuræ, quam quæque exhibent, repræsentandam. Quamobrem conjunctione plurium hujusmodi sensationum ad summum fieri potest, ut singulæ minus claræ & intensæ sint, eoquod anima a pluribus distrahitur, non vero ut in unam coeant, quæ figuram exhibeat ex pluribus ita coalitam, ut quid singulæ sint, vix dignoscatur. At in coloribus res aliter accidit; sensationes septem colorum diversæ sunt, & tamen non oriuntur nisi a radiis diversæ vis & aliæ aliis sunt intensiores; maxime intensa est sensatio rubri, minime omnium intensa violacei, reliquorum magis vel minus intensæ sunt, pro ut minus absunt ab alterutro ex dictis coloribus. Et revera ex minima refrangibilitate radiorum, qui gignunt colorem rubrum, eos esse donatos maxima vi perspicue colligit M. Newtonus; ex minima radiorum, qui violaceum, eosdem minima cieri vi; ex minori vel majori radiorum, qui interceptos generant, eos pollere majori, vel minori, prout a rubro vel violaceo minus absunt. Quid ergo mirum si ex impressionibus singulorum radiorum in cerebro conjunctis, & ex sensationibus eodem tempore in anima genitis exsistat sensatio a singulis diversa, & ex singulis temperata? Idem contingit in sonis, in saporibus, in odoribus, & in qualitatibus, quæ ad tactum pertinent, ut in mollitie & asperitate, in calore & frigore, & in humiditate & siccitate. Unde si aquam calidam cum frigida misceas, & in hanc mixtionem manum demergas, exsistet tertia quædam sensatio a singulis diversa, & ex iisdem attemperata. Est tamen hic advertendum, quod si in singulas ex his aquæ portionibus singulas manus immiseris, nihilominus duas percipies atque distingues frigoris atque caloris sensationes. Quod argumento est hinc tertiam illam non exsistere sensationem, propterea quod cum diversæ sensorii partes ab iis corporibus afficiantur, etiam diversæ & distinctæ cerebri portiones ab iisdem aliter aliterque disponuntur, & idcirco etiam duæ distinctæ & discrepantes in ani-

ma sensationes exsistunt. Ex quo etiam fit non ideo ex septem colorum sensationibus unam coloris albi ex omnibus compositam generari, quod anima non possit eodem tempore pluribus sensationibus & ideis affici, sed quia in eadem cerebri portione una ex pluribus coalita impressio fit, & inde ob legem a Deo statutam una ex omnibus composita sensatio generatur.

6. Cum vero sensationes dum paulatim minuuntur, abeant in imaginationes, quæ idcirco non sunt nisi quædam diminutæ sensationes §. cit. §. 10. ex iis, quæ de sensationibus modo statuta sunt, apparet neque imaginationes a quinque sensibus ortas invicem ita permisceri, ut ex pluribus una veluti omnium particeps coagmentetur, neque illas, quæ ab uno profectæ sunt tamen diversæ speciei, & ob unam majorem vel minorem intensionem nequaquam mutantur, in unam coalescere.

7. Quæ cum ita sint, mihi videor præclusisse viam, quam sibi hic auctor munivit ad evertendas animæ immaterialitatem & libertatem, & ad inducendam fatalem in ipsius actionibus necessitatem. Dum enim hæc totis viribus conatur statuere, cuniculis oppugnare mihi videtur eam animæ facultatem, quam deinceps aperte aggreditur in ultima libri parte, quam bono sane consilio interpres resecuit, cuique suum de immateriali animi natura deque ipsius libertate commentarium meliore substituit. Nam si omnes ideæ etiam intellectuales atque abstractæ & indeterminatæ ab impressionibus in cerebro factis proxime oriuntur, nullæ vero ab animæ reflexione ad ideas, quæ per sensus in animam illapsæ sunt, in ejusdem potestate positum non esse consequitur ut pro suo nutu possit anima se ad hujus rei potius, quam ad alterius cognitionem applicare. Cumque prima libertatis notio sit illa, qua una cogitatio alteri præfertur num. 1. eo quod voluntas non potest appetere nisi bonum ante perceptum & cognitum; inde consequens est nec esse in animæ potestate suas regere appetitiones, sed ab ideis, quæ extrinsecus advenientes necessariæ sunt, ad quamcumque rem, quæ ab iisdem sub specie boni aut mali proponatur, aut amore, aut odio prosequendam, necessario eamdem animam iri excitatum. Quamobrem operæ pretium est docere, quam falsis & incertis principiis hæc innitantur. Id quod in superioribus jam institui facere, & pergam in iis, quæ consequuntur.

8. Cum ergo ex altera parte jam docuerim plures animæ sensationes imaginationesque in unam non coalescere, quæ gignatur ab illa impressione cerebri, quæ pariter ex pluribus componatur, & ex altera mens nostra facultatem habeat, ut quisque sibi conscius est, quascumque sensationes imaginationesque a quibuscumque sensibus ortas, & cujuscumque sint naturæ & speciei, inter se comparandi, earumque similitudines dissimilitudinesque, convenientias ac discrepantias cognoscendi; quis sanæ mentis non videt has ad aliud relatas ideas a vi mentis se ad ideas sensuum & imaginationis applicantis, atque ab ipsius reflexione ducere originem? Per sensus enim & imaginationem singulæ absolutæ ideæ menti repræsentantur omnino determinatæ, & exhibentes objecta omnino determinata, & constantia tum ex iis, in quibus differunt, tum ex iis, in quibus conveniunt §. 112. Log. mentis autem ad easdem reflectentis est proprium similitudines dissimilitudinesque & relationes videre, & cogitatione sepositis iis, in quibus discrepant, ea solum in quibus conveniunt, tamquam primarium objectum considerare? Cum enim nulla sit in cerebro

im-

impressio, ex qua proxime in anima quædam indeterminata & universalis idea excitetur §. cit. transitus ille a determinatis & singularibus ad indeterminatas & universales virtute mentis fiat, & transeundi habitus ab illa vere acquiratur necesse est §. *39*. Putat quidem Helvetius, ut supra memini §. *35*. n. *6*. convenientiam ipsam inter duo atque idcirco judicium sensibus exhiberi. At utcumque hæc dici possint de ideis, quæ in unam coalescentes tamquam simul junctæ repræsentantur, ut est idea unius tantum individui, quod cum suis omnibus essentialibus determinationibus ab una idea exhibetur; sane dici non possunt de pluribus pluriumque individuorum ideis, inter quas mens vi præscindendi similitudinem intercedere comperit. Dum hanc convenientiam mens percipit *Petrus est similis Paulo*, *aut leoni*, nonne plures habet vere distinctas ideas, atque inter easdem convenientiam, quæ proxime a sensibus non excitatur, cognoscit? Quidquod judicia negantia non solum postulant duas distinctas ideas, verum etiam aliquando duas, quæ nullo pacto in unam coire possunt? Quale est judicium *circulus non est quadratum*. Cum autem in rebus non sit nisi fundamentum percipiendi negationes, non vero ipsa attributa negantia reperiantur §. 31. num. 4. Ontol.; nonne est evidentissimum solas harum rerum absolutas ideas ab impressionibus cerebri proxime proficisci, ideam vero relationis discrepantiæ inter ipsas a virtute mentis easdem comparantis oriri? Constat ergo & plures in anima distinctas ideas eodem tempore exsistere, quod nobis hic maxime propositum est, & multas ejusdem ideas non a sensibus proxime, sed ab ejusdem reflexione pendere, quem in locum arrepta occasione orationem induximus.

9. Quod vero subjungitur de viribus corporum, quæ si plures cum uno corpusculo communicentur, in unam eamdemque versus unam plagam determinatam coeunt, tantum abest ut inde efficiatur idem quoque in ideis animæ usuvenire oportere, ut potius ex eo, quod ideæ plures eæque contrariæ, ut caloris & frigoris, & contraria objecta, ut figuram rotundam atque quadratam, repræsentantes in anima sine ulla discordia eodem tempore sint, in consequentibus effecturi simus animam esse a corpore toto cœlo diversam, & præsertim extensione, quæ est essentia materiæ §. 203. & seq. Ont., carere.

SECTIO SECUNDA.

De facultate animæ volente.

§. 47. Definitiones

POstquam anima cognovit res, eas aut appetit & vult tamquam aliquod bonum, aut aversatur & non vult tamquam aliquod malum. Bonum autem est id omne quod reddit perfectiorem nostrum statum, sive animæ, sive corporis; malum quod efficit imperfectiorem. Quare appetitus universe est actus, quo anima vult aliquid quod noscit & credit reddere perfectiorem suum statum, sive id revera sit, sive secus; aversatio autem est actus, quo anima respuit aliquid quod ipsa noscit & judicat reddere imperfectio-

rem suum statum, sive id revera sit, sive secus. Non enim res, quatenus sunt bonæ aut malæ, movent animam ad eas appetendas, vel repudiandas, sed quatenus ipsi apparent aut bonæ, aut malæ; quia bonitas aut malitia latentes perinde sunt ac si non forent ratione habita animæ quæ illas ignorat. Quænam autem sint bonum & perfectio, sive malum & imperfectio vera, & quænam sint tantum apparentia, hic non inquirimus.

§. 48. Propositio

Anima non potest appetere nisi id, quod sibi videtur bonum, & aversari nisi id, quod sibi videtur malum. Prob. Anima non potest velle sui imperfectionem; ergo non potest appetere nisi id quod sibi videtur bonum, sive perficiens suum statum. Prob. ant. Anima non potest simul se amare, idest velle sibi bonum, & odio habere, idest velle sibi malum. Jam vero si vellet sui imperfectionem, simul se odio haberet, quia vellet sibi malum & imperfectionem, & amaret, quia suimet ipsius caussa id vellet. Ergo &c.

2. Unde si desperati sibi appetunt mortem, aut etiam consciscunt, eam non appetunt sub specie mali, sed tantum sub specie boni, quia considerant mortem, tamquam eam, quæ ipsos a præsentibus malis sit liberatura.

3. Hac de caussa in Logica §. 217. diximus assensum qui datur propositionibus certis & evidentibus, non esse liberum, sed necessarium; quia veritas clara & evidens cognoscitur tale esse intellectus bonum atque perfectio, ut sub specie mali & imperfectionis apparere non possit.

CAPUT PRIMUM.

De Appetitu & Aversatione tum sensitivis, tum rationalibus.

§. 49. Definitiones

Quemadmodum in intellectu alia est facultas cognoscendi partis inferioris, quæ sub se complectitur cognitiones, quæ ab impressione in sensibus corporis aut externis aut internis facta proxime pendent & excitantur §. 9. & idcirco ideas rerum singularium & extensarum, quæ in sensus incurrunt §. cit. alia partis superioris, quæ cognitiones complectitur in anima exsistentes, postquam ad ideas partis inferioris attendit easque inter se comparavit, & idcirco ideas abstractas & universales rerumque extensionis expertium & spiritualium: ita & in voluntate duæ sunt appetendi

&

& aversandi, altera inferior, quæ dicitur appetitus sensitivus, aut aversatio pariter sensitiva; altera superior, quæ rationalis.

2. Appetitus sensitivus ille est, quo anima vult aliquid, quod intimo sensu percipit in seipsa excitare gratam aut sensationem per sensus externos, aut imaginationem per internos, judicans esse bonum suique perfectionem ob hanc eamdem rationem, quod gratam sensationem aut imaginationem excitat. Aversatio autem sensitiva ea est, qua anima respuit aliquod, quod intimo sensu percipit in seipsa excitare molestam sensationem aut imaginationem, judicans esse malum suique imperfectionem ob hanc eamdem rationem, quod molestam sensationem aut imaginationem excitat.

§. 50. Corollarium

Quare appetitus & aversatio sensitiva pendent tantum a cognitionibus partis inferioris. Nam cum aliqua fit in sensibus externis, aut in solo cerebro impressio, anima intimo sensu percipit in se excitari aut gratam, aut molestam sensationem, vel imaginationem; si gratam, tunc judicium oritur intuitivum affirmans, quo judicat eam sensationem remque, unde excitatur, tamquam bonam & ad perfectionem sui pertinentem esse prosequendam; ex quo demum appetitus commovetur sensitivus: si molestam, oritur judicium pariter intuitivum, sed negans, quo judicat eam rem esse repudiandam tamquam malam, sibique aliquid imperfecti afferentem; ex quo nascitur sensitiva aversatio. Quare appetitus & aversatio sensitiva ex perceptionibus rerum singularium oriuntur, quia per sensus & imaginationem res tantum singulares & determinatæ percipiuntur §. *9*. Sic æger dulcem appetit cibum, quia dum illum gustat, grata in anima sensatio excitatur; cibum vero amarum, ut medicinam, aversatur, quia dum illo utitur, molestam experitur sensationem.

§. 51. Definitiones

Voluptas est appetitus rei præsentis, excitatus in anima ob quamdam gratam impressionem in sensibus externis factam, ut in auribus ob gratum sonum, in lingua ob dulcem cibum. Dolor est aversatio excitata in anima ob quamdam molestam impressionem pariter in sensibus externis factam, ut in auribus ob ingratum sonum, aut in lingua ob amarum cibum. Jucunditas est appetitus rei absentis ob gratam impressionem in cerebro excitatam vi imaginationis ab impressionibus solius cerebri in anima proxime excitatam. Tædium denique est aversatio a re absente ob molestam imaginationem, quæ impressioni factæ in solo cerebro respondet.

§. 52.

§. 52. Propositio

Res præsens majorem habet vim, qua si voluptatem afferat, ad se appetendam allicit voluntatem; si dolorem, a se voluntatem avertit, quam eadem absens, dum excitat jucunditatem aut tædium. Nam res præsens excitat in anima voluptatem aut dolorem per sensus externos, nempe per sensationes, & ope dolorum aut voluptatum a se avertit, aut ad se trahit voluntatem: res vero absens excitat jucunditatem, aut tædium per imaginationem, & illorum ope voluntatem ad se rapit, aut a se repellit §. 49. Jam vero sensationes sunt fortiores vehementioresque præ imaginationibus. Ergo etiam dolores & voluptates per sensationem excitatæ sunt fortiores vehementioresque tædiis & jucunditatibus per imaginationem commotis. Ex quo fit ut etiam appetitus & aversationes, quæ a sensationibus efficiuntur, sint fortiores, vehementioresque iis, quæ a solis imaginationibus, quia caussis majoribus majores quoque effectus respondent §. 259. Ont. Unde tandem concluditur res præsentes majorem habere vim, qua si &c.

2. Ex his liquet, cur boni præsentis tametsi minoris consecutio sæpe majorem habeat vim ad voluntatem alliciendam, quam consecutio majoris futuri, & cur quod attinet ad voluntatem avertendam, idem accidat in malo præsente minori ratione habita futuri majoris; quia fieri potest, ut differentiæ impressionum, quæ a bonis & malis præsentibus fiunt, longe superent differentias, quæ inter eadem bona & mala intercedunt.

§. 53. Definitiones

Quemadmodum mens non conquiescit in cognitionibus, quæ ab externis & internis corporis sensibus proxime ducunt originem; ita nec gradum sistit in appetitibus & aversationibus, quæ proxime oriuntur a cognitionibus sensuum. Cum enim ad hujusmodi sensuum ideas attendens easque comparans inter se, ideas, judicia, & ratiocinia universalia inde eliciat; ad horum trutinam deprehendere potest, utrum quæ res per sensus percepta animæ bona videtur, aut mala, nempe ipsam perficiens, aut imperfectam reddens, eadem etiam post cognitionem universalium & simplicium perinde bona aut mala videatur. Inde exsistunt appetitus & aversationes rationales, quæ sunt animæ accidentia, non quod ad substantiam attinet, discrepantia ab appetitibus & aversationibus sensitivis, sed solum modo quo generantur. Nam appetitus & aversationes sensitivæ a sensationibus & imaginationibus proxime oriuntur; rationales vero ab attentione & reflexione animæ, sive ab ejus

par-

parte intelligendi superiore; illæ a cognitionibus rerum singularium & extensarum; hæ vero ab ideis abstractis & universalibus. Unde appetitus rationalis est appetitus, quo anima vult aliquid, quod bonum & ipsius perfectio apparet examinatum ideis partis superioris cogitandi, sive universalibus & abstractis. Aversatio autem rationalis est actus quo anima respuit aliquid, quod malum sive ipsius imperfectio apparet examinatum pariter ideis universalibus & abstractis.

§. 54. Corollarium

Inde oritur bellum illud, quod Paulus Apostolus meminit dicens: *caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*: inde scilicet contrarii in anima appetitus & aversationes exsistunt. Nam ut perpetua experientia comprobatur, sæpius fit, ut quod per sensus voluptate animam afficit, eamque ad se pellicere sub specie boni apparens conatur, illud ut verum malum, hominem imperfectum efficiens, ab anima attendente ideasque universales considerante deprehendatur. Quo fit ut ad sensus ideasque singulares advertens, ad illud, ut bonum, appetendum trahi se sentiat; ad rationem autem ideasque universales conversa ut verum malum aversetur; ex. g. homo debilis stomachi ad palatum atque ad gustum attendens plures appetit cibos; cum vero ratiocinando colligat nimiam ciborum copiam saluti, quæ est vera hominis perfectio, obfuturam, eamdem repudiat. Quod etiam in malis usuvenit; nam ex. g. æger medicinam amaram ut rem dolore ipsum afficientem aversatione sensitiva repellit; ut remedium ad sanitatem recuperandam atque ad vitam tuendam idoneum appetitu rationali vult.

2. Quamobrem pax in homine summa foret, si omnes appetitus aversationesque consentirent, & si quod per sensus animam afficit voluptate, id etiam ut bonum ad rationem & ad ideas universales attendens eadem deprehenderet; si quod dolore aut tædio, id etiam ut malum animæ ratiocinia universalia elicienti videretur. Id vero nobis in altera tantum vita promittitur, in qua remotis omnibus doloribus ac tædiis Dei visione intellectus quammaxime jucundabitur, sensationesque in anima jucundissimæ simul & honestissimæ excitabuntur; ex quibus fiet ut anima summo bono fruatur, maximusque in ea sit appetituum omnium consensus.

§. 55. Scholion V.

Hujus intestini inter animæ appetitus, dum hanc degimus vitam, belli originem & caussam esse originale peccatum, quod in Adamo illud primum inobe-

obedientiæ peccatum libere perpetrante totam humanam naturam, quæ a Deo perfecta & suis omnibus numeris absoluta fuit procreata, depravavit, ex divina revelatione didicimus. Quod cum antiqui Philosophi ignorarent, & arbitrarentur hanc naturam talem nunc esse, qualis optimi Opificis manibus fuerat elaborata, putarunt quod verissimum est, eam ab omnipotenti & beneficentissimo Deo in eum finem fuisse creatam, ut beata fieret summumque bonum consequeretur, & inde quod a veritate quammaxime abhorret, eam posse perfecta beatitudine & summo bono potiri, dum in hac vita morti obnoxia versatur. Inde factum est, ut in irritum conarentur, dum maxima contentione investigarent & quærerent, quodnam esset summum bonum, sive ultimus bonorum & malorum finis, in cujus assecutione præsens beatitudo posita foret. Nam summis ingeniis & maximis studiis aliud nihil præstitere, nisi ut se inextricabilibus implicarent difficultatibus. Id quisque manibus tangere poterit, si attente legat quinque de finibus bonorum & malorum libros, quibus omnium Philosophorum de hac re sententias Cicero diligentissime persecutus est. Nam Cirenaici, qui in solis partis animæ inferioris voluptatibus summum bonum, in doloribus summum malum ponebant, aliis Philosophis suam probare sententiam non potuere ob duas præsertim rationes, quarum altera in eo posita est, quod in hac opinione pars animæ superior, qua fit uti a belluis internoscamur, prorsus negligitur, perinde ac si ad perfectam suisque omnibus numeris cumulatam beatitudinem necesse non foret singulas animæ facultates complere, & perficere; altera in eo sita est, quod sæpissime contingit, ut & voluptatibus careamus, & magnis doloribus torqueamur. Quæ secunda ratio valet etiam in Epicureos, qui videntur summum constituisse bonum tum in voluptate, quæ ad sensus externos, & ad imaginationem pertineret, tum in ea, quæ in superiori animæ parte tum intelligente, tum volente resideret. Quamquam & illud adversus eosdem dici potest, eam perfectionis, atque idcirco beatitudinis partem, quæ ad intellectum refertur, atque consistit in voluptate ex rerum cognitione profecta, propter magnam, cujus nobis conscii sumus, ignorantiam post maximos in perquirenda veritate exanthlatos labores in præsenti hac vita comparari non posse. Aristo, ejusque Discipuli, qui in una virtute & honestate summum bonum, & in uno vitio summum malum collocabant, adeout ipsis alia omnia nec bona nec mala, sed prorsus indifferentia & contemnenda viderentur; Peripatetici, qui ad honestatem atque virtutem bona etiam corporis & fortunæ adjungebant, sed ita ut vellent bona corporis & fortunæ ratione habita honestatis atque virtutis esse minima, & ab eadem obrui atque obscurari, perinde ac lumen siderum a lumine Solis obruitur atque obscuratur; & tandem Zenonici, qui arbitrabantur se ab utrisque dissidere, cum statuerent nihil esse bonum, nisi quod honestum, nihil malum, nisi quod turpe, sed nihilominus ex aliis quæ a virtute disjuncta sunt, quædam esse seligenda, quæ ab ipsis præposita appellabantur, quædam secus, quæ postposita, in quo mirifice deridentur a Tullio, qui observat eos in Peripateticorum sententia quam amplectebantur, sola nomina commutasse, propterea quod non minus momenti ab ipsis poneretur in ipsorum præpositis atque postpositis, quam in corporis & fortunæ bonis ab Aristotelæis; atque ab eodem redarguntur idem fecisse, ac fures qui signa rerum quas surripuerunt, commutant; hi omnes, inquam, Philosophi efficere non

po-

potuerunt tantam esse in una virtute & honestate vim, ut alia omnia prorsus obruat & extinguat, & omnino beatus dici possit qui aut cruciatur in Phalaridis Tauro, aut acutissimis podagræ sive alterius morbi doloribus torquetur. Ex quibus fit planum frustra laborasse Philosophos, dum summum bonum atque beatitudinem tamquam in hac vita consequenda investigarunt, nihilque aliud totis viribus nunc esse contendendum, nisi ut vitia depellamus, & consequamur virtutem, quæ nos summi boni, qualis est Deus, & beatitudinis a clara summi boni cognitione & possessione profectæ compotes faciat.

2. Quæret hic aliquis qua de caussa fiat ut positis quibusdam in corpore impressionibus sensatio voluptatis aut jucunditatis in anima excitetur, aliis vero positis sensatio doloris & tædii. Cum ex iis, quæ §. 237. Ont. disputavimus constet motus corporis caussas effectrices non esse sensationum in anima, sed solam occasionales, quatenus præbent occasionem, ut Deus eas sensationes efficiat, id quod etiam enucleatius infra tractabimus; perspicuum est in hac solvenda quæstione investigari oportere extrinsecus adscitam rationem, quæ illum movit ad sensationes potius voluptatis, quam doloris aut contra cum talibus corporis motibus conjungendas, cum corporei motus ipsi per se sint indifferentes ad omnes cujuscumque generis sint, nec ullam certam requirant. Nulla enim est interna & necessaria ratio, propter quam Deus ad occasionem talis impressionis talem excitet sensationem, cum aliam quamcumque posset ciere. Ex. gr. ad impressionem in auribus factam ob aeris tremitum gignere potuit non sensationem soni, sed visus; quemadmodum quia aqua in baptismo est caussa tantum occasionalis gratiæ sanctificantis, potuit Christus alia uti quacumque materia ad eam hoc pacto efficiendam. Extrinsecus autem adscita ratio hæc est. Cum ex altera parte quædam mundi corpora in corpus humanum incurrentia ad illius nutritionem conservationemque tendant, quædam autem ad ejusdem corruptionem, & ex altera spiritualis anima cum corpore conjuncta fuerit, ut ea qua prædita est cognitione & libertate, illud regat ac tueatur; illud universe dici potest Deum hanc sibi legem sanxisse, ut cum iis corporum externorum impressionibus, quæ corporeæ vitæ conservationi prosunt, sensationes gratas atque jucundas, cum iis vero, quæ vitæ & integritati corporis obsunt, molestas & ingratas conjungeret in eum sapientissimum finem, ut anima primis admonita corpori procuret ea quæ illi conservando necessaria sunt, a secundis sollicitata caveat ab iis, quæ nocent. Exem. caussa, quia cibus & potus nutritioni corporis sunt necessarii ad sanguinem reficiendum, viresque partium solidarum restaurandas, cum abstinentia a cibo & potu molestam famis & sitis sensationem copulavit, & cum sumtione cibi & potus gratam & afferentem voluptatem, ut iisdem anima commonefacta, ad eos sumendos alliceretur: quia vero nimius cibus & potus saluti nocent, ubi iisdem stomachus nimis repletus est, molestam nauseæ sensationem excitavit, qua ab iisdem rursus ingerendis deterreretur. Item quia temperatus sanguinis & aliorum corporis fluidorum motus necessarius est ad ejusdem conservationem, nocet autem vel nimis lentus, vel nimis acceleratus, idcirco cum particulis tum caloris, tum frigoris, tum gratam, quando primis fit ut nimis tardus acceleretur, secundis ut nimis acceleratus retardetur, tum molestam sensationem conjunxit, quando ipsius velocitas nimium quam par est, aut ab illis auge-

tur, aut ab his diminuitur. Ad sensus vero oculorum mirificas Deus voluptates adjunxit in eum finem, ut cum ex altera parte nullas ipsa ex se anima notiones habeat, sed omnes hauriat ex sensibus; ex altera vero præcipuas & maxime claras rerum ideas ex sensu visionis acquirat, ad quammaximum idearum penu colligendum jucunditate hujusmodi sensationum invitaretur. Quanta vero sit voluptas, quæ oculis capi possit, dijudicare nequimus, eoquod illam continuatus ejusdem usus nimium diminuerit. Norunt ii ab ortu cœci, quibus cataractæ in utero matris adnatæ deinceps fuere depressæ. Unus ex his, de quo meminit Hallerus in adnot. ad Prælect. Acad. Boeravii, ut vidimus §. 43. n. 2., cum primum videre cœpit, tanta ex improviso correptus est, ut præ nimio voluptatis sensu animo defecerit.

3. Ceterum hoc ipso, quod sensationibus acquiruntur ideæ rerum, anima spiritualiorem quamdam subtilioremque percipit voluptatem, quæ in eo posita est, quod cum cognitio veri sit intellectus perfectio §. 182. Log., inde se trahi experitur ad quamplurimas rerum cognitiones acquirendas, atque ad se in iisdem tamquam in aliquo bono ac perfectione oblectandam. Quæ oblectatio tanta in plerisque observatur, ut neque ab iis, quæ alioquin molestas afferunt sensationes, abstineant, modo ingentem qua incenduntur, sciendi cupiditatem explere possint. Eadem nobiscum nascitur, videmusque infantes quæcumque res iisdem objiciatur, in illam oculos intendere, eamque sedulo contemplari, manibus, si datum sit, undequaque contrectare, ut ejusdem certiorem aliquam cognitionem adipiscantur, dumque hæc faciunt, multa voluptatis inde perceptæ signa præbere. Taceo de pueris, quos, quo magis ætate corroborantur, nemo ignorat, eo magis novarum cognitione rerum, atque ipsamet inani fabellarum narratione duci, ut sciendi cupiditas cibi & potus aliorumque sensus illecebrarum desiderium in iisdem aliquando restinguere videatur.

4. Illud potius adverto hanc esse præcipuam voluptatem, quæ ex imaginatione percipitur. Nam in ideis imaginationis duo potissimum consideranda sunt, memoria voluptatis aut doloris, quæ percepta sunt ex præterita sensatione, cujus vestigium imaginandi facultate renovatur, & præsens cognitio rei, quæ olim in sensus incurrit. Prima vel jucundam affert imaginationem, vel molestam, & ideo vel trahit ad se voluntatem, vel absterret pro eo quod præterita sensatio aut voluptatem attulit, aut dolorem; secunda autem ipsa per se considerata, quia est intellectus perfectio, semper voluntatem allicit ad se appetendam. Inde intelligitur, quod aliquibus mirum esse videtur, cur anima voluptatem capiat ex ipsamet suorum recordatione malorum, nedum ex narratione tristium casuum, qui aliis acciderunt, aut eorum repræsentatione in theatro. Tantam enim voluptatem anima haurit ex tot successione idearum, quæ in ipsa excitantur, ut præ nihilo ducat molestias, quas olim inde hausit, quarumque leve vestigium in eadem residuum est. Inde etiam fit ut homines alii cum aliis colloqui delectentur, aut legere quæ ab aliis mandata sunt litteris; nam utraque ratione ob imaginandi legem §. 10. & seq. summa facilitate quamplurimæ excitantur ideæ, quibus mens tamquam sibi proprio cibo reficitur.

5. Ob illam vero caussam, quam in sensationibus visus præsertim attuli, etiam factum puto, ut cum novis ideis talem Deus sensationem jucunditatis conjunxerit, quæ usque ad certum aliquem gradum augeatur, ad quem cum

perve-

pervenerit, deinceps incipiat remitti, quousque in molestam ac tædium afferentem convertat, anima veluti iisdem prorsus satiata, quemadmodum in sumtione potus ac cibi usuvenire supra docuimus. Si enim in una eademque idea contemplanda anima, itaut ab initio contigit, delectaretur, periculum foret, ne in ejusdem contemplatione nimium conquiesceret, & ita negligeret alias sibi comparare rerum cognitiones, quibus ipsi opus est. Quamquam & illa etiam ratio potest afferri, quod cum animam Deus crearit ad seipsum & tamquam summum verum cognoscendum, & tamquam bonum amandum, aliarum autem rerum, quæ ab ipso creatæ sunt, cognitiones & ideas atque appetitiones inde ortas impresserit in eum finem, ut earum adminiculo ad summi veri cognitionem, & boni amorem niteretur; necesse fuit, ut jucunditatem cum iisdem per aliquod tempus copularet, qua invitata anima in iisdem contemplandis, quantum est opus ad eas acquirendas ac conservandas, suam defigeret attentionem; eo vero transacto molestiam ac tædium ut hoc pacto admoneretur sibi in iisdem tamquam in suo summo bono consistendum non esse, sed inde ad Dei, qui est hujusmodi, cognitionem & amorem esse totis viribus contendendum.

CAPUT SECUNDUM.

De animæ libertate & de finibus.

§. 58. Propositio

Positis definitionibus libertatis tum exercitii & contradictionis, tum specificationis & contrarietatis, quas §. 212. Log. tradidimus, statuo nostram animam, dum corpori juncta est, in pluribus utraque libertate gaudere. Nam cum res apparet sub specie talis boni ut ejus contrarium aut contradictorium sub specie boni apparere possit, quisque in semetipso experitur liberam potentiam aut appetendi aut non appetendi eam rem, aut etiam aversandi sive appetendi contrariam; in quorum altero libertas contradictionis, in altero libertas contrarietatis posita est. Atqui dum anima est corpori juncta, in eo statu est ut plura eidem appareant sub specie boni ita exigui, ut eorum contradictoria aut etiam contraria sub specie boni apparere possint, ex. gr. ambulare, sedere, stare, cum nihil nos ad ea valde appetenda movet. Quod si aliqua sub specie boni valde ingentis apparent, ut immodicus dulcium ciborum esus, qui partem animæ inferiorem valde allicit; est tamen in superiori animæ parte ratio, quæ demonstrat eum esse verum malum, utpote qui saluti veræ hominis perfectioni nocet. Ex quo fit ut nec ab esu, nec ab abstinentia violenter anima se abripi sentiat. Præsertim vero anima sibi conscia est suæ libe-

liberæ facultatis, se suamque attentionem dirigendi ad quamlibet ex pluribus ideis, quæ in eamdem incurrunt. Demum alia multa sunt vel ipsa per se, vel quatenus ad finem ducunt, fere æqualia, ut mihi sim conscius in mea situm esse libera facultate unum eligendi, aliis omissis; ut si vellem movere brachium, quod parum refert utrum dexteram versus aut lævam dirigam, sentio mei arbitrii penitus esse in alterutram inflectere; & si mihi proponantur duo nummi prorsus æquales & æqualis voloris, quorum unum tantummodo eligam, summam prorsus libertatem experior in alterutro præferendo. Ergo anima dum corpori juncta est, in pluribus utraque fruitur libertate. Quod in solutione objectorum luculentius confirmabitur.

§. 57. Objectio & Responsio

Ex hisce & similibus experimentis nihil pro humanæ mentis libertate colligi potest, si fieri quit, ut anima semper necessario determinetur ad agendum ab aliqua caussa, & nihilominus anima intimo sensu credat se esse liberam in suis operationibus. Sed fieri quit ut anima &c. Ergo &c. Prob. min. Potest esse aliqua latens & occulta caussa, quæ animam ad agendum necessario determinet. Ergo ut index horologii a rudibus & agrestibus hominibus, qui horologii structuram numquam viderunt, credi potest, ipsum per se moveri, tametsi ab intus latente caussa ad motum conversionis determinetur; ita fieri quit, ut anima ad aliquid agendum ab aliqua caussa semper necessario determinetur, & nihilominus intimo sensu credat se esse liberam in agendo.

2. Dist. ant. potest esse aliqua latens & occulta caussa quæ &c. si id non pugnaret cum divina bonitate co. si pugnat ne. Nam constantem & universalem experientiam, quam omnes cujuscumque status, nationis & ætatis homines de sua in appetendo libertate habent, ipsam per se non esse satis ad libertatem eorumdem extra omne dubium ponendam colligi potest ex iis, quæ in Logica §. 222. disputavimus de rebus physice certis, uti de corporum exsistentia, sed esse confugiendum ad bonitatem Dei, qui cum animas a se creatas fallere nequeat, non potuit hanc libertatis in appetendo universalem in omnibus hominibus experientiam sive sensationem excitare, quin ea libertate revera fruantur; quemadmodum ob eamdem caussam non potuit corporum sensationes in ipsis creare, quin revera corpora exsistant. Non enim, ut alia nunc mittam experimenta, eos pœnitet de turpibus ac malis actionibus antea perpetratis, seque de iis coarguunt, nisi quia intimo sen-

su

fu credunt se eas ita libere perpetrasse ut abstinere potuerint. Num eos pœnitet, aut se accusant da aliis malis, quæ necessario evenisse noscunt, uti de vulneribus a latrone inflictis, de grandine, quæ segetes vastavit, de domo, quam flamma de cœlo combussit? Quis vero ire potest inficias hunc communem omnium hominum sensum a Deo generari? Nam si non a Deo, sed ab educatione & hominum traditione penderet, ut vult Collinius in *Rechers Philosophi. sur la libertè de l' Homme*, quæ disquisitio habetur tom. 1. cujusdam Collectionis variorum Operum circa res Mathematicas, Philosophiam atque Religionem Natur. Leibnitii, Newtoni, Clarkii & aliorum; hanc opinionem utpote falsam reflexione & animi contentione possemus exuere, ut multoties usuvenit in aliis falsis opinationibus, quas ebibimus in pueritia. Experientia vero docet hunc pœnitentiæ sensum homines nulla posse ratione abolere, quamquam in vitiorum cæno per multum temporis se volutarint. Quod si a Deo est, is certe homines falleret, si revera liberi non forent. Quod cum divinæ bonitati adversetur, manet argumentum ab experientia ductum ipsum quidem per se satis non esse ad ostendendam hominum libertatem, bene vero ad id sufficere, si cum divina bonitate jungatur.

§. 57. Instantia & Responsio.

Atqui argumentum ab experientia ductum etsi cum divina bonitate jungatur, satis non est ad ostendendam hominum libertatem. Ergo &c. Prob. min. sub. Satis non est, si Deus hunc libertatis intimum sensum gignens nequaquam nos decipiat; atqui res ita se habet. Ergo &c. Pro. min. Nos hoc puncto non decipit, si aliud providit remedium, quo venire possumus in cognitionem huic sensui fidendum non esse & voluntatem ab alia caussa necessario determinari; atqui hoc remedium providit, sive rationem, qua venire possumus in cognitionem huic sensui fidendum non esse. Ergo &c. Prob. min. Ratio hæc est. Anima non potest aliquid velle, nisi Deus in illa gignat vim, qua ad aliquid appetendum determinetur §. 42. Ont. atqui si Deus in illa creat vim, qua ad aliquid appetendum determinetur, voluntas libera non est in eo appetendo, aut secus. Ergo ratio docet animam in suis appetitionibus liberam non esse. Prob. min. Actioni Dei & vi ab illo impressæ anima resistere nequit. Ergo &c.

2. Dist. Actioni Dei & vi ab illo impressæ anima resistere nequit, & ideo libera non est quod attinet ad effectum vis absolutum co. quod attinet ad relativum ne. Nam in actu voluntatis,

quo

quo anima quidpiam appetit, duo considerandа sunt, ipse actus absolutus, & quodammodo substantia ejusdem, qua bonum in genere appetit, & relativus, sive ejusdem directio ad hoc potius bonum, quam ad illud. Ipse absolutus actus creatur a Deo, qui semper animam efficacissime determinat ad bonum in genere, sive ad sui perfectionem appetendam. Quare in hoc anima libera non est, nec abstinere potest ab hujusmodi actu tendendi in bonum. Sed actus relativus sive directio actus absoluti a Deo creati in hoc potius bonum, quam in alterum ex iis pluribus, quæ animæ proponuntur, est in animæ facultate, quæ appetitionem illam in bonum universe a Deo in ipsa creatam ad hoc potius particulare bonum appetendum, quam ad alterum, dirigere & inflectere potest. Quemadmodum nauclerus sine vento navem aliquorsum impellere nequit, nec aliquorsum a vento delatus in contrariam prorsus plagam cursum dirigere quit, sed tamen potest navim a vento occasum versus necessario delatam ad unum potius occidentis punctum, quam ad alia dirigere: ita anima sine divina motione in bonum tendere nequit, & ab ipso Deo ab bonum universe appetendum impulsa malum appetere nequit; potest tamen divinam motionem & appetitum ab ea necessario genitum in hoc potius bonum, quam in aliud, in apparens potius quam in verum dirigere.

§. 59. Instantia & Responsio

Atqui anima libera non est neque in suis appetitionibus a Deo genitis ad hoc potius bonum, quam ad aliud dirigendis. Ergo nulla distinctio. Pro. min. sub. Cur anima suas appetitiones potius in hoc particulare bonum dirigat, quam in aliud, debet esse ratio sufficiens ipsius liberam electionem directionemque præcedens, quæ in eo posita est, ut una res sub specie appareat boni majoris, quam aliæ. Nam sicuti bonum cognitum est ratio, quæ animam trahit ad aliquid appetendum; ita res, quæ apparet sub specie majoris boni, debet animam allicere ad illam potius appetendam, quam ad alias. Atqui si debet esse ratio sufficiens, animæ liberam electionem directionemque præcedens; eadem libera esse nequit in eligendo ex pluribus unum, seque ad illud dirigendo. Ergo &c. Prob. min. Hæc major ratio sufficiens animam ipsam per se indifferentem ad illud unum determinabit. Ergo &c.

2. Aliqui majorem inficiantur, & illud sufficientis rationis principium, quod in necessariis corporum motibus locum habet, ad liberas animæ actiones pertinere negant, & ajunt persæpe fieri, ut

ex

ex duobus, quæ sub specie apparent boni prorsus æqualis, anima alterutrum eligat, & ex duobus, quorum alterum sub specie majoris, alterum sub specie minoris, secundum malit omisso primo, hujusque electionis aliam nullam habeat sufficientem rationem quam suammet liberam se ad quodcumque velit dirigendi facultatem. Verum hanc sententiam sic impugno. Deus ab æterno prævidit omnes actus liberos futuros quorumcumque animorum; quia si eos non præscisset, novam aliquam cognitionem posset acquirere, quod Enti a se, utpote omne possibile ens complectenti, usuvenire non posse in Ontol. §. 175. n. 2. docuimus. Jam vero si anima interdum ex iis, quæ apparent sub specie æqualis boni, alterutrum eligeret, aut mallet quod specie boni minoris, illo prætermisso, quod sub specie majoris, idest nullam in pluribus rebus quæ ipsi proponuntur, majorem pro aliqua ex iis eligenda rationem cum ipsa conjunctam offenderet, & nihilominus eam præ aliis appeteret; Deus ab æterno hos futuros liberos actus certo non præscisset. Cum enim Deus etsi infinitus in cognoscendo, tamen res, ubi non sunt, cognoscere nequeat, prop志reaquod hoc pacto deciperetur; res futuras ipsas in se cognoscere nequit, quia nihil sunt, sed solum in suis caussis jam exsistentibus, in quibus contineantur. Jam vero Deus res futuras necessarias ab æternitate prævidit in suæ voluntatis absoluto decreto, quo se ad illas in tempore creandas determinavit. Futuras autem liberas in eo decreto saltem proxime nequaquam præscivit, quia si absolutum de iis creandis decretum constituisset, jam non forent liberæ sed necessariæ. Ergo nihil aliud est reliquum, nisi ut præviderit in futuris necessariis, quæ simul præcederent liberos voluntatis actus, & sufficientem eorum rationem continerent. Si autem omnia illa, quæ primum animæ liberum actum prævertunt, sunt prorsus æqualia sive æquali modo ipsi proponuntur, nec major in uno, quam in aliis ratio ad illud appetendum ab eadem cognoscitur, quid in iis, quæ liberam animæ electionem antevertunt, esse potest, quod Deum in certam cognitionem deducat futuræ electionis? Potestne Deus in caussis, quæ non sunt, effectum videre, aut potestne certo præscire quid futurum sit in iis rebus, quibus in duplici eventu prorsus similiter & æqualiter positis anima modo ad hoc, modo ad illud sine ulla certa lege se dirigit?

3. Quamobrem hac explosa sententia quam in Theologia Nat.. x professo examinabimus, negamus minorem, & rationem ita distinguimus. Hæc major sufficiens ratio pro aliqua ex rebus, quæ simul

simul menti proponuntur, eam ad illam unam appetendam certo determinabit co. necessario ne. Itaque ob allatam rationem ajo sufficientem eamque liberos animæ actus prævertentem dari rationem cur anima unum ex pluribus eligat; & hanc rationem in eo quod diximus, positam esse. Verum ex hoc non sequitur animam necessitate adigi ad id eligendum appetendumque, quod sub ratione apparet boni majoris, quia etsi semper illud velit & eligat, habet tamen veram potentiam ad illud omittendum, aut aliam ad eligendum contrarium. Ex eo vero, quod ex altera parte in suo decreto absoluto prævidet omnia futura necessaria, quæ primum animæ liberum actum prævertunt, atque idcirco quandonam res aliqua eidem sub specie boni majoris sit apparitura, quando secus; & ex altera semper anima hanc sequitur legem, ut ex pluribus id quod sub specie apparet boni majoris, velit & appetat.; consequens est Deum certo prævidere primum animarum liberum actum, & alios omnes consequentes, qui ab aliis caussis & a primis etiam originem ducunt.

§. 60. Instantia & Responsio

Atqui hæc major pro alterutra parte ratio sufficiens voluntatem necessario determinat. Ergo &c. Prob. min. sub. Ut bonum in genere necessario determinat voluntatem ad illud appetendum, ita bonum in particulari illam necessario determinat si major boni ratio in illo appareat. Ergo &c.

2. Dist. ant. ita bonum in particulari illam necessario determinat, si hæc major ratio boni talis sit, ut nec contrarium nec contradictorium sub specie boni apparere queat co. aliter ne. Nam siquid ita clare & perspicue tamquam bonum percipiatur, ut ejus contrarium, aut contradictorium sub specie boni apparere non possit, tunc illud voluntatem necessario determinat ad se appetendum, eo quod ex altera parte voluntas nullam accepit a Deo vim tendendi in malum quatenus malum est, sed solum in id quod sub ratione boni apparere potest, & ex altera hic solum unum aliquod, non vero contradictorium ejusdem, at contrarium tamquam bonum percipi potest. Id quod usuvenit in propositionibus evidentibus, quibus ut certo & perspicuo bono & perfectioni intellectus voluntas necessario assentitur, nec potest aut dissentiri, aut saltem assensum cohibere §. 217. Log. At siquid ita percipiatur tamquam bonum atque perfectio, ut nihilominus etiam contrarium, aut contradictorium tamquam bona intelligi queant; illa major boni ratio pro una parte sicuti non tollit boni naturam, quod in altera

par-

parte apparet; ita nec impedit animam quominus hanc alteram partem tamquam proprium sibi objectum appetere possit. Id videre licet in propositionibus probabilibus tantum, circa quas mens potest assensum præbere, aut dissensum, aut etiam omnem assensum suspendere. Ergo major sufficiens pro alterutra parte ratio libertatem animæ ad oppositum non tollit, & idcirco animam ad illam appetendam necessario non determinat.

§. *61.* Instantia & Responsio

Atqui hæc major pro alterutra parte ratio etiam in rebus, quæ tamquam prorsus evidentia bona non apparent, voluntatem necessario ad illam determinat. Ergo &c. Prob. min. sub. Hæc major ratio voluntatem ad unam partem alliciens eam non relinquit indifferentem ad illam partem & ad alteram. Ergo &c. Prob. ant. Si relinqueret indifferentem ad utramque, non esset ratio sufficiens cur voluntas unam eligeret, nec Deus in tali ratione prævidere posset futuros voluntatis actus, ut supra ostendimus & in Theologia Nat. enucleatius ostendemus. Ergo &c.

2. Dist. ant. Si relinqueret voluntatem æqualiter indifferentem ad utramque co. si dispariter ne. Nam hæc major ratio sufficiens pro una parte non determinat voluntatem ad illam appetendam, sed est voluntas, quæ ope illius majoris rationis se ad illam determinat. Quid ergo facit? Relinquit voluntatem minus indifferentem ad illam partem, pro qua stat eadem ratio sufficiens, quam ad contrariam. Atque hoc satis est ut dici queat ratio sufficiens, atque ut Deus ope illius actus futuros nostræ voluntatis prævideat, quemadmodum in Theologia Nat. ostendemus, in qua hæc enucleatius tractabimus.

§. *62.* Definitiones & Propositio

Cum nostra mens, ut constat ex dictis, tota feratur in bonum, quod ab ea cognoscatur, nec simul ac cognoscit, illud semper assequi queat, sed aliquibus mediis & operationibus ad idem obtinendum habeat opus; inde exsistunt caussa finalis, seu finis, & purum medium. Finis est illud bonum, ad cujus assecutionem anima quidpiam operatur & agit. Purum vero medium est id, quod in se nullam continet boni rationem, ut a voluntate ametur & expetatur, sed ea tantum de caussa ab anima eligitur, quia per id concupiti boni possessionem sibi comparat.

2. Dixi purum medium; nam aliquando eadem res habet rationem finis & medii; finis, quatenus continet rationem aliquam boni, propter quam ipsa in se considerata ametur; medii, quatenus

per eam aliud bonum consequimur. De quo jam disseruimus in Ontologia §. 287., quem consule.

3. Si adsint duo, aut plura bona, quorum primo secundum consequimur, & primum sit minus bonum secundo, rectæ rationi consentaneum est, ut primum appetamus tamquam finem proximum sive intermedium, & secundum tamquam remotum; sin autem primum sit majus secundo, pariter cum ratione congruit ut primum velimus tamquam finem primarium, secundum vero tamquam secundarium. Nam rationi consentaneum est majus bonum majori prosequi amore, minus autem minore. Ergo in primo eventu in ea re, qua utimur ad alteram consequendam, minus amare debemus rationem boni absolutam, quam relativam, eoquod in se minus bona est, quam altera, ad quam consequendam refertur; & in secundo eventu e contrario propter contrariam rationem. Id autem perinde est ac in primo eventu primum sibi constituere tamquam finem proximum sive intermedium, secundum autem tamquam remotum; in secundo vero primum tamquam finem primarium, alterum autem tamquam secundarium. Ergo &c.

CAPUT TERTIUM.

De animæ imperio in corporis motus.

§. *63.* Observationes & Definitiones

PErpetua experientia compertum fit duo esse genera motuum in corpore humano; alios qui dicuntur spontanei ac voluntarii, alios, qui automatici & naturales. Primi a voluntate pendent, & excitantur simul ac anima vult ut exsistant; ita est ex. g. motus brachii, pedis, linguæ, capitis & similium. Secundi autem a voluntate minime pendent, sed a caussis corporeis, & perficiuntur sola vi organorum corporis, quemadmodum motus indicis in horologio sola perficitur vi instrumentorum, ex quibus horologium componitur. Ita sunt motus cordis & intestinorum, in quos anima nullum videtur exercere imperium nec in iis a principio excitandis, nec in iisdem comprimendis.

§. *64.* Observationes & Definitiones

Quemadmodum cerebrum ob sæpius repetitos actus renovandi easdem impressiones aut simul, aut alias post alias, acquirit eam facilitatem, de qua §. 39. disseruimus, qua fit ut simul ac aliqua denuo excitatur impressio, etiam aliæ conjunctæ excitentur, & earum.

rum ope etiam ideæ, quæ iisdem respondent; ita dum anima aut simul aut alias post alias plures excitat in cerebro impressiones, quæ deinde per nervos a cerebro ad omnes corporis partes diditos propagantur ad illa corporis membra, quæ movenda sunt, acquirit facilitatem, qua fit ut simul ac primam in cerebro impressionem & primum inde pendentem motum in aliquo membro sua voluntate excitat, continuo sua veluti sponte & natura aliæ cum aliis respondentibus motibus excitentur. Id observamus in iis, qui loqui, scribere, pulsare fidibus & similia didicerunt. Nam initio hæc omnia perfici nequeunt, nisi cum magna animi attentione & cum expressa ad singula verba & notas voluntatis singulos motus præcipientis actione; postquam vero anima repetitis actibus facilitatem acquisivit, ut se ad primum verbum & notam cum attentione & voluntate applicavit, reliqua multoties perficiuntur, etiamsi ad eadem non attendat, & aliud agat.

2. Qui motus appellantur semivoluntarii, sive origine voluntarii, sed exercitio naturales, ut videre licet apud Hartleyum, qui in *Explicat. Phys. des sens* tom. 1. cap. 1. sect. 3. de iisdem accurate differit, quique etiam advertit aliquos motus origine esse automaticos & naturales, sed exercitio fieri spontaneos, & voluntarios, & exemplum affert infantium, quorum palmæ manus si premantur, digiti hac pressione adiguntur ad motum sese inflectendi manum versus; quod ubi sæpius factum fuerit, iidem infantes sua sponte digitos inflectunt & contrahunt ad res impugnandas. Idem advertere possumus in pueris, qui scribere discunt. Nam posteaquam eorum manus & digiti per aliquod tempus a Præceptore ductæ fuerunt ad litteras delineandas, acquirunt habitum easdem facile ad nutum delineandi.

§. 65. Objectio & Responsio

Leibnitius putat omnes corporis humani motus naturales esse, & solis ipsius & aliorum mundi corporum, quibus humanum circumdatur, viribus absolvi, & nulla ratione ab animæ arbitrio pendere, eoquod in ipsius systemate, quod infra examinabimus, anima ipsa per se operatur & agit, & pariter corpus ipsum per se; divina autem potentia & prævisione factum est, ut singulæ animæ actiones singulis corporis motibus responderent, & vicissim; ex quo fit ut in ejusdem systemate omnes corporis motus sint naturales, nulli autem voluntarii.

2. Dist. Leibnitius putat omnes &c. absque sufficienti ratione co. cum sufficienti ratione ne. Nam tot talesque sunt spontanei

corporis motus, ut si ab animæ imperio discesseris, nulla esse videatur neque in ipsomet corpore humano, neque extra idem in aliis mundi corporibus caussa iisdem gignendis idonea. Nam uno fere instanti corpus quiescens ad voluntatis nutum magnos edit motus, & dum magnis motibus agitatur, eosdem momento voluntas extinguit. Ergo hi motus ab animæ imperio pendere debent.

§. *66.* Instantia

Atqui Leibnitius id cum ratione statuit. Ergo &c. Prob. min. sub. Id cum ratione statuit, si anima nequeat corporis motus gignere; atqui anima nequit motus corporis gignere, eo quod universe substantia spiritalis in corpoream agere nequit; & etiamsi posset, anima ignorat, quem motum in cerebro, & in qua ipsius parte gignere debeat, ut brachium moveat, quem ut digitum, quem ut pedem, quem ut caput, quem ut linguam, & alias corporis partes. Ergo &c.

§. *67.* Responsio

Dist. Atqui anima nequit corporis motus gignere tamquam effectrix caussa co. tamquam occasionalis ne. Nam anima non potest tamquam effectrix caussa gignere corporis motus tum ob rationes a nobis allatas §. 237. Ontol., quæ valent in omne genus substantiarum, quæ virtute creandi, uti anima, destitutæ sunt, tum ob hanc ab animæ ignoratione petitam: potest tamen tamquam occasionalis caussa, quæ occasione actus voluntatis movendi ex. g. brachium Deum determinet ad eam in nervis cerebri & brachii gignendam vim, ex qua motus ejusdem sequatur, ob legem ab ipso statutam motus aliquos in corpore efficiendi positis quibusdam animæ cogitationibus & volitionibus; & ideas atque appetitus in anima gignendi, positis quibusdam in corpore motibus; similem legi, qua statuit in corporum incursu partem corrumpere vis in percutiente, & partem creare in percusso, nisi quod rationem, quam Deus sequitur in corporum conflictu, tenemus & scimus §. 303. Ont., non vero illas, quas sectatur in communicatione virium inter animam & corpus. Quo posito non caussa occasionalis, & impropria, qualis est anima, scire debet modum, quo singuli corporum motus perficiuntur, sed propria & efficiens, quæ est Deus, cujus cognitionem nihil profecto fugit.

§. *68.* Instantia

Atqui anima nequit esse caussa occasionalis motuum corporis, & corpus sensationum animæ, nec Deus potest esse utrorumque efficiens. Ergo &c. Prob. min. sub. Si Deus foret caussa efficiens motuum

tuum corporis, & sensationum animæ, Deus esset caussa & auctor peccati; atqui Deus nequit esse caussa & auctor peccati. Ergo &c. Quidam corporis motus, ut execrationes & homicidia, sunt peccata, & pariter quædam animæ sensationes & imaginationes, ut illæ quibus ad odium & iram erga proximum provocamur. Ergo &c.

§. *69*. Responsio

Dist. anteced. Quidam corporis motus & quædam animæ sensationes sunt peccata, si considerentur formaliter, ut ajunt, sive relative co. si materialiter & absolute ne. Et dist. conf. Ergo Deus esset auctor & caussa ejus, quod est materiale & absolutum in peccato co. ejus quod est formale & relativum ne. Nam duo sunt consideranda in actione peccati. Primo ipsamet substantia, & quodammodo materia actionis peccati, sive ipsamet actio in se & absolute spectata; deinde actio relative considerata, quatenus est a ratione & lege divina dissentanea, id quod dicitur formale peccati, & in quo malitia peccati posita est. Cum igitur Deus ab anima tamquam a caussa occasionali determinatus quosdam efficit in corpore motus, qui sunt peccata, & a corpore pariter ut a caussa occasionali quasdam in anima malas sensationes imaginationesque progignit; is efficit harum sensationum & motuum materiale, sive eadem absolute & in se considerata; formale autem ipsorum, sive eadem relative considerata, & tamquam a ratione & lege divina dissentientia non efficit. Verum id ascribendum est liberæ voluntati animæ, quæ easdem actiones vult tamquam a recta ratione & lege divina dissentaneas. Ergo in hoc systemate Deus peccati caussa & auctor non est, quia malitia peccati non est posita in absoluto, sed in relativo.

2. Deinde quod attinet ad motus corporeos, animadvertendum est ipsos per se consideratos non esse bonos aut malos, sed solum ratione habita voluntatis, a qua præcipiuntur. Nam uti veritas, aut falsitas proprie est tantum in judicio mentis, eo quod ea sola rerum convenientiam percipit, aut discrepantiam; in propositione autem ore prolata est tantum signum veritatis judicii, quia propositio est solum ejusdem judicii signum: ita bonitas & malitia proprie tantum est in voluntate, quia ipsa solum proprie appetit bonum & malum aversatur; in motibus vero corporis a voluntate præceptis solum est signum bonitatis & malitiæ, sive externus earumdem effectus. Hoc posito Deus non est caussa & auctor internæ voluntatis malitiæ, quia efficit quidem appetitum voluntatis in bonum, sed anima ea est, quæ hunc a Deo generatum appetitum

in

in bonum, dirigit potius sua libertate in bonum apparens, seu verum malum, quam in bonum verum, quorsum Deus vellet potius ut se dirigeret de quo alias. Ergo cum determinatus ab hac libera voluntatis directione in bonum apparens, & a lege, quam sibi statuit concurrendi cum actibus humanæ voluntatis ad aliquos in corpore motus efficiendos, revera quosdam efficit motus cum peccato conjunctos, ut verba execrationis, & corpoream actionem, qua homo interficitur, non eos efficit quatenus mali sunt & a ratione & lege divina dissentanei, sed solum eosdem quatenus absolute & in se considerantur, & ideo nullam complectuntur malitiam, quæ tota accepta ferenda est animæ, quæ sua libera electione Deum ad illos gignendos determinavit. Quemadmodum in omnium qua Philosophorum qua Theologorum sententia Deus non est auctor peccati, quamvis cum voluntate ad ejusdem malos actus efficiendos concurrat.

§. 70. Instantia

Atqui cum Deus in hoc systemate occasione quorumdam corporis motuum pravas aliquas in anima sensationes gignit, est caussa & auctor earumdem etiam quatenus formaliter & relative considerantur, & a recta ratione atque a lege divina dissentiunt. Ergo nulla dist. Prob. min. sub. Deus est earum auctor & caussa quod attinet ad omnia, idest tum ad materiale & absolutum peccati, tum ad formale & relativum. Ergo &c. Pro. ant. Deus est earum caussa & auctor quod attinet ad omnia, si illæ non pendent ab aliquo libero voluntatis actu, cui malitia ascribenda sit; atqui illæ non pendent ab aliquo libero voluntatis actu. Ergo &c. Motus corporis & inde exsistentes pravæ in anima sensationes & imaginationes sæpius prævertunt quemlibet liberum voluntatis actum. Ergo &c.

§. 71. Responsio

Dist. ant. Motus corporis & inde exsistentes animæ pravæ sensationes sæpius prævertunt quemlibet liberum voluntatis filiorum Adæ Protoparentis actum co. quemlibet liberum ipsius Adæ ne. Nam Deus ita creavit Adamum, qualem §. 53. descripsimus, ut summa in eo pax & maximus tam sensualium, quam rationalium appetituum, & aversationum foret consensus, & quod per sensus & imaginationem gratam in ipso sensationem excitabat, id quoque tamquam bonum & perfectio animæ ratiocinanti appareret, & vicissim. Quare Deus ita hominem condidit, ut ob legem commercii inter animam & corpus ab ipso statutam non deberet occasione idearum & appetituum animæ nisi bonos motus in corpore efficere, & occasione motuum corporis nisi bonas sensationes in ani-

anima. Verum Adamus libero donatus arbitrio sua sponte hanc pacem corrupit & naturam humanam non solum in se ipso, sed etiam in suis posteris depravavit. Quo factum est ut in ipso & in aliis ab eo progenitis excitaretur bellum illud, quod §. 52. declaravimus. Quamobrem si occasione quorumdam corporis motuum Deus in anima excitat pravas aliquas sensationes, quæ hominem ad malum impellunt, id non est vitio ascribendum Deo, sed libero Adæ peccato, quod caussa fuit ut tota humana natura corrumperetur. Quamobrem pravi corporis motus pravæque animæ sensationes prævertunt quidem primum cujusque hominis liberum actum, quo se culpa astringit, non autem illum primum Adæ liberum actum, quo crimine inobedientiæ se astrinxit, & hoc pacto naturam humanam in se & in suis filiis contaminavit.

§. 72. Instantia

Hic & nunc quædam animæ sensationes pravæ sunt. Ergo Deus qui tamquam effectrix caussa illas excitat, est caussa & auctor mali & peccati.

§. 73. Responsio

Dist. cons. Deus est caussa & auctor mali & peccati, si illas excitat quatenus sunt pravæ & a lege divina dissentiunt co. si illas excitat quatenus naturales sunt, & quatenus absolute & in se considerantur ne. Ad id explicandum utor celebri S. Thomæ similitudine quæ idonea quidem est pro statu naturæ corruptæ, non autem pro statu integræ & innocentis, tametsi ejusdem discipuli ad hunc quoque alterum eam pertinere velint. Si tibia curva sit, motus ejusdem quatenus naturalis ab anima illum præcipiente pendet, non autem quatenus curvus, sed ejusdem curvitas & inflexio vitio tibiæ ascribenda sunt. Ita D. Thomas. Fac nunc tibiam esse rectam, & hominem claudicare sive curve incedere. Tunc curvitas motus non tibiæ, quæ recta est, sed animæ imperio tibiam alioquin rectam ad motum curvum determinantis erit tribuenda. Hoc posito si Deus in homine recto & integro occasione motuum corporis pravas & veluti curvas sensationes creasset, caussa fuisset sensationum etiam quatenus pravæ sunt & a recta ratione atque a lege divina dissentiunt, eoquod hæc ipsarum depravatio & veluti curvitas ascribenda non foret liberæ hominis voluntati quæ nullum adhuc liberum actum elicuisse ponitur, cum illæ sensationes a Deo excitantur. At si postquam Adam illo primo libero actu, quo se inobedientiæ crimine astrinxit, naturam humanam in se & in aliis a se propagatis inflexit ac depravavit, Deus ob commercii le-

legem ante hoc peccatum a semetipso statutam occasione quorumdam corporis motuum quasdam excitat pravas in anima sensationes; ipsarum est quidem caussa, quatenus naturales sunt, & ex lege commercii sequi debent, non autem quatenus malæ sunt, & a divina lege dissentaneæ; sed hæc pravitas & dissensus naturæ jam depravatæ, & primo Adæ eam in se & in posteris per peccatum depravantis libero actui vitio vertenda est. Ergo manet nihil inde elici posse adversus caussarum occasionalium systema in explicatione commercii, quod inter animam & corpus intercedit.

§. 74. SCHOLION V.

Ex quibus fit manifestum cum sanctitate Dei, qui nullius veri mali, cujusmodi est culpa, potest esse auctor & caussa, non minus componi nostrum caussarum occasionalium systema, quam in sententia omnium qua Theologorum, qua Philosophorum sanæ mentis, componitur ejusdem ad malas animarum actiones concursus, & quibus rationibus hic adversus impios omni culpa vacare monstratur, iisdem etiam illud omni culpa carere monstrari. Sed adversus eam nostram solutionem, quæ nititur pœna a Deo inflicta in originale peccatum, exoriri potest aliquis & objicere communem esse contra Jansenium in scholis Catholicis Theologorum sententiam apud Cl. Gotti tom. 1. Theol. Schol. tract. X. quæst. 11. potuisse Deum creare hominem non solum sine donis supernaturalibus, scilicet gratia & gloria ejus auxilio acquirenda, verum etiam sine integritate naturali, adeout pax in ipso intrinsecus non esset, nec appetitus rationi subjectus, sed foret concupiscentia rebellis cum necessitate moriendi. Ex hoc autem elicere potest tunc Deum in nostro caussarum occasionalium systemate futurum fuisse peccati auctorem, eo quod nullo præverten̄te peccato, quo natura humana in origine vitiaretur, caussa foret efficiens pravorum motuum in corpore, & pravarum in anima sensationum, quæ ad peccatum excitarent. Cui difficultati sic primum occurro. Cl. Berti in Additamento ad lib. XII. de Theolog. Discipl. Rom. edit. 1739. pag. 550. advertit Clarissimos Theologos Norisium, Petrum Aureolum, Gregorium de Arimino, Martinum de Esparza laudatos in vindiciis Norisianis, Nicolaum Herminierum aliosque cordatos Theologos admittere quidem possibilem statum puræ naturæ sine gratia & donis supernaturalibus, sed ab illo statu rebellem concupiscentiam, quæ rationem prævertit, perspicue removere, propterea quod esset intrinsecus mala, atque docere tunc quidem excitandos partis sensitivæ motus, non quales post Adæ lapsum nos commovent & impellunt, scilicet versus ea, quæ rationi adversantur, eamque prævertunt, sed tales ut cum natura humana & cum ratione conveniant. Qua admissa sententia, quæ in scholis catholicis adhuc potest defendi, nihil est momenti in objecta ratione, eo quod ante voluntatis consensum nullum Deus in corpore motum pravum, & nullam in anima sensationem ad objectum malum excitantem efficeret, sed solum posteaquam anima libere id assentita fuisset; quo in eventu physicum pravæ sensationis a Deo penderet ob commercii legem, quam inter corpus &animam statuisset; morale vero sive deflexio a recta ratione ipsi voluntati esset vitio vertenda.

2. Quod

2. Quod si velimus defendere possibilitatem naturæ puræ etiam quod attinet ad concupiscentiam rebellem & rationis usum prævertentem, minus tamen intensam ea quam Adæ filii post ipsius peccatum experiuntur, primum ajo sustineri posse mediam quamdam sententiam Bancel apud laudatum Gotti, & ipsius Berti cit. loco cap. 3. qui ajunt statum naturæ puræ absolute esse possibilem, ex suppositione vero & moraliter impossibilem, quia *supposita .... divina providentia* [ait ibidem Cl. Berti] *& superiore hominis parte, in qua divina relucet imago, magna saltem probabilitate concluditur, non potuisse creaturam rationalem sine culpa subjici morti, ceterisque animi corporisque miseriis*. Qua in sententia nullus est propositæ difficultati locus, quia Deus ratione habita suæ providentiæ nullam in anima gigneret pravam sensationem, quæ præoccuparet rationis imperium. Deinde etsi attentis suæ providentiæ legibus Deus potuisset hominem in eo statu collocare, respondeo tunc non exigui quidem momenti hanc esse difficultatem, sed quæ sit meo caussarum occasionalium systemati cum aliis communis, atque ideo non tantum a me, verum etiam ab aliis Christianis Philosophis adversus Manichæos aliosque impios solvenda. Nam ad objectam difficultatem eadem reponerem, quæ ad rationem contra hujus status possibilitatem ductam ex eo, quod concupiscentia esse non potest a Deo, sed solum a peccato, Cl. Gotti reposuit his verbis cit. loc. dub. 2. §. 2. *Respondeo distinguendo maj. Concupiscentia ut dicit inordinatam cupiditatem boni delectabilis, contrarii rationi, non est a Deo con. maj. ut dicit vim appetitivam boni sensibilis naturæ convenientis, non est a Deo neg. maj. Concupiscentia sumi potest dupliciter. Primo ut vulgo usurpatur, pro inordinata cupiditate boni delectabilis, contrarii rationi; & hoc modo a Deo non est, sed a peccato... secundo pro potentia & actu appetendi tantum sensibilia; quo sensu nil aliud est quam potentia, vel actus appetitivæ facultatis appetendi ea, quæ naturæ conveniunt, vel necessaria sunt: & hoc modo naturam consequitur, & a Deo auctore naturæ caussatur. Nec obest quod possit erumpere in actus inordinatos & turpes: sicut vita, sensus, & intellectus naturales perfectiones sunt a Deo nobis concreatæ & pariter voluntas, quamvis voluntas possit ad malum & intellectus ad falsum declinare, sensus circa sensibilia deludi, & vita per mortem desinere: ita potentia appetendi sensibilia erit potentia naturalis a Deo procedens, etiamsi in motus vitiosos Deo ac rationi rebelles erumpere possit. Hoc enim modo defectus naturæ est ad potentiam peccandi spectans, & præter intentionem Creatoris, ex sola conditione materiæ procedens, sicuti rubigo quam gladius ferreus contrahit, provenit ex sola conditione materiæ ferri, non vero a fabro ferrario, licet ipse gladium fecerit. Exemplum sicuti & doctrina est S. Thomæ* 1. 2. *q.* 85. *art.* 6. Siquidem etiam in systemate caussarum occasionalium dici potest Deum posita occasione motuum corporum, quæ nostrum circumdant, excitare motus concupiscentiæ in nostro corpore, & posita occasione motuum corporis excitare sensationes concupiscentiæ in anima, sed quatenus naturales sunt, & absolute consideratæ, non quatenus a recta ratione deflectunt. Sed si hæc responsio non placet, ut mihi nequaquam placere potest ob ea, quæ in Theologia Nat. in hac eadem mali materia adversus physicam præmotionem disputaturi sumus, illud repeto, quod modo statui, hanc difficultatem esse quoque ab adversariis solvendam, & in promtu esse alias duas respondendi rationes, quæ sanctitatem divinam bonitatemque magis perspicue sartam tectam de-

fendunt adversus impios, ut in Teologia videbimus.

3. Sed de his in præsentia satis. Nunc revertr ad id, quod ut ab objectis vindicarem, orationem in eumdem locum induxi. Cum in Leibnitiano systemate omnes humani corporis motus solis ipsius & aliorum mundi humanum circumstantium corporum viribus perficiantur, ex altera parte alii exoriuntur Philosophi, qui omnes corporis motus ab anima pendere arbitrantur. Audiamus auctorem adnotationum ad Prælect. Acad. Boeravii adnot. num. 1. ad §. 600. *Swammerdamius Bib. Nat. de ranis* 11. *p.* 844. *consentiente Borello de motu animal.* II. *Prop. LXXX.*, *&* *Peralsus* du toucher II. p. 547. 548. op. omn. du mouvem. des yeus II. p. 581. 588. du bruit III. p. 271. *everso omni discrimine functionum animalium & vitalium, hanc totam quæstionem uno ictu confecerunt, cum animæ rationali pariter cordis & vitalium organorum gubernacula traderent, uti animalem functionem dirigit. Stablius hanc animæ prærogativam in immensum ornavit cum tota sua secta, & animam dixit ope toni (elateris naturalis fibrarum) sanguinem & humores omnes movere* de motu tonico & vital. p. 30. &c. theor. med. p. 260. 567. Confer Menter. Physiol. Med. c. III. &c. Coschwitz org. & mech. n. 103. *Cum Stablio sentit Tabor* Exercit. Med. Tr. III. c. 1. & Porterfields Edimb. Eff. IV., *qui fuse demonstrandum suscipit omnes motus quidem ab anima pendere, ita ut sub initia vitæ solis vitalibus motibus occupetur p.* 225. *multos motus edere, quorum mens conscia sit p.* 216. *quia paulatim adsuefacta ab iis non afficiatur valide p.* 214. 215. *&c. Somnum vero Stablius ân fieri ex voluntaria relaxatione tensionis organorum, quæ anima prudenter remittat, ne nimis perpetuo motu debilitetur, cum eadem cor, pulmones, intestina pergat agitare, probe conscia absque eo motu vitam superesse non posse* Theor. Med. p. 537. & Menter. c. X. p 316. &c.

4. Hactenus adnotationum auctor, qui ad hanc labefactandam sententiam plura respondet, & ad rationem ductam a consuetudine, quæ voluntarios motus in automaticos videtur convertere §. 64. hæc num. 2. illius adnotationis respondet. *Quod anima in organa vitalia arbitrariam potestatem numquam exerceat. Peto hic ut attento animo considerent adversarii ita definitos esse limites imperii naturalis & arbitrarii, ut nullus umquam mortalis, nullum adeo animal umquam in corde, vel ventriculo, vel intestinis visceribusque reliquis ullo modo quidquam immediate & ex arbitrio mutare potuerit, non tollere, non restituere, non augere, non minuere. Mihi certum videtur numquam tantum posse vim consuetudinis, ut integerrime deleverit imperium voluntatis in maximis necessitatibus, animamque ita esse sibi contrariam, ut tunc, quando acerrime optamus circulationis v. g. diminutionem, contra exquisitissimam voluntatem in febre motum cordis inciset. Maxime cum eadem consuetudo nihil quidquam possit minuere imperium nostrum in actiones voluntarias. Quid frequentius nictatione palpebrarum? erectione musculorum dorsi &c. Sed nulla tamen umquam consuetudo facit, quin & harum partium motus sint sub arbitrio nostro. Palpebrarum nictationem, cum voluntaria sit, superavit gladiator* Portelfields IV. p. 114. 115. *& ex solo nutu fieri demonstratur, quod infantes non nictitent, ignari periculi. Neque vicissim femina illa ἄπνους veterum Græcorum post quadraginta dierum intervallum, aut homo, qui ab aneurismate sanato circulationis integritatem recuperat, aut a diuturna quiete intestinorum, qualem demonstrat esse absentia fæcum in longis abstinentiis, redeunte ciborum appetitu, aut submersus post plures horas suscitatus, aut a lan-*

guo-

guore totius hyemis animal aliquod in diaphragma, aut arterias, aut intestina, aut cor imperium exercuit, etsi in his casibus interrupta consuetudine, vitalis motus nulla fuerit familiaritas, quem quies diuturna interceperat. Confer not. 3. ad CCCXC. Aliam esse ideo necesse est rationem, quare hæc satellitia adeo constanter, adeo accurate sejuncta sint. Et paulo post hæc addit. *Nihil hic juvat adducere consuetudinem, peritiam ab habitu, a palpitatione. Puer quamprimum respirat, plorat, respirat, nullo umquam musculorum vocis & respirationis experimento capto. Papilio qui ante quindecim minuta horæ chrysalis fuit, volat, & corpusculum in aere librat, alarum recentissimus possessor.*

5. Hactenus laudatus auctor, cujus rationibus addi potest & alia petita ex eo, quod cor, intestina, aliæque musculosæ corporis partes moveri pergunt per aliquod tempus a corpore sejuncta. Nam ut idem sub finem §. 600. refert se habuisse ventriculum & intestina vivi animalis, separata a reliquo corpore, vidisseque suis in manibus distinctissime reptare viscera, quasi in suo loco mansissent, & si canis uno ictu acutissimi scalpri thorace aperto, cor subito exscissum fuerit, & in vas aqua plenum projectum, inde exsilire perinde ac si in vivo animali reperiretur, & diu, etsi languidius, micare; cor quoque anguillæ decumanæ e corpore evulsum per continuas aliquot horas pergere contrahi & relaxari, & siquando quieverit, posse aqua tepida affusa denuo suscitari. Ex quibus & ex aliis, quæ ibidem ab homine referuntur, compertum fit hos corporis musculos etiam a corpore sejunctos sine ullo animæ præcipientis auxilio sua naturali, undecumque proficiscifcatur, cieri vi, ut inde liceat argumentari etiam tum, cum reliquo corpori adhærent, eosdem posse ad motum continuate sollicitari, quin opus sit ejusdem animæ imperio. Sed de motibus corporis, quatenus ab anima pendent, enucleatius in Physica tractabimus.

PARS SECUNDA.

De animæ essentia, attributis & accidentibus, deque commercio inter animam & corpus.

CAPUT PRIMUM.

De essentia & attributis animæ.

ARTICULUS I.

Anima humana est una, & simplex substantia.

§. 75. Propositio.

Anima humana est una tantum simplex substantia, non vero constat ex pluribus substantiis tamquam partibus actualibus, interque se distinctis, quemadmodum sensibilia mundi corpora ex pluribus substantiis componuntur. Id enim intimo sensu quisque experitur. Nam ego cognosco me unum & eumdem esse, qui ocu-

lis video, qui tactu sentio, qui auribus audio, qui percipio simplicia & universalia, qui adverto ad me ipsum atque ad meas ideas, qui judico, qui ratiocinor, qui alia volo, alia nolo. Jam vero hic intimus sensus unitatis illius ego in quolibet homine non foret, si anima ex pluribus substantiis, tamquam ex partibus, coalesceret. Ergo anima humana &c.

Prob. min. sensationes, ideæ, appetitiones, aversationesque sunt animæ mutationes, quæ vim aliquam absolutam in anima genitam postulant, ut §. 42. Ont. docuimus. Hæc autem vis, utpote aliquod absolutum, a partium animæ, siquæ fuerint, conjunctione, quæ est aliquod relatum, pendere non potest, sed in singulis partibus, aut in aliqua earum seorsim, quin conjunctione sit opus, reperiatur necesse est §. 173. Ont. Quare vel in una tantum ex iis substantiis illa omnia perficiuntur, vel in omnibus sive in pluribus. Si tantum in una, constat quod propositum est, quia hæc una tantum vera foret hominis anima, quæ operaretur, & necessitudinem cum corpore ejusque mutationibus haberet, aliæ omnes otiosæ forent, & nihil operarentur. Sin autem in omnibus, aut in pluribus, vel singulæ easdem sensationes haberent, easdemque elicerent operationes, & tunc singulæ sentirent se esse tot ego, qui oculis videret &c., vel aliæ in aliis partibus atque substantiis forent sensationes actionesque, & tunc multo magis homo experiretur se esse discretum in tot ego, quorum alius oculis videret, alius perciperet auribus, alius &c. quæ cum interiori cujusque nostrum eique clarissimæ conscientiæ adversentur, perspicuum faciunt animam esse unam tantum simplicemque substantiam, non plurium substantiarum congeriem.

2. Quod vero hæc una substantia simplex sit eo saltem sensu, ut neque infinita Dei potentia plures in partes dispesci queat, constat ex iis, quæ disseruimus de ipsa quoque magis ad speciem composita substantia extensa, quam nec ex partibus constare, nec in partes posse resolvi §. 78. & seq. Ont. evidenter ostendimus. Nam vel illæ partes sunt distinctæ, & tunc non foret una, ut ponimus & ostendimus, substantia, sed plures conjunctæ; vel non sunt, & in illo eventu nec ipsemet Deus facere poterit partes quæ non sunt, nisi denuo illas creet, nec terminos, qui ante non erant, ipsos per se facere poterit §. 84. & seq. Ont.

§. 76. Objectio

Intimus sensus, quo aliquis experitur se esse unum & eumdem, qui audit, qui videt, qui olfacit, qui cogitat, qui judicat, qui ratiocinatur, qui vult, non persuadet animam esse unam eamdemque

que simplicem substantiam. Ergo certo non conficitur animam esse unam & simplicem. Prob. ant. Hic intimus identitatis personæ sensus potest esse in pluribus substantiis. Ergo &c. Prob. ant. Potest quis ita intrinsecus affici, ut credat se esse eumdem, qui fuit Cicero, Cesar, Antonius, aut quilibet alius; & revera id contingere observamus in fatuis, qui sibi intime persuasi sunt se esse aut alios homines, aut etiam Deum ipsum. Ergo &c.

§. 77. Responsio

Dist. conf. Hic intimus identitatis personæ sensus potest esse in pluribus substantiis ratione habita sensationum quæ fiunt diverso tempore co. eodem ne. Concedo equidem fieri posse ut Petrus qui nunc vivit, ita intime afficiatur se esse hominem qui antea vixit, perinde ac quisque experitur se esse unam eamdemque substantiam quæ omnia illa simul percipit, ut suadet Lochius *Essai sur l'Ent.* l. 2. cap. 27. tum rationibus, tum exemplis, eique dat Hayerus in libro edito Parisiis an. 1757. inscriptoque *La Spiritualite & l'Immort. de l'Ame* tom. 2. pag. 49. & seq. At id non probat aliud nisi hoc, intimum sensum qui fuit in Cicerone cognitionis suimetipsius, esse posse similem in Petro qui nunc vivit, adeout Petrus ita intime sit persuasus se esse Ciceronem, uti Cicero ipse. Verum id contingit solum in iis sensationibus & cognitionibus, quæ in Petro fiunt diverso tempore, adeout ratione habita sensationum quæ nunc fiunt, credere possit se esse unum hominem; ratione habita earum, quæ paulo post fient, se esse alium. Verum ratione habita sensationum & cogitationum, quas simul in se ipso excitari sentit, non potest intimo sensu clare percipere nisi se esse unum & eumdem ego, qui omnes illas in se recipit. Ex quo concluditur manifestum esse substantiam in homine cogitantem singulis momentis esse unam & eamdem.

§. 78. Instantia

Atqui intimus sensus identitatis personæ, sive unius ego reperiri potest in pluribus substantiis ratione habita sensationum & cognitionum quæ in ipsis eodem tempore fiant. Ergo nulla dist. Prob. min. sub. Intimus sensus unius ego potest componi ex sensationibus & cognitionibus plurium substantiarum. Ergo &c.

§. 79. Responsio

Dist. ant. intimus sensus unius ego potest componi ex sensationibus & cognitionibus plurium substantiarum, si cognitio reflexa posset esse in substantia cognoscente sine directa co. si non posset esse ne. Nam si ex. g. forent in homine quatuor cogitantes substan-

stantiæ quarum prima audiret, altera tangeret, tertia videret colorem album, quarta nigrum; vel singulæ haberent cognitionem reflexam, vel nullæ, vel aliqua tantum. Si singulæ, tunc quæque sua sibi conscia foret se affici sensatione, non alterius, eo quod cum cognitio reflexa non sit nisi cognitio qua anima cognoscit se cognoscere, cognitio reflexa sine directa esse non potest, & quælibet ex iis substantiis non cognosceret se affici nisi sua sensatione, non vero sensatione aliarum. Unde in homine non posset esse ille intimus sensus quo clare cognoscit se esse eumdem ego, qui audit, qui tangit, qui videt colorem album, qui nigrum. Si nullæ, tunc non foret hic intimus sensus, quem esse certissimum est. Si aliqua tantum, ex. gr. ea quæ videt colorem album, tunc ea non haberet intimum sensum aliarum sensationum, ut comprobatum est. Ergo ex hoc intimo sensu clarissime eruitur eamdem & unam esse substantiam quæ illas omnes sensationes habet. Et sane qui posset anima judicare colorem ex. g. album non esse nigrum, nisi in una & eadem substantia foret utriusque cognitio, cum judicium sit unus actus simplex, qui, utpote mutatio status requirens vim, ex conjunctione partium exsistere nequit, sed in singulis esse debet? §. 173. Ont.

2. Et sane quæ substantia sensatione auditus aut coloris afficitur, eamdem esse debere quæ sensatione coloris nigri, ex hoc etiam evidenter patet, quia anima colorem album cum nigro, vel sonum cum nigro colore comparat, & alterum ab altero differre noscit: quod profecto præstare nequiret, si eadem prorsus substantia his omnibus sensationibus & cognitionibus non afficeretur, & quidem simul, ut §. 77. confecimus.

§. 80. *Instantia*

Ex cognitionibus reflexis atque ex intimo sensu plurium substantiarum cognoscentium potest exsistere cognitio reflexa atque intimus sensus unius ego. Ergo &c. Prob. ant. Ex duabus imaginibus objectorum per duos oculos ingressis exsistit in anima una tantum imago objecti, eaque clarior quam singulæ. Ergo &c.

§. 81. *Responsio*

Dist. ant. Ex duabus imaginibus objectorum exsistit in anima una tantum imago, eo quod in eadem simplici substantia eodem tempore excitantur co. aliter ne. Discrimen est inter duas sensationes similes imaginum objecti cujusdam, quæ in eamdem substantiam simul per duos oculos ingrediuntur, interque plures easque diversas sensationes quæ diversas substantias afficiunt. Nam primæ

cum

cum ex altera parte in eodem subjecto conjungantur, & ex altera similes sint, animæ apparere non debent nisi una tantum imago & sensatio, sed clarior, sive intensione major quam singulæ. At in hac re vel omnes sensationes directæ atque ideo etiam reflexæ atque intimus sensus earum sunt in singulis substantiis simplicibus, vel secus. Si secus, jam constat ex superioribus, hunc intimum sensum unius ego, qui eas omnes habet, haberi non posse, quia hic sensus, utpote aliqua cognitio requirens vim quæ est aliquod absolutum, ex conjunctione plurium exsistere nequit. Si etiam, ii quidem intimi sensus essent similes, sed in individuo plures, tot nempe quot sunt substantiæ, in quibus reperiuntur, nec omnes uni & eidem substantiæ apparere possent ut unus, sed cuilibet appareret, tamquam unus, ille tantum, qui in eadem est: videlicet singulæ animæ sentirent se esse unum tantum ego, qui omnes illas sensationes haberet. Quo in eventu præter unam substantiam omnes aliæ superfluæ forent, quia earum intimus sensus nec potest augere intensionem illius qui in una est, cum ex altera parte jam docuerimus aliam substantiam creatam in alia nihil posse tamquam efficientem caussam producere §. 237. Ont. sed solum Deo præbere occasionem ut aliquid efficiat; & ex altera Deus solum ex impressionibus corporum soleat occasionem accipere efficiendi in una tantum animæ substantia intensas quantum vult, omnes cognitiones directas atque reflexas internumque sensum cum iis copulatum.

§. 81. Corollarium

Ex quibus eruitur quantum aberrent a vero Peripatetici qui volunt sensationem doloris & voluptatis etiam in corpore humano reperiri. Nam vel in corporis membris reperitur cum reflexa cognitione, vel sine. Si cum reflexa cognitione, tunc, ut ostendi, non esset in nobis ille intimus sensus, quo anima noscit se esse unum ego qui sentit in pede, in brachio, & in aliis distinctis corporis partibus, quia hæ sunt totidem distinctæ substantiæ, immo etiam tales sunt minimæ singulorum membrorum particulæ. Si absque, tunc perinde esset ac si non forent; siquidem anima non sentit nec reflectit, nec sentire ac reflectere potest nisi ad eas, quæ in seipsa excitantur, ut docui. Jam vero ipsa sibi singularum sensationum conscia est. Ergo non sentit nec reflectit nisi ad eas, quæ in ipsa sunt, non quæ forent in partibus corporis. Ergo perinde forent, ac si non essent.

§. 82. Objectio

Quæ anima plura cognoscit eodem tempore, non est substantia sim-

ſimplex; atqui anima plura cognoſcit ut vidimus §. 40. & quidem eodem tempore. Ergo non eſt ſubſtantia ſimplex. Prob. maj. in ente ſimplici non poſſunt ſimul eſſe plura accidentia abſoluta, atque ideo vires abſolutæ. Ergo &c.

§. 83. Reſponſio

In ente ſimplici ut eſt punctum, non poſſunt eſſe plura accidentia abſoluta co. in ente ſimplici ut eſt ſubſtantia ne. Nam anima non eſt ſimplex uti eſt punctum inextenſum, quia hoc eſt purus ſubſtantiæ extenſæ modus; anima vero non eſt modus, ſed vera ſubſtantia exſiſtens per ſe, utpote quæ diverſis mutationibus eſt obnoxia. Ergo in ipſa poſſunt exſtare plura accidentia abſoluta, quæ non requirunt diſtinctionem realem maximam, ſed ſolum aliquam maxima minorem, quæ non pugnat cum animæ ſimplicitate, eo quod ſolus Deus eſt ita ſimplex ut omnia excludat accidentia. Vide quæ diſſeruimus §. 40.

§. 84. Inſtantia

Atqui ſubſtantia una & ſimplex non poteſt ſimul habere plura accidentia quæ animam ſimul habere obſervamus. Ergo nulla diſt. Prob. min. ſub. Aliquando anima habet accidentia contraria; atqui una & ſimplex ſubſtantia non poteſt habere accidentia contraria; ergo &c. Prob. maj. Anima eodem tempore afficitur ſenſationibus coloris albi & nigri, ſenſatione doloris ob vulnus, & voluptatis in eſu cibi dulcis, & ſimilibus; atqui ſenſationes coloris albi & nigri, voluptatis & doloris ſunt accidentia contraria; quia ſenſatio coloris nigri includit negationem ſenſationis coloris albi: & ſimiliter ſenſatio doloris includit negationem ſenſationis voluptatis.

§. 85. Reſponſio

Diſt. maj. Anima eodem tempore afficitur ſenſationibus contrariis in diverſis quas habet, potentiis co. in eadem ne. & diſt. min. atqui accidentia coloris albi & nigri, voluptatis & doloris ſunt contraria ita ut nequeant eſſe in ſubjecto quod ſit unum ratione ſubſtantiæ & ſimul unum ratione virtutis co. quod ſit quidem unum ratione ſubſtantiæ, ſed multiplex ratione virtutis ne. Nam anima eſt quidem una ſubſtantia, & ideo ſimplex, cum nequeat eſſe una niſi etiam ſit ſimplex §. 75. At plures habet potentias non diſtinctione reali maxima, ſed aliqua minori ſecretas, ratione quarum ſit multiplex virtute, ideſt multis ſimul æquivalere poteſt, & ideo poteſt variis modis affici, & plura ſimul accidentia etiam inter ſe contraria recipere. Ergo ſubſtantia una & ſimplex plura accidentia recipere poteſt.

§. 86.

§. 86. Inſtantia

Animam eſſe ſubſtantiam virtute multiplicem eſt res quæ nullo pacto clare intelligi poteſt, & fuit excogitata a Scholaſticis in eum finem defendendi ipſius ſimplicitatem adverſus clariſſima argumenta contraria. Ergo non eſt admittenda.

§. 87. Reſponſio

Diſt. ant. ſi claram illius rei notionem non haberemus in ſubſtantia corporea omitto; ſi haberemus ne. Nam hujus virtualis multiplicitatis, quam Peripatetici in ſcholas induxerunt ſine clara ejuſdem notione, habemus clariſſimum exemplum in uno extenſo continuo, quod eſt quidem omnino unum ut docui §. 78. Ont. ſed virtute æquivalet multis, quia poteſt eſſe æquale duobus, tribus, quatuor, aliſque in infinitum pluribus omnino diſtinctis §. 84. Ont. Ergo hæc res non eſt gratis conficta, & in gratiam ſimplicitatis animæ ſine ratione excogitata, quia quamvis in anima non ita clare, ut in corpuſculo, cognoſci queat, quomodo habeat plures facultates, & ideo pluribus ſubſtantiis in quibus ſingulæ forent, æquivaleat, tamen ex altera parte hanc virtualem multiplicitatem jam conſtat eſſe poſſibilem, & ex altera certum eſt tum animam quæ diverſa ſimul accidentia habet, eſſe vere unam; tum hæc diverſa accidentia ſimul in anima reperiri.

§. 88. Inſtantia

Quamvis corpuſculum primitivum ſit virtute multiplex, tamen non poteſt habere diverſa accidentia, ut vim ſurſum, & vim deorſum, eodem tempore, ſed unam tantum vim motricem ſingulis momentis. Ergo etſi anima eſt virtute multiplex, tamen non poteſt habere diverſas ſenſationes & cognitiones, quæ ſunt ipſius accidentia.

§. 89. Reſponſio

Diſt. conſ. ſi mutationes animæ forent ſolum relatæ ad ſubſtantiam externam, uti corporis, co. ſi forent interiores ne. Nam in corpore percito aliqua vi intelligitur una tantum mutatio exterioris relationis contactus ad alia corpora circumfuſa, propterea quod alias partes eorumdem corpus motum gradatim contingit, ſed ipſum in ſe permanet idem, ſive quod attinet ad ſubſtantiam, ſive quod ad accidentia. Ratione vero habita hujus contactus plures eſſe poſſunt eodem tempore mutationes in eodem corpuſculo, quia aliis potentialibus partibus alias corporum circumfuſorum partes gradatim contingit. At in anima ipſius vires intrinſecus agunt, & ipſius mutationes ſunt interiores. Ergo in ipſa eſſe queunt plu-

res eæque interiores mutationes. Nam ficut quia ex altera parte corpus eft virtute multiplex, & ex altera ipfius mutationes funt externæ, plures eodem tempore effe queunt hujufmodi externæ mutationes in corpore; ita quia ex altera parte anima eft virtute multiplex, & ex altera ipfius mutationes funt ipfi interiores, plures pariter eodem inftanti effe queunt in anima hujufmodi interiores mutationes. Ergo anima pluribus fenfationibus & cogitationibus eodem tempore cieri poteft.

§. 90. SCHOLION VI.

Invictis rationibus ita fuadetur animam effe unam fubftantiam & ideo fimplicem, ut id a fanæ mentis Philofophis pro certo & explorato haberi debeat. Quod autem certum & exploratum eft, non eft revocandum in dubium ob aliquas rationes contrarias, quæ rem non cogunt & efficiunt, tametfi folutionem non ita claram admittant. Hujufmodi funt quas attulimus, petitas ex pluribus fenfationibus & ideis, quæ fimul in anima funt. Si cui non placet folutio quam dedimus, deducta ex interiori differentia inter mutationes animæ & corporis, quæ mihi videtur fatisfacere propofitæ difficultati confugiat per me licet ad eam fententiam, quam tamen confutavimus §.46.n.5., & ajat fingulis momentis effe quidem unam tantum vim & mutationem five actionem ab ea genitam, fed quæ pluribus æquivaleat mutationibus & actionibus animæ, quæ feorfim quidem excitari poffint, fed cum excitantur fimul, in unam in individuo actionem & mutationem coalefcunt; adeout fenfationes ex. g. coloris albi, & nigri, voluptatis & doloris feorfim gigni queant, fed cum eodem tempore gignuntur, fit una animæ actio & mutatio, in qua iftæ conjunguntur; fed videat ne fe in laqueos induat magis inextricabiles, quia minus difficile eft intelligere animam virtute multiplicem in fuis diverfis potentiis aliter affici, & recipere vires & mutationes contrariarum qualitatum, quam idem omnino animæ accidens tales fenfationes contrarias in fe cohibere. Quo magis magifque refellitur fententia, quam ibi refutavimus.

ARTICULUS II.

An cogitatio fit animæ effentialis vel attributum cum effentia neceffario conjunctum, an vero fit accidens in anima creatum.

§. 91. Propofitio

VIres cogitandi aut appetendi non funt cum anima humana neceffario conjunctæ tamquam ipfius effentialia aut attributa, fed funt ejufdem accidentia, adeout poffit anima permanere non folum fine ulla cogitatione aut appetitu, verum etiam fine ulla vi cogitandi & appetendi. Prob. illa evidenti ratione quam attulimus in Ontologia §. 42. & feq. quod attinet ad omnes fubftantias creatas, & præfertim urfimus de motricibus corporum viribus. Quemad-

admodum corpus est ex sui natura & essentia indifferens ut a loco in quo est, transeat aut ad loca sequentia versus dextram, aut ad loca versus alias quascumque plagas; ita anima est ex sui natura indifferens ut ab idea, cogitatione, & appetitione, quibus percellitur, tam migret ad has talis naturæ & qualitatis, quam ad alias alius prorsus naturæ & qualitatis. Ergo si vis cogitandi & appetendi foret tamquam essentia aut attributum cum anima necessario conjuncta, vis hujusmodi esset indifferens ad hoc, ut ab his cogitatione & appetitione transiret aut ad has alias talis naturæ & qualitatis, aut ad illas alterius omnino diversæ. Vis autem indifferens ad plura diversa non est vera vis, eo quod cum non sit ad unum determinata, non erit ultima ratio mutationis, qualis esse debet vis §. 35. Ont. sed opus erit aliquo alio absoluto, quod eam vim ad unum determinet. §. 42. Ont. Ergo vis cogitandi & appetendi non est animæ essentia aut attributum, sed est ejusdem accidens a Deo in ipsa jam constituta creatum.

2. Confirmatur ratione particulari. Si quælibet singularis vis potest abesse ab anima sine illius corruptione, etiam omnis vis potest ab eadem similiter abesse; sed quælibet singularis & individua vis potest abesse. Ergo & vis omnis cogitandi & appetendi sine animæ corruptione abesse potest. Consequens sive minor ita conficitur. Cum omnis idea essentialiter differat ab aliis, ut idea trianguli ab idea circuli; etiam vis qua formatur una idea, ut trianguli, differt essentialiter a viribus quæ alias eliciunt, ut ideam circuli; atqui quælibet singularis idea ut trianguli, potest abesse a mente & revera abest, cum mens in se ipsa revolvit alia ut circulum. Ergo etiam quælibet singularis vis ab anima abesse potest. Unde probo majorem. Si quælibet singularis vis potest abesse, id argumento est nullam vim esse necessariam. Ergo si quælibet singularis vis abesse potest, omnis abesse poterit. Huc faciunt quæ de ente simplici §. 164. & seq. Ont. differuimus, cum essentiam primariam dari in Ente simplici ostendimus.

§. 92. Objectio

Hac ratione non efficitur omnem cogitandi & appetendi vim posse abesse, si aliqua vis indeterminate possit esse necessaria menti, quamvis nulla determinate sit necessaria. Atqui aliqua vis indeterminate potest esse necessaria, quamvis nulla determinate talis sit. Ergo hac ratione non efficitur omnem vim posse ab anima abesse. Prob. min. Sæpius evenit ut unum ex pluribus sit necessarium cuidam enti indeterminate, nullum vero determinate. Er-

go &c. Prob. ant. Aliqua ex pluribus figuris est necessaria corpori indeterminate, nulla vero determinate, non rotunda quia potest esse quadrata, non quadrata quia potest esse rotunda. Ergo &c.

§. 93. Responsio

Dist. ant. aliqua ex pluribus figuris est necessaria corpori, nulla vero determinate, si percipiatur corpus abstracte & antequam exsistat co. si percipiatur concrete & tamquam exsistens reipsa ne. Jam in Ontologia hujusmodi communem errorem confutavi; nam §. 235. docuimus substantiam extensam, si a mente virtute abstrahendi ea quæ necessario conjuncta sunt, consideretur antequam exsistat, posse exstare cum hac, vel cum illa figura indeterminate, cum hac vel cum illa magnitudine, & cum hac, vel cum illa densitate; sed postquam exstare cœpit & cum aliquibus determinatis figura, magnitudine & densitate tamquam suis substantialibus differentiis conjuncta est, nullam ex iis mutari, & in alias figuram, magnitudinem & spissitatem converti posse, quin totum corpus in nihilum redigatur. Ex quo intelligimus, si vires cogitandi & appetendi forent essentiales animæ tamquam illius substantiales differentiæ, nullam esse quidem determinate necessariam, sed aliquam tantum indeterminate, si anima abstracte consideretur tamquam substantia cognoscens, antequam exsistat; at si consideretur concrete, & tamquam exsistens, debere exsistere cum aliqua determinata vi tamquam illius differentia sine qua exstare nequit, & hanc vim esse debere adeo necessariam ut amplius abesse non queat. Quod cum falsum sit, dicendum est omnem vim cogitandi esse accidens animæ, sicuti est accidens corporis omnis vis motrix, quia quælibet singularis & aliquorsum directa vis ab eodem abesse potest.

§. 94. Instantia

Sed rei consideratæ concrete & quatenus exsistenti potest esse necessarium aliquod ex pluribus indeterminate, quamvis nullum ex iis determinate necessarium sit. Ergo nulla distinctio. Prob. min. sub. Corporibus jam exsistentibus aliquis ex pluribus sitibus est necessarius, nullus vero determinate, & postquam unum situm acquisierunt, alium sine corruptione sui acquirere possunt, & revera acquirunt. Ergo &c.

95. Responsio

Dist. primam partem antecedentis. Corporibus jam exsistentibus aliquis situs indeterminate est necessarius necessitate essentiæ secundariæ & accidentalis co. primariæ & substantialis ne. Distinguo alteram; alium situm acquirere possunt sine destructione substantiæ

&

& essentiæ primariæ & substantialis co. sine destructione secundariæ & accidentalis ne. Discrimen est inter unam substantiam & plures copulatas, quia in una quod est essentiale, ita est necessario conjunctum cum illa ut neque per Deum sejungi possit quin totum intereat, in qua ita necessaria connexione posita est essentia primaria & substantialis. At in pluribus substantiis copulatis, quia ad illorum secundariam essentiam & accidentalem pertinet etiam conjunctio §. 163. Ont. quæ est accidens, etiam ea quæ salva substantia abesse possunt & variari, ad illorum essentiam pertinent sed secundariam, & revera tolli aut variari non possunt, quin hæc conjunctio & essentia inde exsistens tollatur aut varietur. Hujusmodi est situs unius corporis ratione habita aliorum. Hic enim in quolibet primitivo corpusculo est accidens minime necessarium, & revera si omnia alia corpuscula corrumpantur, primum corpusculum permanet sine ullo situ ratione habita aliorum, quæ amplius non sunt. In pluribus, autem quæ aliquam inter se determinatam habent distantiam & ideo situm, est necessarius non ipsorum substantiæ & essentiæ substantiali, sed solum accidentali, quæ posita est in modo, quo illa inter se distant & referuntur. Anima autem est una tantum substantia. Ergo id quod ad illius jam exsistentis essentiam pertinet, debet esse adeo necessarium ut sine animæ destructione tolli nequeat. Igitur unum ex pluribus uni tantum substantiæ, uti est anima, indeterminate necessarium esse non potest, quando nullum determinate necessarium est.

§. *96.* Instantia

Atqui licet vis cogitandi sit in una tantum substantia, qualis est anima, fieri potest ut aliqua ex pluribus viribus indeterminate sit necessaria animæ exsistenti, quamvis nulla determinate necessaria sit. Ergo nulla distinctio. Prob. min. sub. Possibilitates conditionalæ accidentium & modorum in aliquo statu indeterminate necessariæ sunt & esse debent in substantia, sed in nullo determinate, non in proximo, quia possunt esse in remoto, non in remoto, quia possunt esse in proximo §. 89. Log. & seq. & cum substantia exsistit, modo sunt in proximo, modo sunt in remoto: ex. g. si aqua sit calida, potentiam calefaciendi habet in proximo; si frigida, in remoto: & revera modo est calida & habet in proximo; modo est frigida, & habet in remoto, & rursus calida fit & potentiam in proximo recuperat. Ergo &c.

§. *97.* Responsio

Dist. ant. Possibilitates conditionatæ sunt necessariæ substantiæ exsi-

exſiſtenti ſolum indeterminate in aliquo ſtatu, in nullo vero determinate, & hæ poſſibilitates ſunt inter ſe diſtinctæ & diverſæ abſolute ne. relative ſubd. & poſſibilitas ita conſiderata poteſt non eſſe in ente in aliquo ſtatu co. debet eſſe ne. Vel enim poſſibilitas conſideratur ut aliquid poſitivum abſolutum, & tunc idem eſt ac eſſentia & ens ſive ſubſtantia in qua ineſt, quia poſſe & eſſe idem propemodum ſunt. Cum vero ſubſtantia ſive habeat accidens neceſſarium ad aliquid efficiendum, ſive non habeat, ſubſtantialiter eadem ſit; etiam poſſibilitas ſive ſit in ſtatu proximo, quando eſt modus ad illum ſtatum neceſſarius, ſive ſit in remoto, quando non eſt hic modus, hoc pacto conſiderata, ſive tamquam aliquod poſitivum abſolutum, eſt omnino eadem & una. Ergo hoc exemplo, in quo eſt una tantum res, non probatur unum ex pluribus eſſe poſſe neceſſarium rei jam exſiſtenti indeterminate, quamvis nullum determinate neceſſarium ſit; atque idcirco non conficitur aliquam ex pluribus cogitandi viribus quæ ob diverſas ideas diverſæ ſunt, eſſe poſſe animæ indeterminate neceſſariam, quamvis nulla determinate talis ſit.

2. Vel poſſibilitas conſideratur ut aliquid relativum, quia refertur ad modum, illa relatio actualis non eſt in re, ſed a mente ponitur, quæ rei eſſentiam cum modo comparat, & in re non eſt niſi poſſibilitas & fundamentum relationis, ut oſtendimus in Ont. quæque poſſibilitas in ente conſiderata idem eſt ac ipſum eſſe & eſſentia. Qua de re vide quæ ibidem diſſerui §. 31. num. 13. Jam vero quid mirum ſi aliqua indeterminate ex his relationibus ſit neceſſaria enti, nulla vero determinate, & etiam variari poſſit in eadem exſiſtente ſubſtantia & a ſtatu proximo ad remotum, a remoto ad proximum tranſire, cum hæc variatio externæ relationis nullam veram & abſolutam mutationem afferat ſubſtantiæ quod attinet ad ipſius eſſentiam, ſed ſolum quod attinet ad aliquod accidens neceſſarium ad potentiam in ſtatu proximo conſtituendam? At vis cogitandi eſt aliquod vere poſitivum & abſolutum in anima, quod mutari nequit niſi anima in poſitivo & abſoluto intrinſecus mutetur. Ergo ſi vis eſt neceſſaria animæ, non aliqua ex pluribus indeterminate eidem jam exſiſtenti neceſſaria erit, ſed illa tantum ſingularis & individua, quicum ab initio creata eſt, nec amplius mutari poterit.

§. 98. Objectio II.

Proprius ſubſtantiæ caracter ſecundum Leibnitium & Wolphium eſt vis agendi. Ergo cum anima neceſſario connexa eſt vis cogitan-

tandi, tamquam aut essentia aut attributum.

§. *99.* Responsio

Dist. ant. proprius substantiæ increatæ & a se caracter est vis agendi co. proprius creatæ & ab alio ne. Leibnitius & Wolphius affirmant quidem proprium cujuslibet substantiæ caracterem esse vim agendi, sed id non ostendunt. Dico itaque in substantia increata, scilicet Deo vim agendi esse essentialem, quia nullum in ipso accidens esse potest §.182.n.2.Ont. talemque vim in eo non repugnare, bene vero in creatis rebus: nam in illo est simul immutabilis intrinsecus & absolute, quemadmodum esse debet ex eo quod est essentialis; & simul efficax, quia Deus idem omnino manens res creare & conservare potest, & rursus destruere. At in rebus creatis hæc vis simul essentialis & efficax esse nequit. Nam vel unam tantum actionem gignere potest, vel plures diversas. Si unam tantum, tunc etiam actio erit semper eadem, & ideo substantia creata erit prorsus immutabilis uti Deus, quod repugnat: si diversas, tunc res ad essentiam substantialem pertinens poterit in re jam exsistenti aliter atque intrinsecus variari, quod repugnare supra ostendimus; præterquamquod vis hæc agendi multiplex & varia esse deberet pro diversitate actionis quam gignit; quod pariter ostendimus cum vi essentiali pugnare.

§. 100. Instantia

Saltem substantia creata intelligens habet vim essentialem cogitandi. Ergo nulla distinctio. Prob. ant. Ex hac vi cogitandi essentiali nullum sequitur absurdum nec illud ut quod est essentiale, ipsum in se varietur & in aliud mutetur; nec illud ut anima mutationibus obnoxia non sit. Ergo &c. Prob. ant. Non primum, quia potest habere unam vim essentialem cogitandi, quæ eamdem semper gignat cogitationem, & revera habet vim essentialem cognoscendi se ipsam; non secundum quia simul potest habere alias accidentales vires, easque diversas cogitandi, quibus modo unam rem, modo aliam cogitet. Ergo &c.

§. 101. Responsio

Dist. Anima habet vim essentialem cognoscendi se ipsam, si haberet hanc sui cognitionem sine ulla dependentia ab iis diversis ideis, quæ non semper in anima eædem prorsus reperiuntur co. si non haberet &c. ne. Nam ut ostendi in Log. §. 112. num. *6.* quisque experitur se prius recipere ideas per sensus, quibus alias atque alias res cognoscit; deinde ad eas ideas anima conversa cognoscit se cognoscere, indeque elicit cognitionem sui tamquam rei facultate intel-

intelligenti præditæ. Sed illæ diversæ ideæ & vires, a quibus ideæ proficiscuntur, sunt ob allatas rationes accidentia animæ, quæ Deus in illa jam constituta creat; ergo etiam cognitio sui inde sequens, & vis se ipsam cognoscendi sunt animæ accidentia, sine quibus esse potest, quemadmodum sine viribus eas diversas rerum ideas excitandi.

§. 102. Instantia

Atqui licet aliquæ cogitandi vires sint accidentales, tamen vis cognoscendi se ipsam est essentialis. Ergo &c. Prob. min. sub. vis illa & cogitatio ab ea pendens semper eadem & invariata manet, quacumque idea anima percellatur. Ergo &c.

§. 103. Responsio

Dist. ant. Eadem manet si abstracte consideretur co. si concrete ne. Nam cum anima cognoscit se esse substantiam intelligentem ope cognitionis & ideæ ex. gr. figuræ rotundæ, si res consideretur concrete, noscit se esse substantiam intelligentem figuram quadratam. Jam vero cognitiones & ideæ directæ figuræ rotundæ & figuræ quadratæ sunt cum viribus a quibus oriuntur, diversæ, ideoque ob supra allatas rationes accidentia animæ. Ergo etiam cognitiones & ideæ reflexæ, quibus anima cognoscit se esse substantiam cognoscentem figuram rotundam, & quadratam, sunt inter se diversæ, si prout reipsa sunt, considerantur, tametsi anima virtute reflectendi possit non habere rationem aut figuræ quadratæ, aut rotundæ, sed solum considerare animam ut substantiam cognoscentem aliquid. Ergo etiam cognitiones sui, tam inter se diversæ, ob allatas supra rationes animæ sunt accidentia.

§. 104. Objectio III.

Vis cogitandi semper est in anima. Ergo ad illius essentiam pertinet.

§. 105. Responsio

Dist. Vis cogitandi semper est in anima tamquam aliquod accidens perpetuum, quod tamen abesse potest co. tamquam essentialis aut attributum, quod necessario insit, nec separari queat ne. Ex eo quod aliquid semper insit in alia re, certo non colligitur necessario inesse & ad illius essentiam primitivam & substantialem pertinere, quia potest esse accidens perpetuum a sua caussa perpetuo generatum & conservatum, uti est motus in planetis, & uti esse docuimus in Ontologia §. 208. vim gravitatis, atque attractionis in corporibus. Dicimus ergo etiam vim cogitandi esse accidens in anima a Deo semper creatum & conservatum ob rationes

§. 20.

§. 20. & seq. allatas, non vero aliquid, tamquam essentiam aut attributum, necessario inhærens ob rationes quas hic protulimus.

§. 106. Instantia

Atqui hæc vis cogitandi in anima necessario inest tamquam aliquid, ad ipsius substantiam quod pertinet. Ergo nulla distinctio. Prob. min. sub. Si hæc vis cogitandi in anima necessario non esset, anima in agendo non differret a corpore; atqui anima in agendo differt a corpore. Ergo &c. Prob. maj. Anima in agendo per hoc differt a corpore, quod substantia materialis est necessario iners; substantia vero spiritualis & immaterialis est necessario & substantialiter actuosa. Ergo &c.

107. Responsio

Dist. ant. Substantia spiritualis est necessario & substantialiter actuosa, quatenus efficit mutationes in se ipsa co. quatenus efficit per vim cum sui substantia necessario conjunctam ne. Et distinguo conseq. Si vis cogitandi in anima necessario non foret, anima in agendo non differret a corpore quod attinet ad originem vis cognoscendi co. quod attinet ad mutationes a viribus genitas ne. Nam experientia & intimo sensu non cognoscitur esse inter actiones animæ & corpusculi primitivi illa differentia, quam adversarii volunt, quamque nos rationibus claris & perspicuis refutavimus, sed hæc quod vis motrix in corpusculo generat illam solum mutationem externæ relationis ad superficiei alterius corporis partes alias post alias a corpore moto tactas. Ex quo deduximus in Ontol. §.126. n.2. corpus eadem percitum intrinsecus in suis substantia & accidentibus idem manere & variari in accidentibus solum cum ea vis aut corrumpitur, aut variatur. At in anima vis cogitandi interiores generat mutationes, scilicet diversas ideas & appetitiones, quæ sunt interiores quidem, sed accidentales animæ mutationes. Ex hac vero differentia non eruitur vim animæ cum ejusdem substantia necessario copulatam esse debere, sed solum esse accidens diversæ naturæ a vi motrice, quemadmodum anima est diversæ a corpore naturæ. Qua de re consule quæ supra disseruimus §. 89.

§. 108. Instantia & Responsio

Atqui differentia inter actiones animæ & corporis posita est in eo ut animæ actiones oriantur a vi cum substantiali ipsius essentia necessario connexa; corporis vero a vi accidentali. Ergo nulla distinct. Prob. min. sub. Animæ actiones in hoc differunt a corporis, quod illæ sunt liberæ, hæ vero necessariæ; atqui animæ actiones non possunt esse liberæ, si a vi accidentali orirentur. Ergo &c.

Prob. min. Si animæ actiones orirentur a vi accidentali, anima, uti corpus extrinſecus a Deo pelleretur; atqui ſi extrinſecus a Deo pelleretur, non foret in ſuis actionibus libera ſed neceſſaria, uti corpus. Ergo &c.

2. Diſt. min. Si anima extrinſecus a Deo pelleretur vi quam anima non poſſet in hanc aut illam partem dirigere, anima non foret libera co.; ſi pelleretur vi quam poſſet ita dirigere ne. Libertas animæ non oritur ex eo quod animæ vis ſit illi eſſentialis, non accidentalis; nam primo certum eſt vim ſupernaturalem in ſtatu gratiæ attributam tendendi in bonum ſupernaturale ad animæ ſubſtantiam accidere, & tamen certum eſt eamdem non tollere libertatem agendi. Deinde ad libertatem aut neceſſitatem agendi quid confert eam eſſe eſſentialem aut accidentalem, cum in utroque eventu a Deo extrinſecus procedat, creetur atque conſervetur, cum hoc uno diſcrimine, quod ſi ſit eſſentialis ſubſtantiæ, Deus creat & conſervat vim eadem actione, qua creat & conſervat ſubſtantiam §. 201. Ont. ſi ſit accidentalis in eadem ſubſtantia, creat & conſervat actione diverſa? Quare neceſſitas corporis in operando oritur ex eo, quod vis motrix eſt talis naturæ ut eam corpus in hanc aut illam partem inflectere nequeat; vis autem animæ eſt illius alterius ut eam pro libito dirigere poſſit quo vult. De hoc vero enuuleatius in Theologia. Interim patet ad animæ libertatem neceſſarium non eſſe ponere vim animæ tamquam aliquid quod cum illius ſubſtantiali eſſentia neceſſario conjungatur.

§. 109. Scholion VII.

Si ad eum finem ut falſas & commentitias non modo Peripateticorum, verum etiam Recentiorum Philoſophorum circa metaphyſicas quæſtiones ideas corrigere poſſemus, umquam neceſſarium fuit reſtaurare Phyſicam, in multis autem fuiſſe jam docuimus in Ontologia §. 31. num. 5. maxime fuit in hac diſputatione de viribus cogitandi deque earum cum animæ ſubſtantia connexione. Cum enim Philoſophi obſervaſſent ex altera parte figuras in corporibus perpetuo mutari, & ex altera ex natura extenſi finiti aliquam figuram eſſe prorſus neceſſariam in corpore ratione collegiſſent, inde intulerunt principium hoc fieri poſſe ut unum ex pluribus indeterminate ſit omnino neceſſarium & cum ſubſtantia rei neceſſario cohærens & ideo ſubſtantiale, tametſi nullum determinate neceſſarium ſit, idemque non ſolum aliqui ex Ariſtotelæis, verum etiam quidam Recentiores, uti auctor libri inſcripti: *Traitè de l'ame & de l'origine de ſes connoiſſances a Paris* 1759. tom. 1. cap. 7. cujus rationes ſupra diluimus, ad hanc tranſtulere quæſtionem, & quamvis alias atque alias diverſæ naturæ ideas, ideoque etiam vires iis gignendis idoneas ſibi viciſſim in anima ſuccedere obſervarent, tamen hoc freti principio aliquam cogitandi vim

&

& cogitationem indeterminate cum animæ substantia necessario cohærere affirmarunt. Verum ex iis quæ in Ont. §. 235. & hic §. 90. & seq. statuimus manifeste patet ea omnia, sine quibus corpuscula primitiva reipsa exstare nequeunt, ita esse determinate necessaria, ut postquam in statu exsistentiæ eum iisdem conjuncta sunt, amplius vere & intrinsecus variari non possint. Nam substantia extensa, qualis est quodlibet ex primitivis corpusculis, reapse nequit exsistere nisi cum determinatis magnitudine, figura & densitate, quæ tria esse in corpusculo immutabilia enucleate docuimus, adeout sine corruptione totius corpusculi & in nihilum reditu aliæ in eodem magnitudo, figura & densitas esse nequeant. Cum autem observemus vim motricem in corpore talis esse naturæ, ut postquam habuit vim versus alteram partem, possit eam amittere & acquirere vim versus contrariam, inde non minus quam ex ratione exposita in Ontologia §. 42. colligere possumus vim motricem esse talis naturæ, ut corpus sine omni motrice vi constare possit, ideoque vis motrix ad illius substantiam accidat. Nam si corpus nequiret exsistere sine vi ob eam rationem quod nihil aliqua ex parte indeterminatum exsistere potest §. 111. Log. atque ideo vis esset ipsius substantialis determinatio, non aliquam tantum in genere vim, quæ esse non potest ultima rei determinatio, sed talem determinatam ita requireret ut postquam veluti substantialis differentia cum eodem conjuncta est talis determinata vis, amplius separari non posset. Ex quibus efficitur si vis cogitandi & cogitatio inde profecta cum animæ substantia exsistenti forent necessario copulatæ tamquam ipsius substantialis differentia & determinatio; non aliquæ indeterminate vis & cogitatio, sed aliquæ determinate necessariæ forent, adeout postquam anima cum tali determinata vi cogitandi & cogitatione in statu exsistentiæ conjuncta est, sine iis amplius perseverare nequiret. Quod cum falsum esse jam ostenderimus, manifestum est vim cogitandi & cogitationem esse accidentia, sine quibus animæ substantia perstare quit.

2. Nec aliquis objiciat necessarium esse ut aliqua indeterminate ex iis figuris quæ in corporibus sub sensum cadentibus reperiuntur, in iisdem sit, nulla vero determinate; cum hæ figuræ sine corporum destructione perpetuo mutentur. Est enim eadem responsio ac ea quam dedimus objecto, quod a situ fuit depromtum §. 95. & revera illa exterior corporum figura oritur partim a substantialibus figuris quibus donantur quæque quodque corpus componentia corpuscula, partim a situ quem ipsa inter se habent; qua figura quodlibet ex iis corpusculis carere omnino potest, si quemadmodum fieri quit, ab omnibus aliis sit extricatum, aut ex hac corporum universitate solum permaneat.

3. Verum auctor libri supracitati tom. 1. pag. 136. pro necessaria cogitationis cum anima connexione hanc alteram affert rationem, qua litem dirimi putat „ Posita hypothesi quod anima per aliquod temporis intervallum sine ulla cogitatione possit constare, ipsius esse nulla prorsus ratione intelligi quiret. Revera quid est substantia spiritualis, exsistens, nec aliquid intelligens? Tametsi corpus motu spolietur, tamen claram ejusdem habemus notionem tamquam rei ex pluribus impenetrabilibus contextæ partibus, & aliqua figura circumscriptæ. At si anima solum instanti temporis sine cogitatione consistat, nobis exponant in quo ipsius essentia sive substantia posita sit. Contrariæ opinionis Astipulatores respondebunt esse quidpiam, quod tametsi spirituale, non

 est

est neque cogitatio, neque extensio. Sed urgebo; quid contendis sibi velle hoc esse spirituale cogitatione juxta & extensione destitutum? Cedo notionem distinctam. Ne aqua tibi hæreat, fateri cogeris esse nescio quid, aut saltem facultatem cogitandi, quæ in animæ substantia interdum otiatur.„ Post aliqua sic pergit pag. 138. „ Qui puram animæ spiritualitatem attribuunt, ad hæc absurda nequaquam confugient. Igitur alio se debent vertere quo definiant in quo posita sit hæc spiritualis qualitas quæ animam cogitationi aptam reddit etiam eo tempore, quo non cogitat. Id quod hujus sententiæ defensores præstare nequeunt. Statim ac animæ essentia spiritualis admittitur, contendere intelligere animam sine ulla cogitatione, idem est, ac velle imaginatione repræsentare corpus sine ulla cujuscumque generis figura. Ita fit ut non sine ratione statuerim, si anima continuatis non afficitur cogitationibus, ipsius esse intelligi nequire, ipsiusque spiritualitatem esse qualitatem occultam, quam nec definire possumus, nec explicare. „

4. Hactenus auctor ad cujus difficultatem solvendam primum omitto responsionem quam ipse quoque initio quæstionis non repudiat, si solam ideam negantem substantiæ animæ tamquam extensione carentis haberemus, non ideo negandum esse dari animam quæ sit vera & una substantia, quemadmodum paulo ante docuimus §. 75., & hanc alteram affero longius & altius petitam. Duo sunt in extensione sive in corpusculo extenso quod alia corpuscula contingat, esse in tali loco, non in aliis, & cum una sui potentiali parte esse in una parte loci, non in aliis ejusdem loci partibus. Primum est ens, utpote affirmatio, & ideo vera & simplex perfectio; alia duo sunt non ens, utpote negationes, & ideo veræ & simplices imperfectiones. Ex quibus in Ontologia §.31. num.17. expositis deduximus in Deo, in quo omne esse reperitur §.175. Ont. primum reperiri, non vero alia duo. Quamvis autem anima non contineat omne ens, utpote creata & finita; tamen est præsens loco extenso; cum sit substantia, non potest esse uti punctum inextensum, quod est solum substantiæ modus; ergo non uti punctum est solum in puncto inextenso loci, ita anima est tantum in una inextensa parte loci, ut cerebri, in quo ab omnibus Philosophis residere nunc ponitur. Quia vero non est donata extensione, ut paulo post evidenter conficiemus, ex hoc & ex eo quod statuimus, colligitur eam esse totam in qualibet extensi loci, cui est præsens, parte. Cum enim & sit in loco extenso, nec in eodem reperiatur ita ut cum sui potentialibus partibus aliis in aliis loci partibus exsistat; nullus alius est reliquus modus, quo sit eidem præsens, nisi ut tota sit in singulis loci partibus. Nec aliquis ajat hunc exsistendi in loco modum naturali ratione intelligi nequire. Nam aliud est clare & certo cognoscere rem ita esse, aliud clare & certo cognoscere modum quo ita est. Primum evidenti ratione statuitur; siquidem ex principiis lumine naturæ notis plane colligitur: nam cum anima sit in tali parte extensa loci, nec in eodem una sui parte exsistat, quorum utrumque naturali ratione docetur, inde fit ibi non esse cum una sui parte atque ideo totam reperiri. Quod vero perspicue non intelligamus modum, quo id fieri possit, non inde aliquod decedit de certa cognitione talis in loco exsistentiæ, quæ ex evidentibus enuntiationibus deducta est. Quemadmodum ex eo quod clare non percipimus modum, quo fieri possit ut asymtotus & hyperbola numquam concurrant, nihil detrahitur de firmitate hujus rei, quam ex per-

spi-

fpicuis propofitionibus Geometræ rite collegerunt.

5. His expofitis ajo nos fubftantiæ animæ etiam non de aliqua re cogitantis notionem habere ajentem & pofitivam, cum intelligimus eam effe fubftantiam quæ ita eft in loco extenfo ut fit tota in qualibet extenfi loci etiam potentiali parte. At enim fac nullam in anima effe rei extenfæ ideoque extenfi loci notionem; tunc recurret auctoris difficultas nullaque in nobis erit animæ notio. Ut huic objecto fatisfaciam, adverto duo effe effentialia in fubftantia, genus in quo illa cum aliis convenire intelligitur, & differentia fubftantialis, in qua difcrepat ab aliis. Quamobrem ut hæc unius fubftantiæ effentialia, tamquam genera & differentiæ, intelligantur, opus eft alia cognofcere, quibufcum ex parte conveniat, & a quibus ex parte difcrepet. Quare fi nullam habeamus ideam corporis, nulla nobis inerit notio differentiæ fubftantialis inter animam & corpus faltem quatenus eft differentia. Id unum in anima cognofcemus animam effe fubftantiam neceffario habentem poffibilitatem cognofcendi, quia quælibet poffibilitas eft attributum cum effentia neceffario aptum atque connexum §. 87. Log. Nec hujufmodi poffibilitas erit qualitas occulta Peripateticorum, quia etfi ignoremus nexum inter effentiam animæ & cognitionis poffibilitatem, tamen intimo fenfu cognofcimus eam revera cognofcere, & ratione difcimus faltem illius poffibilitatem ad animæ fubftantiam pertinere; quod fatis eft ut digna non fit, quæ inter occultas horum Philofophorum qualitates recenfeatur, propterea quod ut advertimus in Ontologia §. 51. n. 29. horum qualitates in hoc maxime peccabant, quod eafdem exftare non fatis experientia comprobabatur, & alioquin conftet faltem univerfe poffibilitates omnes ab effentia pendere, atque idcirco etiam hanc, tametfi rationem nefciamus, qua eadem ab animæ effentia proficifcatur. Quod vero premit auctor animam immaterialem non effe veluti corpus, in cujus internis difpofitionibus hæc cogitandi facultas collocari poffit, næ ille confundit habitum, qui eft proxima facultas atque facilitas alicujus rei efficiendæ, cum poffibilitate five potentia aliquid præftandi, quæ poteft effe in ftatu aliquo remoto, & revera eft in anima, cum in ipfa a Deo vis cogitandi non excitatur. Quæ cum ita fint, manifefte patet, five corpus & fubftantia extenfa cognofcatur, five fecus, animæ fubftantiam cognofci quire, tametfi nullis reipfa cognitionibus affecta intelligatur.

6. Quod fi nimis urgeat claritatem notionis corporis, quamquam motu omni fpoliatum intelligatur, videat ne hanc rep tens ab impenetrabilibus partibus, quæ in qualibet fubftantia corporea reperiantur, ideam ejufdem nobis obtrudat nimis obfcuram, & in eam incurrat partium quæ neque extenfæ effe poffunt, neque inextenfæ, difficultatem, qua Lochium uti vidimus in Ontol. §. 251. num. 8. ad fuadendum corporis ideam effe valde obfcuram, & paulo poft alios uti videbimus ad fubftantias extenfas & materiales tamquam impoffibiles e rerum natura eliminandas. Cum vero hæc difficultas folvi non poffit nifi in noftra fententia, qui volumus nullas effe reipfa partes in extenfo continuo, fed folum in potentia, quæque a nobis intelligi poffunt, cum unum extenfum cum duobus aliis, cum tribus, cum quatuor quibus fit æquale, comparamus; inde fit ut ad claram atque diftinctam partium extenfæ fubftantiæ potentialium cognitionem venire non poffimus, nifi plura extenfa continua alia aliis majora cognofcamus. Verum hæc obiter; interim manet fubftantiæ

fpi-

spiritualis ajentem cognitionem haberi posse, tametsi eamdem nullis reipsa affectam ideis consideremus; quod satis est ad infirmandam propositam ab auctore difficultatem.

7. Auctor sectione secunda capite primo & secundo eamdem retractat quaestionem, & in anima ponit tamquam cum ejus essentia necessario conjunctum desiderium felicitatis in genere, cui resisti non potest, quodque est caussa cur anima prosiliat in omnes particulares actus liberos, atque idcirco etiam cognitionem, sine qua nihil anima appetere potest. Quod confirmat hac S. Thomae sententia & rationibus ea significatis, quae ubi reperiatur non indicat. *Ex his constituitur quae sit natura voluntatis humanae, quae nempe est velle universim suam beatitudinem, atque ex hac necessaria voluntate prosilire in omnes particulares actus liberos: oportet enim ut illud quod naturaliter alicui convenit & immobiliter, sit principium & fundamentum omnium aliorum; quia omnis motus procedit ab aliquo immobili: illud autem immobile est ipse beatitudinis appetitus, qui se habet in voluntatis actibus, sicuti se habent in intellectivis prima principia.* Ita S. Thomas de appetitu beatitudinis in genere, qui & requirit aliquam entis & boni ante exsistentem in anima cognitionem, & potest esse semper idem & invariabilis, tametsi hujus virtute anima nunc in hoc, nunc in illud particulare bonum feratur. Etsi enim res indeterminatae extra mentem exstare nequeant §. 111. Log. tamen in mente easdem aliquo modo reperiri docuimus. § 112. Log. Ex quo fit ut etiam secundum nostra principia ad substantialem animae essentiam pertinere queat. Cujus cognitionis entis & boni in genere & appetitus ejusdem cum animae substantia necessario copulatorum virtute auctor pag. 475. contendit eam fieri qualis essentialiter esse debet, substantiam agentem, & veram agendi facultatem habentem, propereaquod sine iisdem foret substantia solum patiens, ejusque praerogativa posita esset in simplici potentia recipiendi cogitationes, quae extrinsecus in eadem imprimerentur.

8. Sed paulisper examinemus hanc esse in genere cognitionem quae appetitum boni in genere cum esse necessario conjuncti §. 31. n. 17. Ont. praevertat necesse est, quia mens incognitum amare non potest. Primum ab homine peto an velit posse in anima exsistere solam entis in genere cognitionem sine ulla prorsus ipsius differentiarum notitia, an vero secus, & ideo ajat virtutem, quam habet anima, praescindendi in eo positam esse ut etiamsi anima eodem tempore cognoscat ens & saltem aliquas ipsius differentias, tamen earum rationem non habeat, & ens sive genus tamquam primarium suae cognitionis objectum, differentias autem tamquam secundarium sibi proponat; quemadmodum in Logica §. 133. docuimus cum multorum Peripateticorum sententia, qui volunt praecisionem generis a differentiis esse *formalem*, idest ex parte mentis se habere; non *objectivam*, idest non ex parte objecti in anima repraesentati. Si secundum, jam teneo quod in objectorum solutione confeci, aliam in individuo esse cognitionem entis cum una differentia, ut *a se*; aliam cum alia differentia, uti *ab alio*, atque idcirco ob rationes in antecessum expositas nullam ex iis ad substantialem animae essentiam pertinere. Ex quo fit ut nec appetitus entis & boni in genere inde consequens ad eamdem pertineat. Sin vero confugiat ad primum, ut suam facilius sententiam tueatur, primum videre potest se in re tanti momenti, qualis est quaestio quam tractamus, nimium infirma uti ratione, utpote quae nullam habere possit vim, nisi in systemate, quod

quod multi multis iisque firmis rationibus refutarunt. Tales enim ac tanta est inter ens & ipsius differentias necessitudo, ut pluribus prorsus impossibile videatur solius entis ideam in mente constare, cum idcirco sit ens, quia sunt entia *a se*, *ab alio*, *per se*, *in alio*. Verum hoc misso, cujus occasione obiter moneo hanc Aristotelæorum de præcisione formali & objectiva quæstionem esse unam ex iis, quas ut prorsus nullius usus Philosophi Recentiores contemnunt, cum tamen ex hoc loco appareat esse unam ex iis, quas sua non carere utilitate initio Præfationis Ontologiæ statuimus, hoc, inquam, misso, deinde nego auctorem posse ulla ratione planum facere hanc entis in genere cognitionem ad essentiam animæ pertinere, non vero aliquam aliam alicujus entis suis differentiis affecti. Quid enim cognitio entis in genere præcipui habet præ cognitione entis cujusdam determinati, ut illa cum substantiali animæ essentia sit necessario conjuncta, hæc vero nequaquam? Tandem quid opus est cognitionem entis in genere ab occulta & non satis perspecta & explorata caussa repetere, cum nobis in promtu sit ejus originem derivare a cognitionibus corporum quæ per sensus ingrediuntur? Est enim certum quemlibet attendendo ad ideas corporum, ex quibus etiam vi reflectendi ideam suimetipsius tamquam intelligentis substantiæ deducit §. 112. Log. posse virtute præscindendi paulatim separare differentias omnes ea ratione quam in Logica §. 127. explicavimus, itaque ad genericam entis notionem pervenire. Quamobrem ut levissime dicam, ad verum quamproxime accedit genericam entis ideam ex ideis singularibus per sensus in animam illapsis vi attendendi, reflectendi ac præscindendi depromi, atque inde consequens esse, ut quemadmodum has particulares ideas ad primariam animæ essentiam non pertinere monstratum est, ita illam cum eadem essentia nihil habere commune conficiatur.

9. Quod attinet ad Angelicum Doctorem, concedo hunc beatitudinis appetitum in anima perpetuo reperiri, sed tamquam perpetuum accidens a Deo in anima creatum, quemadmodum gravitas & universe attractio sunt perpetua corporum accidentia, quæ Deus in iisdem creat atque conservat; nec aliter illum sentire apparet ex iis verbis, quibus appetitum beatitudinis comparat cum principiis quorum omnium actualem cognitionem, qualis esse deberet si foret cum animæ substantia necessario conjuncta, semper in anima reperiri nemo dixerit. Nec inde sequitur animam esse substantiam aut pure patientem, aut quæ non sit magis agens quam corpora: non primum, quia patitur quidem quatenus accipit a Deo vim agendi; at agit quatenus per vim acceptam statum mutat §. 35. Ont. quod ni ita foret, anima cum vi supernaturali, quæ certe ad naturam animæ accidit, percita Deum amat, solum pateretur, non ageret; id quod abhorret a fide: non secundum, quia tametsi ex nostro systemate, quod supra exposuimus §.108.n.2.& in Theologia Naturali uberius exponemus, congruenter Thomisticæ Scholæ principiis anima nullum gignere possit absolutum actum, qui utpote ens a solo Deo creari & conservari potest; tamen ibi planum faciemus esse in animæ potestate hos a Deo creatos boni appetitus in utram velit partem dirigere, in quo ipsius libertas posita est, illaque agendi vis, per quam a virtute agendi corporum ad unum in individuo motum determinata longo distat intervallo.

AR-

ARTICULUS III.

De differentia animarum & de tempore quo anima corpori infunditur.

§. 110. SCHOLION VIII.

Circa animarum differentiam qualis reipsa sit, nihil certi statui posse videtur. In tribus autem animas inter se posse differre putamus; primo in ipsamet substantia; secundo in accidentibus internis, scilicet in viribus cogitandi & appetendi; tertio in externis, nempe in majori vel minori perfectione organorum corporis, quicum copulatur. Quod pertinet ad primum, aliqui, inter quos Cl. Alembertus tom. 4. *Melanges de litterature &c.* in Commentario inscripto *Essai de Philosophie* cap. *6.* pag. *63.* arbitrantur nulla ratione intelligi posse quomodo substantiæ omnino simplices, atque ex nullis distinctis coalitæ partibus inter se substantialiter discrepare possint. Verum id saltem universe intelligi quire colligi potest ex iis tribus substantialibus differentiis, quas in corpusculis primitivis ostendimus §. 235. Ont. & ex ea præsertim, quæ posita est in majori vel minori primitiva densitate, quam in infinitum variabilem adversus communem Philosophorum sententiam corpuscula habere posse evidenter confecimus. Et quemadmodum corpuscula inter se differre possunt primum figura, quæ est varia extensionis dispositio, deinde magnitudine quæ est major vel minor ejusdem extensionis participatio, tum in densitate, quæ est illius major vel minor intensio; sic fortasse dici potest animas alias aliter esse intrinsecus dispositas, alias alii respondere loco ea ratione, quam supra explicavimus §. 109. n. 4. & alias alius esse intensionis in eodem loco, cui respondent. Sed hæc tantum pro conjecturis proponimus.

2. Secundum discrimen esse potest in viribus internis & accidentalibus cogitandi quas Deus in iisdem creat, alias in aliis animis majores & perfectiores, cujus creationis ratio esse potest vel in diversa animarum substantiali differentia, quia cum possibilitas accidentium pendeat a natura essentiæ substantialis, quæ illa recipere debet, prout animæ substantia plus vel minus perfecta est, eo perfectiores vel imperfectiores vires recipere potest & recipit; vel in una organorum corporis, cui quæque anima conjuncta est, differentia, quia cum Deus ex impressionibus sensuum & præsertim cerebri occasionem sumat excitandi in anima sensationes & ideas secundum leges, quas sibi tulit in commercio inter animam & corpus; eo clariores & magis distinctas, & perfectiores creare debet, quo sensuum & cerebri fibræ perfectiori & magis artificiosa ratione sunt contextæ, & pluribus, promptioribus, magisque distinctis & celerioribus motibus recipiendis atque diutius continuandis idoneæ sunt. Et revera in eadem anima modo clariores & magis distinctas rerum externarum imagines, modo obscuriores magisque confusas excitari, compertum est, prout aliquis sui corporis sensus modo magis, modo minus convenienter dispositus est.

3. Atque hæc pauca in re tam obscura sufficiant. Nunc venio ad alteram quæstionem de tempore quo anima creatur & corpori infunditur. Quo vero ad illius solutionem viam nobis muniamus, operæ pretium arbitror nonnulla libare ex anatomia circa hominis generationem, de accurata hujus rei disputatione mihi integrum servans in eam Physicæ partem, quæ de corporibus di-

spu-

ſputat vita præditis. Communis eaque, ut videtur, certa peritorum Anatomes ſententia eſt in feminis eſſe ovaria, & in ipſis contineri ovula, in quibus ſingulæ naſcituri fœtus partes tenuiſſimis veluti filis delineatæ, & accurate depictæ continentur. Cum vero aliquod ex iis ovulis maſculi ſeminis ſpiritu vivificatur ac fœcundatur, cor quod punctum ſaliens vocatur, micare incipit, aliæque partes ovulo incluſæ motum acquirunt, ſurgeſcit machinula, ex ovario per tubas, quas ab inventore Fallopio vocant fallopianas, in uterum delabitur, eique placentæ vi tamquam radici inſeritur, variis humoribus enutritur, ſingula organa & partes veluti involutas & agglomeratas explicat & evolvit, quæ ſenſim evolutæ hominem ſuis omnibus membris perfectum & abſolutum efficiunt, & idoneum reddunt ut ſua ſe vi extra uterum poſt aliquot menſes propellat. Circa vero formationem ovorum duæ ſunt in ſcholis opiniones, altera eorum, qui volunt omnia ova fuiſſe ab initio creata, dum primus homo formaretur, ſed ita alia in aliis involuta, ut primum ſemper explicata fuerint ea quæ alia continebant, & deinceps gradatim contenta; altera autem eorum, qui contendunt in ſingulis hominibus eadem formari non ex fortuito humorum aliarumque ſubtilium partium concurſu, ſed ex iiſdem humoribus atque ſubtiliſſimis partibus, quatenus diſtributione partium internarum hominis diſponuntur ac determinantur ad ovum cum iis organicis partibus involutis formandum, quemadmodum artificioſæ quædam figuræ ex metallo fuſo compinguntur, quod non caſu, ſed ob diſpoſitionem formæ in quam infunditur, ad eas formandas determinatur. Quam ſententiam utpote veriſimiliorem, & in graviſſimas primæ difficultates non incurrentem in Phyſicis fortaſſe amplectemur.

4. His poſitis ajo nullam eſſe ſufficientem rationem, cur hac in re diſcedamus a communi qua Philoſophorum, qua Theologorum ſententia, qui volunt animas tunc creari & infundi corporibus, cum fœtus formatur, & amplectamur ſententiam Cl. Wolphii qui ſtatuit omnes animas in Adamo & Eva fuiſſe creatas, iis conjunctas ovis, quæ ſecundum naturæ leges prævidebat iri evolutum, in ſtatu idearum prorſus obſcurarum & ſine rationis uſu, excepta tamen Anima Chriſti, quam ante conceptionem in utero Virginis non fuiſſe creatam fatetur. Nam primo nullius eſt momenti illa ratio quæ pro hac affertur ſententia, quod Deus omnia ab initio creavit, cum id commode intelligi poſſit de corporum creatione, & aliunde ſciamus Deum continuate e nihilo educere vires corporum & animarum §. 42. Ont. Secundo valde incerta eſt ea opinio quod omnia ova in Adamo & Eva fuerint procreata, quæ neceſſaria eſt ſyſtemati defendendo. Nam ſi hæc in ſingulis hominibus de novo formantur ex ſubtiliorum partium concurſu qui ratione modo explicata fiat, nulla erit ratio ponendi in Adamo & Eva omnes futurorum hominum animas. Quod autem incerto ita nititur fundamento, ut etiam eo poſito non neceſſario ſequatur, incertius eſt ideoque minime dignum, cujus in gratiam a tam communi ſententia deſciſcamus. Tertio nec ullius momenti eſt ratio ducta ab originali peccato, quia quod attinet ad dona ſupernaturalia, quorum privationem peccatum Adæ ſecum traxit, cum ea nec Adamo nec ejus poſteris debita forent, non erat a divina juſtitia diſſentaneum, ut ob Adæ peccatum iiſdem privaret animas filiorum ipſius, ſive tunc exſiſterent, ſive ſolum ſuo tempore forent exſtituræ; quod attinet ad concupiſcentiam & ad alia mala, vitia-

to in pœnam peccati Protoparentis corpore atque idcirco etiam corporibus eorum, qui ex eo nasciturі erant, non minus Deo ejusque attributis conveniens erat, ut corpus jam corruptum foret caussa occasionalis cur vitiarentur animæ posterorum, sive tunc in Adamo forent, sive solum ex divino decreto ante culpam Adami jam constituto essent futuræ, quia non minus culpa Adami vacabant animæ tunc exsistentes sed nulla ratione & libertate præditæ, quam eæ quæ solum erat exstituræ. Nec ajant in sententia Leibnitii ac Volphii peccatum Adæ & vitium ab ejus corpore & a corporibus nascituris contractum offendere animas cum iisdem corporibus in suo ovo contentis copulatas: nam respondeo in communi idem peccatum & vitium jam offendisse Deum ad animas creandas & cum corporibus ex Adamo nascituris conjungendas determinatum, qui nostro loquendi more, ante non prævidit Adæ peccatum, & vitium inde oriturum, & deinceps animas creare decrevit, sed prius nascitura secundum leges ab ipso statutas ex Adamo corpora prævidit & animas cum iis conjungere decrevit, & deinde peccatum ipsius & inde vitiandum ejusdem corpus & cum eo corpora posterorum, indeque vitium ad animas eorumdem iri transfusum, a quibus creandis abstinere non debebat, eo quod contra ipsius primum decretum labem ex corporibus erant contracturæ.

5. Quamobrem nihil esse video quod nos a communi sententia deterrere debeat. Cum vero ex iis qui eam sequuntur, aliqui velint animam creari & infundi solum post octogesimum diem in feminis, post quadragesimum in masculis, plures ante quindecim, nonnulli saltem septimo, plurimi demum ex Recentioribus in ipso primo conceptionis momento, cum virile semen comprehendit ovum muliebre, & hoc incipit micare & aliquos edere motus; hanc ultimam amplector sententiam, eo quod tunc anima incipit esse utilis vitæ corporis & posse aliquos edere motus, sed accurate nunc non explico, eo quia de illa, ut monui, mihi integrum servo in ultima Physicæ parte.

ARTICULUS IV.

De animæ humanæ immateriali Natura.

§. 111. Propositio

Anima humana non est substantia materialis & corporea. Prob. Quod cogitare potest, non est substantia materialis & corporea; atqui anima cogitare potest & revera cogitat. Ergo anima humana non est substantia materialis & corporea. Prob. maj. substantia materialis & corporea est substantia extensa; sed quod cogitare potest, non est substantia extensa. Ergo &c. Major patet ex iis quæ ostendimus in Ontologia de extensione quæ est tota primaria materiæ & corporis essentia, ex qua omnes corporum proprietates originem ducunt §. 203. & seq. Ont., quæque ex substantiis inextensis oriri non potest. Unde probatur min. Si cogitationes forent in substantia extensa, vel essent motiones, seu motu perficeren-

rentur, vel essent aliquid a motu diversum, & sine illo exsisterent; atqui in substantia extensa cogitationes esse nequeunt nec tamquam motus, sive aliquid motu perfectum, nec tamquam aliquid a motu distinctum, quodque sine illo sit. Ergo &c.

2. Prima minoris pars facile probatur. Nam hæ cogitationes si motus sint, sine motu intestino partium animæ extensæ fieri nequeunt. Siquidem in judicio neganti, ex. g. lapis non est mollis, tres sunt in anima eodem tempore diversæ ideæ, idea lapidis, idea mollitiei, & idea non convenientiæ inter lapidem & mollitiem. Quare si perceptiones sunt motus, & motu perficiuntur, tres sint eodem tempore in anima diversi & distincti motus oportet, sive sit motus intestinus in diverso partium substantiæ extensæ motu positus, quamvis tota substantia quiesceret. Atqui in una tantum simplici substantia extensa, hic intestinus & diversus partium motus esse nequit, ut §. 162. Ont. ex eo collegimus, quod ex altera parte motus hic diversas reipsa distinctas partes postulat, & ex altera nullæ sunt in una tantum simplici extensa substantia, uti est primitivum corpusculum, reipsa distinctæ partes. Ergo cogitationes in substantia extensa tamquam motus sive aliquid motu perfectum esse nequeunt.

3. Venio ad confirmationem secundæ partis minoris commemoratæ. Si ideæ forent in substantia extensa tamquam aliquid a vi motrice & motu prorsus distinctum, extensæ forent non solum ratione habita objecti quod exhibent uti sunt corpora, verum etiam subjective ut ajunt, sive intrinsecus & ratione habita subjecti, in quo reperiuntur, sive in parte extensa reperirentur. Nec enim id revocari potest in dubium ex eo, quod etsi sphæra & planum extensa sint, tamen sphæra planum contingit & quodammodo afficit in uno tantum puncto inextenso. Nam primo inter contactum & vim, qua ideæ & cogitationes eliciuntur, hoc intercedit discrimen, quod ille est pura relatio inter duo corpora, quæ in communi sententia est in pura superficie corporum; vis autem interiorem substantiam extensam penetret & afficiat necesse est. Quare etsi contactus in puro puncto inextenso, quod in superficie sit, esse quiret, non inde tamen efficeretur ideas & cogitationes, viresque iisdem eliciendis idoneas in parte inextensa substantiæ extensæ esse posse; eoquod cum puncta sint puri modi, sive principia & fines extensæ substantiæ, ex quibus eadem minime componi quit §. 73. Ont. & aliunde extensum ex inextensis coagmentari nequeat, §. 72. Ont. nulla interior substantia-

lis inextensa pars in substantia extensa esse potest. Deinde hoc ipsum, quod ex communi sententia assumitur, contactum in puncto inextenso fieri, falsum esse evidenter docuimus §. 75. Ont. Ergo multo magis inde colligitur ideas esse extensas etiam subjective, idest in extensa substantiæ extensæ parte reperiri debere, si anima extensa sit.

4. Atqui ideæ subjective extensæ non sunt, sive in parte extensa non reperiuntur. Nam primo si tales & in tali parte forent, anima non solum corporum extra se positorum extensionem, verum etiam suammet ideæ, suæque substantiæ extensionem clarissime cognosceret. Siquidem anima clare percipit suam extensionis ideam, & extensionem ab ipsa repræsentatam. Ergo si idea & imago extensionis foret extensa & in parte extensa, etiam ideæ suæque substantiæ extensionem clare cognosceret; quemadmodum qui clare videt imaginem Petri in speculo delineatam, non solius Petri, quod est repræsentatum objectum, sed etiam ipsius imaginis, & speculi, in quo est, extensionem clarissime noscit. Ergo cum extensio sit ex iis, quæ anima clare cognoscit, non solum aliarum rerum, sed etiam suimet ipsius suæque ideæ extensionem videret, si ipsa & ipsius idea forent extensæ. Jam vero ex dissidio inter Philosophos circa animæ extensionem compertum fit animam clare non percipere suimet ipsius suæque ideæ extensionem, quia sicuti Philosophi non dissident in eo, quod anima sit substantia sentiens atque cognoscens, eo quod ipsa suas sensationes cognitionesque clarissime percipit, ita minime dissentirent in quæstione extensionis animæ, si hæc anima suam suæque ideæ extensionem clare perciperet. Igitur ideæ quæ corporum extensionem repræsentant, extensæ non sunt, nec in extensa substantia esse queunt.

5. Deinde quædam ideæ repræsentant res inextensas, in quibus nullo pacto nec cogitatione plures partes aliæ extra alias distingui possunt. Nam quæso quas partes alias extra alias in simplici negatione, ut in perceptione non convenientiæ inter sphæram, & quadratum, mens distinguere potest? Perceptio quidem sphæræ est idea repræsentans id in quo plura alia extra alia distingui possunt, item perceptio quadrati; at perceptio negationis inter utrumque quas partes saltem potentia distinctas alias habet extra alias, quasque mens cogitare potest? Ergo illa prorsus inextensa est. Cumque sit ab aliis duabus distincta, ut colligitur ex eo, quod mens solas ideas sphæræ & quadrati habere potest, quin idea negationis inter ipsa afficiatur; patet hanc ideam mentis aliasque plures similes

subje-

ſubjective extenſas eſſe & in parte extenſa reperiri non poſſe. Ex quo & ex iis, quæ ſupra ſtatuimus, concluditur animam humanam non eſſe ſubſtantiam extenſam materialem atque corpoream.

§. 112. Objectio & Reſponſio

Subſtantia materialis & corporea eſt capax ſenſationis; ergo & cognitionis non ſolum directæ, qualis eſt in ſenſatione, verum etiam reflexæ, quæ a directa disjungi non poteſt. Prob. ant. Ex Paripateticorum doctrina in belluis nulla eſt ſubſtantia extenſione carens, ſed ſolum extenſa & corporea, & nihilominus habent ſenſationes cum reflexione conjunctas. Ergo &c.

2. Diſt. 1. partem anteced. Ex Peripateticorum doctrina, quæ falſa ſit, & omni deſtituta ratione co. quæ vera & ratione innixa ne. Nam ſimul ac belluis veras ſenſationes cognitioneſque concedimus, ut ex obſervationibus eorum, quæ in iis accidunt, plane colligitur, non poſſumus amplius inficiari in iiſdem ineſſe præter corpus ſubſtantiam aliquam inextenſam a corpore prorſus diverſam, idque ob rationes, quas attulimus, quibus conficitur ſubſtantiam extenſam atque corpoream nullius ſenſationis cognitioniſque eſſe capacem. Quamobrem ſi quæ doctrina periculi plena eſt, certe eſt doctrina Peripateticorum, qua poſita actum eſt de demonſtratione immaterialitatis animæ humanæ, quia cum ſecundum eamdem in ſubſtantia corporea poſſit eſſe ſentiendi & cognoſcendi facultas, inde colligitur ex eo quod anima humana cogitat, amplius effici nequire eam eſſe immaterialem atque incorpoream.

§. 113. Inſtantia & Reſponſio

Atqui Peripateticorum doctrina ſua non caret ratione. Ergo &c. Prob. min. ſub. Deus poteſt vel in ipſorum ſententia ex ſinu materiæ educere hanc ſentiendi cognoſcendique facultatem, quam ipſi vocant formam ſubſtantialem, qua belluæ ſentire & cognoſcere poſſunt, vel in aliorum opinione vim ſentiendi cognoſcendique in eadem creare. Ergo &c. Prob. ant. Deus poteſt vel in ipſorum ſententia ex ſinu materiæ educere hanc ſentiendi cognoſcendique facultatem, quam ipſi vocant formam ſubſtantialem, qua belluæ ſentire & cognoſcere poſſunt; vel in aliorum opinione vim ſentiendi cognoſcendique in eadem creare. Ergo &c. Prob. ant. Qui id negat, is ſecundum Lochium, ut monet Gerdilius in libro inſcripto ***L'Immaterialitè de l'Ame a Turin*** pag. 151. nimis anguſtis limitibus coercet infinitam Dei potentiam. Ergo &c.

2. Diſt. Qui id negat, nimis anguſtis limitibus coercet infinitam Dei potentiam, ſi conjunctio facultatis ſentiendi & cognoſcendi cum

ſub-

substantia materiali & corporea non includeret manifesta contradictoria co. si includeret ne. Nam primo quod attinet ad Paripateticos, jam alibi ostendimus §.245. Ont. vires, a quibus mutationes pendent, non ex sinu materiæ sive substantiæ educi, sed in substantiis a Deo tamquam aliquod absolutum creari. Deinde hanc sentiendi cognoscendique facultatem continere manifesta contradictoria jam supra docuimus §. 111. Jam vero si Deo negatur potentia faciendi ea quæ eontradictionem includunt, nimis arctis limitibus eadem non coercetur, eoquod contradictoria utpote impossibilia non sunt ens, cum ens & possibile idem sit, nec Dei omnipotentia pertinet nisi ad ea, quæ in aliquo entium genere continentur.

§. 114. Instantia & Responsio

Atqui conjunctio facultatis sentiendi & cogitandi cum substantia materiali & corporea non includit manifestam contradictionem. Ergo &c. Prob. min. sub. ex Lochio, qui ita rationem concludit loco citato. Contradictio a defensoribus immaterialitatis animæ asserta in eo posita est, quod in idea extensionis solidæ, quæ est essentia materiæ & corporis, nullo modo continetur idea sensationis cognitionisque, & secunda ex prima nullo pacto elici potest; atqui in hoc nulla est contradictio. Cum enim nostra mens sit in cognoscendo finita, multa Deus corporibus tribuere potest, quæ corporis essentiam nequaquam destruant, sed cum ea concilientur, & nihilominus ex eadem illa inferre nequeamus, & earum ideas cum idea essentiæ nequaquam conjungi noscamus. Revera vis, qua se invicem trahunt in distantia, ex extensione nequaquam colligitur, & tamen hanc vim in iisdem esse observationibus colligimus. Ergo &c.

2. Dist. Contradictio ab aliquibus Defensoribus immaterialitatis animæ, ut a Gerdilio, asserta in eo posita est ut &c. co. ab aliis uti a me ne. Gerdilius arbitratur absoluta accidentia prorsus cum ratione pugnare, indeque elicit omnes animæ & corporis facultates non esse, nisi modos eorumdem, sive eorumdem substantiam, quatenus tali ac tali pacto afficitur. Cumque nulla ratione intelligi possit cognitiones appetitionesque esse modos extensæ solidæque substantiæ, eoquod substantia extensa non intelligitur capax, nisi motus localis, figuræ, divisionis & aliorum, quæ inde inferuntur; inde concludit cum substantia extensa nulla ratione cognitiones volitionesque posse cocjungi. Sed principium, unde hæc ducuntur, prorsus falsum est; nam §.42. & seq. Ontol. confecimus in substantiis a Deo creari vires tamquam aliquid absolutum, iisdemque substantiis

tiis jam creatis atque constitutis accedens. Ad summum dicimus mutationes a viribus genitas esse modos substantiæ, quæ illa cietur vi, uti motus est in corporibus modus qui a vi motrice generatur, quemadmodum & cognitiones volitionesque sunt mutationes & modi animæ, geniti a viribus cognoscendi & volendi in eadem a Deo creatis.

3. Verum ad omnes amovendas difficultates non conquiescimus in eo, quod hæ cognitiones appetitionesque in substantia materiali ejusque cognitis modis non contineantur, quod dici posset argumentum negans, sed utimur ajente, & propter rationes §. 111. allatas dicimus cognitiones volitionesque cum substantia materiali & corporea pugnare, atque idcirco in eadem neque per Dei potentiam esse quire. Quod a Lochio adjungitur de vi attractrice, tantum abest ut valeat contra nos, ut potius nobis non parum faveat. Nam quemadmodum quia pugnare ostendimus actionem corporis alterius in alterum non solum in distantia, verum etiam in contactu §. 237. Ont. inde inferimus nec Dei potentia fieri posse, ut corpus tamquam effectrix caussa trahat & pellat alterum corpus aut conjunctum, aut distans; ita hic ex eo, quod cognitiones volitionesque cum substantia materiali pugnant, concludimus easdem cum materia nec a Deo posse conjungi.

§. 115. Instantia & Responsio

Atqui nulla ajenti ratione satis ostenditur sensationes cognitionesque in substantia materiali & corporea esse nequire. Ergo &c. Prob. min. sub. ex eodem Lochio. Id nulla ajenti ratione satis ostenditur, si possit Deus tam in substantia animæ vim motricem efficere, quam in substantia corporis vim sentiendi & cognoscendi; atqui Deus id potest. Ergo &c. Prob. min. Potest Deus tam animæ substantiam, quam corporis sine ulla vi agendi a principio creare. Ergo utrique substantiæ addere potest indifferenter tam vim motricem, quam vim cognoscendi. Prob. conseq. Deus animæ per nos tribuere potest vim se ipsam sua sponte movendi, eo quod anima suis in actionibus libera est. Ergo etiam substantiæ corporis eamdem addere quit: vis autem se ipsam movendi in substantia, quæ illa donatur, vim cognoscendi requirit. Ergo si Deus potest tam animæ substantiam, quam corporis sine ulla creare vi, potest utrique substantiæ tam vim motricem, quam vim sentiendi indifferenter tribuere.

2. Gerdilius in dubium revocat antecedentem propositionem, atque ad verum quamproxime accedere putat tam esse substantiæ

ani-

animæ necessariam & essentialem aliquam cogitationem, quam sit substantiæ corporis necessaria quædam figura. Verum insigne discrimen esse inter utrumque, ignotum Philosophis, qui in intimiorem substantiæ extensæ naturam satis non penetrarunt §. 91. & seq. docuimus. Nam ex eo quod primitiva corpuscula nec in partes secari, nec comprimi, nec intumescere, nec propter partium defectum motu intestino cieri possunt, §. 162. Ont. collegimus in singulis eorum figuram ita esse necessariam, ut non aliqua tantum in iis esse debeat, sed illa, quicum creata sunt, sit prorsus immutabilis, tamquam interior & relativa eorum prorsus necessaria determinatio, sine qua reipsa esse non queunt. At cognitiones appetitionesque animæ semper in eadem anima aliæ atque aliæ sunt, adeout salva animæ substantia vel has, vel illas cogitationes appetitionesque possit habere, ut corporis substantia nullum determinate locum, quorsum feratur, desiderat & ad omnia sit prorsus indifferens. Ex quo §. 42. Ont. & hic §. 91. & seq. plane collegimus non minus corporis mutationes, quam animæ, proficisci ab accidentali vi, quam Deus in iisdem substantiis jam constitutis creat.

3. Quamobrem dist. conseq. Ergo si potest Deus tam animæ &c. si utraque substantia utriusque vis foret capax co. si non sit ne. Hæc Lochii ratio offendit in primis Ontologiæ principiis. Nam ad eum finem ut accidentia reipsa sint in substantia, non satis est Ens externum a quo reipsa gignantur §. 106. n. 2. Log., sed prius necessarium est ut esse possint. Cur vero esse possint, id pendet a natura & essentia ejusdem substantiæ §. 87. Log. Et revera lignum ab igne comburitur, non autem aurum, quod auri natura & essentia non patitur ut ab igne comburi possit. Quo posito ajo naturam & essentiam materiæ sive extensæ substantiæ non pati, ut in eadem vis sentiendi cognoscendique a Deo creetur, idque propter allatas §. 111. rationes. Hoc autem constituto quid momenti esse potest in allata a Lochio ratione, sita in eo, quod animæ substantia sine ulla vi creari quit?

§. 116. Instantia & Responsio

Atqui nulla evidenti ratione ostendi potest substantiam materialem non esse capacem sensationum & cognitionum. Ergo &c. Prob. min. sub. In substantia extensa præter extensionem & figuram est aliquid latens & incognitum; atqui nulla evidenti ratione ostendi potest hoc latens & incognitum ob id ipsum quod ignotum est, non esse capax sensationum & cognitionum. Ergo &c. Prob. maj. In substantia extensa præter extensionem quæ est aliquid iners, est ne-

necessarium agendi principium, quod sit caussa mutationum materiæ, & revera sunt attractio & repulsio, inertia & impenetrabilitas, quæ nulla sunt donata figura & nihilominus in materia exsistunt. Atqui hoc agendi principium nos penitus latet. Ergo &c.

2. Dist. maj. & min. In substantia extensa necessarium est agendi principium substantiale ne. accidentale sub. quod sit vis motrix & aliqua ipsius species co. quod sit vis distincta a motrice ne. Atqui hoc agendi principium substantiale nos latet co. accidentale subd. quod sit vis distincta a motrice co. quod sit motrix ne. Hoc celebre argumentum usurpatum a pluribus, uti a Lochio *Essai sur l'Entend. Humain* a Metryo in libro, quem in scholio expendemus, a Clerico Oper. Philos. tom. 2. Pneumat. sect. 1. cap. 1. n. 8. p. 7., & præter alios, quos in scholio pariter refutabimus, ab auctore libri inscripti *Nouvelle liberté de penser*, qui pag. 159. advertit in materia novas in dies observari proprietates ante incognitas, quasque nullo pacto in eadem esse posse umquam putassemus, cognitionem cum materia nequaquam pugnare, atque idcirco facultates materiæ non esse sine caussa angustis limitibus coercendas, nec inutilem substantiam, cujus ope nulla difficultas resolvitur, a materia secretam esse in Philosophiam inducendam sine necessitate; hoc, inquam, argumentum facile a me diluitur, qui ostenderim in Ontologia solam extensionem esse primariam & substantialem corporis essentiam §. 203. & seq. principium agendi esse prorsus accidentale a Deo creatum in substantia extensa jam exsistente §.42. & seq. Ont. hocque principium non esse nisi vires motrices accidentales, visque motricis, sed in diversis circumstantiis a Deo genitæ, effectus esse attractionem, repulsionem §. 303. inertiam 304. ibid. & impenetrabilitatem ab illa pendentem §. citato aliasque omnes qualitates actuosas, quæ a Philosophis etiamnum in materia detectæ fuerunt. Jam vero extensam substantiam ob id ipsum, quod est extensa, esse ineptam docuimus sensationibus cognitionibusque recipiendis sive ope vis motricis, sive absque illa. Ergo etiamsi daremus aliquid aliud incognitum in materia latere, tamen ex eo quod in illa reperiri cognoscimus, inferre possumus materiam esse ineptam hisce mutationibus recipiendis.

§. 117. Instantia & Responsio

Atqui licet principium agendi, sive vis sit accidens extensæ substantiæ, tamen ex eo colligitur nulla ratione ostendi posse animam non esse capacem cognitionis. Ergo &c. Prob. min. sub. Ex eo colligitur exstare posse in materia aliquod nec extensum nec figura-

tum, quia nulla extensio nec ulla figura in vim cadere potest; atqui si in materia exstare potest aliquod inextensum & carens figura, nulla ratione ostendi potest materiam esse incapacem sensationum & cognitionum. Ergo &c. Prob. min. ideo non foret capax quia hæ sunt inextensæ & figuræ expertes. Ergo &c.

2. Dist. ant. Ideo non foret capax, quia hæ sunt inextensæ & figuræ expertes, & simul etiam quia ad extensionem non referuntur co. præcise ob solam carentiam extensionis & figuræ ne. Licet enim vis motrix vere non possit dici extensa aut figura donata, quia non est substantia extensa, sed tantum illius accidens; tamen ex altera parte ad extensionem refertur, & illius adminiculo substantia extensa alteram substantiam extensam gradatim contingit, & ex altera in parte extensa esse potest. At sensationes & cognitiones ad motum non tendunt, quia motu perfici nequeunt §. 111. n. 2. & idcirco ad extensionem nullo pacto referuntur nec in parte extensa esse queunt §. ibid. n. 4. Ergo ex eo quod substantia extensa est capax vis inextensæ quidem & nulla donatæ figuræ, sed ad extensionem relatæ, non colligitur nulla ratione ostendi posse substantiam extensam non esse capacem cognitionum.

§. 118. Instantia & Responsio

Atqui nulla ratione probatur materiam esse incapacem mutationum quæ ad motum & ad extensionem non referuntur, uti sunt cognitiones. Ergo &c. Prob. min. sub. Efficacissima ratio qua id probari potest, est posita in eo, quod actio individua cujusque dimidia pars, tertia, quarta dari non possunt, uti negatio, affirmatio & alia hujusmodi, non potest esse in substantia ex partibus composita, quæque in infinitum dividi potest, cujusmodi est materia in communi sententia; atqui in meo systemate hæc ratio nihil efficit. Ergo &c. Prob. min. in meo systemate quodlibet corpusculum primitivum, sive quælibet una substantia est vere simplex, & ex nullis coalita partibus §. 78. & seq. Ont. Ergo &c.

2. Dist. ant. Quodlibet primitivum corpusculum est actu unum & simplex & insectile, sed ita ut potentia sit multiplex sive possit esse æquale duobus distinctis, tribus, quatuor &c. co. aliter ne. Et dist. conseq. Ergo in meo systemate hæc ratio nihil efficit, si contorqueatur eo modo, qui a Philosophis communiter usurpatur co. si alio, ut supra feci, ne. Nam Philosophi in eo decepti sunt, quod crediderunt quodlibet extensum ex partibus actu distinctis coalescere. Verum id quidem falsum esse docui §. 78. Ont. sed ita ut cujuslibet corpusculi dari possit aliud corpusculum æquale dimidiæ,

ter-

tertiæ parti, quartæ &c. primi. §. 84. Ont. Hoc posito vis motrix quæ est in primo corpusculo, est talis naturæ, ut illius dimidia pars esse possit in altero corpusculo quod sit æquale dimidio primi, sed eadem celeritate feratur. Unde etsi non est extensa, tamen illius dimidia, tertia, quarta &c. pars inveniri possunt instar partium extensi. At negationes, affirmationes, dubia, perceptiones relationum aliaque similia sunt inextensa & individua non solum actu, sed etiam potentia, adeout nec in substantia extensa quæ sit dimidia, tertia, quarta &c. pars primæ, inveniri possint dimidiæ, tertiæ, quartæ &c. partes earum perceptionum, ut §. antec. perspicuum feci, & magis etiam faciam in scholio sequenti. Atque hinc magis intelligitur, cur vis motrix esse possit in substantia extensa, non autem cogitationes; magisque constat ratio solutionis quam dedimus ad antegressam difficultatem. Igitur etiam in meo systemate ratio allata id efficacissime probat, si hoc pacto contorqueatur.

§. 119. Objectio & Responsio

Si anima foret immaterialis & inextensa, non posset cum corpore jungi: atqui cum corpore conjungitur. Ergo non est immaterialis & inextensa. Prob. maj. Si non foret extensa, nullum haberet extremum; atqui si nullum haberet extremum, corpori non foret conjuncta. Ergo &c. Prob. min. conjunctio fit in extremis duarum substantiarum, quæ in iisdem se contingant. Ergo &c.

2. Dist. ant. conjunctio actuosa & efficax fit in extremis ne. conjunctio iners & puræ relationis sub. eo sensu, ut duæ substantiæ se contingentes alia in alius substantiam se intrudant co. aliter ne. Nam primo jam advertimus conjunctionem illam inertem corporum simpliciter se contingentium sine ulla vi, qua vicissim cohæreant, non fieri in pura superficie, quæ est extremum corporis, sed in interiori substantia saltem aliquantisper. Deinde ajo hac in re maxime esse attendendam conjunctionem actuosam, qua fit ut corpus alterum in altero agat & operetur; quæ conjunctio esse potest etiam inter substantiam immaterialem qualis est anima, & inter materialem, quale est corpus, tametsi nulla sint extrema in quibus se contingant.

§. 120. Instantia & Responsio

Atqui inter animam immaterialem, & corpus esse non potest neque conjunctio actuosa; ergo &c. Prob. min. sub. Si se non contingant, non potest aliud agere in alio, ut revera videmus corpus ciere animam, & animam movere corpus. Ergo &c.

 2. Dist.

2. Dist. Si se non contingant, non potest aliud agere in alio tamquam efficiens caussa omitto: tamquam occasionalis ne. Tantum abest ut contactus sit necessarius ad ipsam quoque mutuam corporum actionem, ut etiam corpora distantia in se vicissim agant eo sensu, quem in Ont. §. 303. & seq. explicavimus. Ergo multo minus is necessarius est in mutua corporis & animæ actione. Distinctionis ratio quod attinet ad primam partem quam omittimus, est quia cum solus Deus tamquam efficiens caussa operetur §. 256. Ont. & alioquin is nullam habeat extensionem aut ipsius terminum; inde fit contactum neque in caussis vere efficientibus esse necessario admittendum: quod attinet vero ad secundam, jam ipsum per se patet in caussis occasionalibus quales sunt anima & corpus §. citato & omnes creatæ substantiæ, dum in se vicissim agere videntur, adeo non esse necessarium contactum, ut etiam satis esse docuerimus alterutram ex ipsis in sola potentia proxima exstare §. 269. Ont.

§. 121. Instantia & Responsio

Atqui anima non agit in corpore tamquam caussa occasionalis, nec corpus in anima. Ergo &c. Prob. min. sub. Si anima & corpus forent caussæ occasionales, & solus Deus foret efficiens, supervacaneum fuisset tot innumerabiles nervos & tam varie inter se contextos ad sensationes excitandas destinare, & Deus melius fecisset, si paucioribus mediis & instrumentis eas sensationes excitasset. Atqui dicendum non est Deum aliquid supervacaneum fecisse. Ergo &c.

2. Dist. Supervacaneum fuisset attenta absoluta necessitate co. attenta hypothetica ne. Nam ex hypothesi quod Deus voluerit in anima innumerabiles diversas sensationes & cognitiones, & simul ut hæ viderentur ab impressionibus cerebri pendere, ex necessitate non absoluta sed hypothetica, debuit innumerabiles nervos & varie contextos destinare, ut innumerabiles & diversi forent eorum motus, & ideo innumerabiles & diversas sensationes efficerent.

§. 122. Propositio

Si in singulis corporum elementis, sive primitivis corpusculis sensatio & cognitio esse nequit, nec in iisdem simul copulatis & quocumque modo dispositis esse quit. Prob. Prædicata absoluta si non sint in singulis partibus, nec in iisdem quocumque modo conjunctis & dispositis esse queunt, eo quod a conjunctione & dispositione partium, quæ est aliqua relatio, oriri non possunt §. 173. Ont. atqui sensationes, cognitionesque sunt mutationes status, quæ vim absolutam in anima genitam requirunt §. 43. & seq.

seq. Ont. Ergo si in singulis corporum elementis &c. Et revera si nulli corporis parti vis sursum tendendi insit, nec in iisdem conjunctis esse poterit, eo quod vis motrix utpote aliquod absolutum oriri non potest a conjunctione partium, quæ utpote aliquod inter partes relativum gignere non potest prædicatum absolutum & relationem inter partes nequaquam significans. Idem ergo dicendum de animæ vi sentiendi cognoscendique.

2. Quæ objecta hic proponi possunt, jam proposuimus atque diluimus in quæstione exsistentiæ Entis a se, quod prædicatum a se non posse neque ex conjunctione infinitorum Entium ab alio oriri docuimus in Logica §. 56. & seq. quos consule, si nullum ex entibus sit a se, rationemque ex natura prædicati absoluti deduximus.

3. Id unum hic advertimus, quod anima etiamsi foret extensa substantia, esset tamen unum tantum ex iis primitivis corpusculis, quæ sunt in corpore humano, non vero plurium congeries. Nam vel omnes animæ ideæ & appetitiones sunt in uno tantum ex iis corpusculis, vel in pluribus. Si primum, constat illud solum, in quo omnes ideæ & appetitus reperiuntur, esse veram hominis animam, sive substantiam cogitantem atque volentem; si in pluribus, vel singulæ ideæ & appetitiones sunt tantum in singulis corpusculis, adeout aliæ sint in aliis, vel omnes sunt in omnibus. Primum est contrarium illi certissimæ interiori experientiæ, qua quisque sibi conscius est se esse unum & eumdem, qui videt, qui audit, qui tangit, qui reflectit, qui judicat, qui ratiocinatur, qui vult §. 75. Tunc enim singula corpuscula se esse ab aliis eodem tempore cogitantibus distincta cognoscerent. Quare primum non est admittendum. Sin autem secundum, vel singulæ integræ ideæ & appetitiones sunt in omnibus, vel ita sunt in omnibus, ut una pars cujuslibet ideæ & appetitionis sit in uno corpusculo, aliæ vero partes in aliis. Si primum, tunc non una tantum ejusdem rei foret in anima idea, & appetitio, sed plures, totidem scilicet, quot sunt corpuscula illam integram habentia. Nam si ob id unum, quod in distorsione oculorum duæ distinctæ imagines ejusdem rei diverso modo in anima repræsentantur, duæ distinctæ ejusdem objecti imagines apparent, multo magis plures apparerent, si plures forent substantiæ cogitantes, & in singulis integræ ideæ & imagines exhiberentur. Hoc autem adversatur constanti & perpetuæ experientiæ, qua mihi constat unam unius tantum circuli a me visi imaginem, & ideam haberi, & similiter unam tantum ex omnibus aliis sensationibus, quæ ab una impressione proficiscuntur.

Er-

Ergo primum est repudiandum. Sin vero secundum, quælibet substantia extensa, sive quodlibet ex primitivis corpusculis quæ animam componunt, aliquam tantum partem cujuslibet ideæ ex. g. circuli haberet. Ergo multo magis quælibet ex iis cognosceret se esse ab aliis distinctam, cum & diversam objecti partem atque ideo diversam ideam haberet. Quod superiori experientiæ pariter contrarium est. Dicendum est ergo in diversis substantiis, etiamsi hæ forent extensæ, animam non reperiri, sed eam esse unam & eamdem substantiam.

§. 123. SCHOLION IX.

In hac celeberrima & maxime necessaria totius Philosophiæ quæstione, in qua natura animæ humanæ materiæ & corporis expers statuitur, illud primo loco certissimum & evidentissimum est virtutem sentiendi & cogitandi si non sit in singulis materiæ & corporum elementis, nec posse in iisdem, quodcumcumque disponantur modo, reperiri. Præter clarissimam a priori rationem, qua id suadetur, præsto sunt innumerabilia exempla, quibus compertum sit prædicata absoluta, cujusmodi est vis, vel reperiri in singulis partibus, vel neque ex ipsarum conjunctione exsistere posse. Philosophis qua antiquis qua recentioribus, qui aliter senserunt, fucum fecere quædam physica exempla, in quibus non distinxerunt inter ipsam prædicati absoluti naturam, quæ in singulis partibus esse debet, interque ejusdem magnitudinem, quæ utpote aliquod ad aliud relatum, ex ipsamet partium copulatione ortum ducit, atque etiam dispositionem, quæ ab eadem conjunctione pariter oriatur. Nam vis motrix ex. g. sonum gignens est in singulis tubæ aut organi partibus §. 99. Log. at ipsius magnitudo, qua fit ut aures feriantur, & illa quæ sentitur, ipsius temperatio dispositioque a conjunctione oritur singularum tubæ aut organi partium, qua fit ut singuli tremitus in singulis moleculis geniti in unum coeant, inter se multimodi attemperentur ac disponantur, & varios illos in anima sonos efficiant. At si singuli in singulis particulis minimi tremitus & soni non essent, nec in tuba aut organo ex iis partibus coalito tantus foret, tamque mirifice temperatus, propterea quod numerus & varia dispositio partium cujusdam rei ipsas partes jam exstantes requirit. Quod si ex. g. adversarii opponant exemplum ligni, cujus minimæ particulæ separatæ deorsum in aqua tendunt, conjunctæ vero sursum feruntur, id solutu facilius est, quam ut necesse sit valde in eodem diluendo immorari. Non enim ipsa per se molecularum ligni coagmentatio facit, ut quæ vis sursum in aqua in particulis disjunctis non erat, eadem in iis copulatis exsistat; sed parvi meatus inter particulas intercepti sunt caussa, cur lignea massa minori vi deorsum tendat in aquis, quam æquale earumdem volumen, atque idcirco a circumfusis aquæ columnis majori deorsum tendentibus superiora versus pellatur. Hæc & similia Philosophis in Recentiori Physica versatis non solum explicatu facilia videntur, sed etiam idonea ad id confirmandum, quod hic nobis propositum est, mutationes & vires iis gignendis necessarias §. 173. Ont. in collectione & dispositione partium non posse ullo modo inveniri, nisi in singulis partibus exsistant, & in iisdem singulis etiam disjunctis saltem ex aliqua minima portio-

ne

ne exsistere possint. Cum vero sensationes, cognitiones, ac appetitus sint mutationes status animæ, quæ vim absolutam in eadem a Deo genitam requirunt §. 42. Ont. inde consequens fit easdem si in singulis materiæ & corporum elementis non reperiantur, nec reperiri queant, nec in iisdem quacumque ratione conjunctis atque dispositis posse inveniri. Quare a Philosopho omnino repudiandi sunt tam aliqui ex antiquis Philosophis, qui ex certo quodam ordine atque dispositione partium materiæ animam, quæ sentit & cogitat, conflari voluerunt, inter quos fuit Dicearchus, ut videre licet apud Bælium in dictionario, V. *Dicearche*, tum quidam ex Recentioribus, qui eamdem impiam simul & inanem opinionem amplexati sunt, inter quos veritus non est recenseri auctor quidam Anglus, cujus libri fit mentio tom. IV. pag. 24. Diarii inscripti *Estratto della Letterat. Europ. a Berna*.

2. Hac itaque explosa quorumdam Materialistarum sententia, restat ut videamus, an in ipsis materiæ elementis inesse possit vis sentiendi cogitandique. Qua in re si prima materiæ & corporum elementa extensionis expertia sunt, qualia volunt esse tum Zenonici, tum Leibnitiani & Wolphiani, & recenti memoria Cl. Buschovichius, prorsus actum est de spe demonstrandi animam, quæ facultate sentiendi & cogitandi prædita sit, esse a materia & a corpore prorsus distinctam atque secretam. Nam simul ac elementa corporum, atque idcirco illa, quæ materiam componunt, extensione in longum, latum, atque profundum carere ponuntur, quotusquisque certa & evidenti ratione cogere & persuadere poterit eadem sensationis cognitionisque non esse capacia, cum ex altera parte vera ipsorum natura tunc nobis foret ignota, & negantem eorumdem notionem in extensionis carentia positam solum haberemus; & ex altera nulla prorsus ratio ad id ostendendum duci posset ex eorum extensione, ex qua una simul cum iis, quæ eam consequuntur, rationes elici posse jam vidimus in antecessum, & in consequentibus etiam multo clarius videbimus? Nam ut ostendimus §. 216. Ont. extensio tum esset prorsus apparens, & talis ut etiam ex pluribus animabus posset exsistere. Dixi autem prorsus actum esse de spe demonstrandi; fateor enim eosdem posse nihilominus affirmare inter simplices & inextensas substantias, ex quibus corpora coagmentantur, & illas alias, quæ humano corpori regendo informandoque sunt destinatæ, esse quire illud substantiale discrimen, ut primæ capaces cognitionis non sint, bene vero secundæ, sed posse illud perspicuis docere rationibus nego. Quod quantum toti incommodet Philosophiæ, nemo non videt, constatque ex iis, quæ tum I. Tomo Phy. Gen. §. 17. tum §. 237. n. 3. & seq. Ont. disputavimus. Ex quibus apparet, quantum necesse fuerit multam impendere operam in ostendendis iis, quæ ad naturam extensionis §. 72. & seq. Ont., atque ad essentiam materiæ §. 203. & seq. & corporis pertinent, & quantum de hac immaterialitatis animæ sententia male mereantur ii Philosophi, quos intimam substantiæ materialis essentiam cognosci posse negantes jam vidimus atque refutavimus §. 227. 251. Ont.

3. Repudiata igitur hac etiam sententia ob eas evidentes rationes, quas citatis locis protulimus, quæstio de qua hic tractamus, eo revolvitur, ut examinemus an singula extensa primitiva corpuscula sint cognitionis sensationisque capacia. Qui hoc in loco versati sunt, rationes ad ostendendam partem negantem ducere conati sunt etiam ex divisibilitate materiæ in infinitum, & ex ejusdem impenetrabilitate. Verum cum in iis concludendis duo tamquam cer-

ta

ta ponant, alterum quodlibet minimum corpus ipsum in se posse in partes dispesci, alterum cujuslibet extensi essentiam repudiare cum alio extenso compenetrationem, quæ a veritate abhorrere ostendimus in Ontologia §. 78. 75. jam constat hisce rationibus nihil effici, nisi aliter contorqueantur, & quod attinet ad divisionis potentiam, nisi vis conclusionis in eo statuatur, quod, posito datoque quocumque vel minimo corpusculo, alia a Deo creari possunt ipso in infinitum minora, quæ tamquam ipsius partes haberi queunt. Postquam vero docuimus primitiva corpuscula, tametsi continuate extensa, ipsa per se alia ab aliis penetrari posse, & impenetrabilia non fieri nisi per vim quamdam in ipsorum interiori substantia repellentem, quæ aliud non est quam actio Dei quæ in corpore percutiente prius aliquam vis motricis partem corrumpit & aliam in percusso prius generat, quam alterum in alterius substantiam saltem per spatium sub sensus cadens se intrudat §. 304. Ont., satis compertum fit nihil omnino inde reperi posse, quod animæ naturam discrepare a natura corporum ostendat, cum hac in re substantiæ corporis cum substantia spiritus convenire videamus.

4. Quamobrem etsi magni faciamus recentissimum opus hac de re conscriptum a Cl. Huberto Hayero, inscriptumque *La Spiritualitè & l'Immortalitè de l'Ame. a Paris MDCCLVII.* atque in tres tomos distributum; tamen subscribere non possumus iis rationibus, quas ducit ex divisibilitate materiæ, & ex eo quod substantia materialis vere una & simplex esse non potest, sed ex pluribus partibus constet necesse est. Hujusmodi sunt eæ, quas urget articulo primo tomi secundi dum conficit illud *Ego* esse unicum, simplex, individuum, spirituale hoc pacto „. Per hoc *ego* intelligo intimum sensum, quo afficior circa meam exsistentiam. Quo in subjecto hic intimus sensus reperitur? Qui hanc vocem intrinsecus profert, quique ipsius potestatem intelligit, est ne spiritus, an materia? Hæc est quæstio, quam definire debemus. Illud *ego* quod incurrit in oculos Philosophi, qui rationes exacte subducit, aliud non est quam substantia cogitans. Revera quamvis alias post alias mei corporis partes amittam, tamen meum *Ego* se immutabile sentit quod attinet ad substantiam, & partes quæ decedunt, loco habet non alicujus portionis suimetipsius, sed partium, ex quibus coagmentatur machina quicum conjungitur... Homo appellatur microcosmus, idest exiguus mundus, qui suum habet centrum, cujusque centrum est suum *Ego*. Omne physicum centrum partibus constat; geometricum autem eas quidem non habet, sed in sensu solum abstracto. Verum in homine centrum offendimus reipsa & substantialiter insectile, in quo omne id, quod interest hominis, ad unitatem redigitur; illud est unum & insectile objectum quo suimetipsius amor spectat. Huic ne uni *Ego* multitudinem *ego* substituemus? & quænam inde exsisteret mira confusio? Constat fore ut quodlibet ex his *Ego*, totum in semetipso defixum, formaret totum aliquod suis terminis undique circumscriptum, quod sua noscens mala, suas necessitates, suaque pericula, prorsus alia omnia ignoraret, atque ideo nihil sentiret eorum, quæ ad alia *ego* pertinerent. Ob suarum multitudinem partium quodlibet *Ego* veluti societatem efficeret anarchicam, in qua quodcumque membrum sibi ipsi tantum consuleret. Immo res pejus se haberet. Nam varia societatis anarchicæ membra se cognoscere queunt, sibique vicissim prodesse, & quædam utilia sibi proponunt, nituntурque ut alia membra ad eadem conferant.

rant. Verum nullam ex his relationibus intelligere possumus in multitudine tot *Ego* quæ *Ego* materiale compleEteretur.

5. Adversarii ad hæc procul dubio respondebunt quamlibet ex materiæ particulis, unde contendunt *Ego* componi, non formare unum *Ego*, si ipsa per se consideretur, sed solum quatenus cum aliis partibus copulatur. Qui sic rationem concluderet, ei darem optionem horum duorum, quorum alterutrum necessario esse debet. Quælibet pars unde *Ego* materiale formatur, esse debet aut essentialis, aut accidentalis. Eligat quodcumque velit. Exitum tamen non habebit. Nam si ajat hanc partem esse essentialem, inde sequetur quamlibet partem *Ego* ad totum *Ego* materiale ita se habere, quemadmodum tertius trianguli angulus ad idem triangulum se habet. Verum qui hoc pacto ratiocinatur, sibi necessitatem imponit ostendendi, cur talis præcise partium numerus ad *Ego* formandum sit necessarius, quemadmodum Geometra docet opus esse angulo tertio, ut triangulum componatur. Quod si ajat quamlibet partem *Ego* esse accidentalem, tunc majorem plagam accipiet, ut leviorem repellat. Nam si quælibet pars ad totius *Ego* naturam accidit, in quo tandem illius essentiam collocabit? Cum vero nimis a ratione alienum foret nullas esse partes essentiales, inde concludo evidenter monstrari hanc essentiam ex partibus non coalescere, esse simplicem & insectilem, ideoque essentiam *Ego* esse spiritualem. Ab hisce ratiociniis sive, ut melius dicam, demonstrationibus hominem revocemus ad intimum sensum, quo fit ei manifestum se exstare. Quodlibet *Ego* suam sentit exsistentiam, eidem est intime persuasum exsistentiam quam sentit, ad ipsum pertinere, sibique esse propriam & particularem. Ergo sensationes exsistentiæ propriæ & particularis totidem sunt, quot sunt ipsæmet exsistentiæ. Jam vero in *Ego* materiali tot forent exsistentiæ, quot partes, tot sensationes exsistentiæ propriæ & particularis, quot exsistentiæ, atque idcirco tot *Ego*, quot partes. Ex quo fit ut si in *Ego* Epicuri ponamus esse mille atomos, mille forent entia, quorum singula suas quæque sentirent exsistentias sibi proprias & singulares, ideoque mille exsisterent *Ego*. Igitur hoc totum *Ego* perinde afficeretur, ac mille homines, quorum quilibet procul omni dubio sentit exsistentiam quæ est tantum sui ipsius. Nunc vero provoco ad intimum sensum Materialistæ, qui suum systema pugnacissime omnium defendat. Id profecto non est quod sentit; non arbitratur se esse mille homines sed unum tantum; eidemque in æternum impossibile erit in semetipso plus quam unum *Ego* invenire. Ita fit ut hoc *Ego* sit spiritualis naturæ „. Hactenus Hajerus, qui deinde ad experientiam provocans, quæ docet esse eumdem *Ego* qui pluribus variisque sensationibus afficitur, eas inter se comparat, earumque differentias internoscit, ac certissime judicat qualis ipsum majori demulceat voluptate, hæc subjungit. „ Inde colligo *Ego* sensitivum & *Ego* intellectuale esse unum & idem *Ego*. Revera hoc *Ego*, quo sensationes conferimus, deque iis judicamus, esse nequit materia. Ratio clara ex eo petitur quod sexcenties diximus, eam non habere unitatem. Quamobrem *Ego* materiale necessario exsisteret ex pluribus variisque partibus, inter quas nulla relatio & necessitudo, nullaque sensationum & operationum communicatio intercederet. Altera hujus animæ materialis pars videret, dum altera audiret; hæc odores perciperet; illa sapores. Voluntas reperiretur in certa partium materiæ congerie, alia congeries intellectum formaret. Hæc par-

tium varietas in systemate Materialistarum eo minime vitari potest, quo maxime necessarium est, ut quia differentia sensationum atque operationum in differentia mechanismi secundum ipsorum principia posita est, magna sit copia partium, in quibus hæc differentia collocetur. Jam vero si hæ diversæ animæ facultates, si hæ diversæ sensationes operationesque aliæ in aliis partibus reperiuntur, quæcumque inter facultates, sensationes & operationes communicatio inter ea quæ nullo modo esse possunt, est recensenda. Quamobrem *Ego* sensitivum prorsus ignoraret ea quæ in *Ego* intellectuali contingunt, & sensitivum quatenus videt, nesciret sonos, & quatenus audit, colores. *Ego* vero intellectuale in quantum percipit veritatem, nihil cognosceret operationum ejusdem *Ego* in quantum amat virtutem .... Nonne ergo ex his plane efficitur intimam quam in me experior communionem omnium facultatum & operationum sive sensitivarum, sive intellectualium perfici in substantia una, simplici, individua, ideoque spirituali? „ Atque hæc scribit laudatus auctor, quibus tres subjungit rationes ad id suadendum fieri non posse, ut hujus *Ego* materialis partes aliæ cum aliis suas sensationes operationesque communicent; primam ex eo ductam, quod tunc anima foret machina ex pluribus compacta partibus, ut horologium, in qua partes ad summum in aliis operari possunt adminiculo superficiei, cum e contrario communio, quam inter omnes meas operationes experior, interiorem earum naturam pervadat; secundam in eo positam quod etiam data tamquam possibili penetratione partium substantialium, quæ impossibilis est, inde non sequeretur nisi earumdem dimensionum occupatio, cui nihil est cum sensationum & operationum communione commune: tertiam tandem ex eo petitam, quod nos in Ontologia docuimus §. 254. quod accidentia unius substantiæ, uti sunt sensationes & operationes, ab alia in aliam substantiam, utpote illius in qua sunt, singulares determinationes, migrare nequeunt.

6. His ita excerptis meam expono sententiam, & ajo, si auctor impugnare condendat eos Materialistas, qui sensationes, cognitiones appetitionesque volunt esse non in singulis primitivis corpusculis sed in quadam eorum artificiosa congerie & dispositione, quales sunt major ipsorum pars, & ii præsertim Recentiores, quos in articuli fine commemorat, & mirifice confundit auctoritate illius Bælii quem unum tamquam Magistrum suspiciunt, quique allatis rationibus invictam contra Materialistas demonstrationem contineri fatetur, suntque Voltairius in Litteris Philosophicis, Auctor *de la Philosophie du bon sens*, auctor *de l'Histoire Naturelle de l'Ame*, *de l'Homme Machine*, *de l'Anti-Seméque*, de quo in posterum, auctores *de la nouvelle liberté de penser*, & denique auctor libri inscripti, *De l'Ame & de son immortalité*, si, inquam, hos impugnare contendat, me homini prorsus assentiri, & ipsius verba exscripsisse in eum finem, ut magis magisque confirmetur, quod aliis ex intimiori Metaphysicæ sinu petitis rationibus supra confeci. Verum si his argumentis prorsus labefactari velit Materialistarum systema, me in ejusdem sententiam descendere non posse profiteor. Nam si quis ajat esse in homine unum tantum primitivum corpusculum, quod a Deo facultate sentiendi, cognoscendi atque appetendi donatum sit, illud erit anima hominis una, simplex, individua nullisque partibus constans, & nihilominus extensa & materialis, non vero spiritualis & inextensa. Siquidem in Ontologia rationibus prorsus evidenti-

ti-

tibus confecimus in uno primitivo extenso corpusculo nullas esse actuales partes §. 78. & seq. illudque in eas dividi nequire, & idcirco primitivum corpusculum, tametsi extensum & materiale, esse substantiam unam, simplicem, insectilem §. 87. Ont. & minime spiritalem. Ex quo fit ut sint nullius momenti allata argumenta, quæ suam vim habent in eo, quod falsum est, quod scilicet materia una esse non potest, sed pluribus iisque distinctis partibus constet necesse est. Similiter infirmantur aliæ rationes quas ex indivisibilitate cogitationis, divisibilitate materiæ ducit ad suadendum cogitationem in materia esse nequire, quasque pluribus urget locis tomo priore, & secundo his verbis pag. 98. „ Interea nostras consulamus notiones ratione habita materiæ & cogitationis; altera est substantia semper dividua; altera vero est modus essentialiter individuus. Jam vero contendere modum indivisibilem collocare in subjecto divisibili idem est ac velle, ut quod manifestam involvit contradictionem, hoc subjectum & hic modus eodem tempore sectilia sint & insectilia „. Et revera tametsi vis motrix sit accidens, quod in primitivo corpusculo reperitur per universam ipsius massam æquabiliter diditum; tamen ex hoc ipso quod est unum continuum, & in uno corpusculo omnino continuo reperitur, in Ontologia §. 291. & seq. docuimus esse unam tantum, & ipsam per se prorsus insectilem, ut nec ipsemet Deus illam eamdem augere aut minuere possit. Quo loco moneo adversus illos Materialistas qui ex meo systemate unum tantum primitivum corpusculum pro anima haberet, nihil esse roboris in iis aliis rationibus, quas Cl. Auctor identidem urget, dum ab hisce insanis Philosophis quærit cujus figuræ sint sensationes, cogitationes & appetitus, & quia docet nullam prorsus figuram eas habere posse, inde colligit easdem in substantia extensa reperiri nequire. Nec enim figura est id quod in una extensa substantia mutari potest, cum in Ontologia §. 235. jam planum fecerimus eam esse immutabilem extensæ substantiæ specificam differentiam; sed quod in eadem substantia est mutationibus obnoxium, est sola vis motrix, quæ potest ab illa abesse, & in ea deinceps a Deo creari, & postquam una quædam determinata vis creata est, hæc in nihilum redigi quit, aliaque vel major, vel minor procreari. Jam vero vires motrices sunt quidem in substantia extensa suis undique circumscripta limitibus, atque idcirco donata figuris, sed quia ipsæ per se extensæ dici non possunt §. 117. nullam habent figuram quæ est limes extensi. Et revera diversæ vires in eodem omnino corpusculo eadem semper figura circumscripto aliæ post alias esse queunt. Quo posito sicuti vires motrices quamvis nulla donentur figura, tamen in substantia extensa esse possunt; ita vires sentiendi, cogitandi atque appetendi nullas habent, tametsi in corpore forent, nec ex eo præcise quod iis carent, auctor jure colligere potest easdem ad substantiam extensam non posse adhærescere.

7. Nec aliquis hic objiciat periculi plenum meum esse systema, in quo nullius esse roboris ostenduntur tam invictæ rationes adversus Materialistas ab Hayero, & ab omnibus sanæ mentis Philosophis propositæ. Siquidem primo memoria repetendum est quantum momenti in eo quod corpus exeensum ex partibus reipsa distinctis coalescere debet, ponat aut Lochius, quo colligat inde nobis esse prorsus ignotam substantiæ extensæ reconditiorem naturam §. 251. n. 8. Ont. aut Leibnitiani, Wolphiani, Zenonici, & Buschovichius ejusque sectatores, quo corpora sub sensus cadentia ex rebus inextensis coalescere

re doceant §.155. n.13. & seq. Ont. in quorum altero primus latebram in qua delitesceret, quæsivit, dum ullis claris rationibus confici posse negabat substantiam extensam non esse capacem recipiendi a Deo sensationes cogitationesque § 116. ; ex altero sequitur absurdum quod supra observavimus, impossibile esse monstrare corpora non esse apta hisce mutationibus recipiendis, num. 2. & aliquod substantiale inter corpora & animos dari discrimen. Ex quibus efficitur, si hoc in systemate est illud incommodi, quod cadunt supradicta pro animæ immateriali natura argumenta, multo plus commodi est, quod in eo clare & evidenter substantiæ materialis natura cognoscitur ac definitur, omnesque solvuntur gravissimæ difficultates, quæ adversus eamdem in aliorum omnium sententia Philosophorum occurrunt, quæque sunt ita efficaces, ut quidam Angli Philosophi quorum sententiam paulo post impugnabo, non solum ab hac rerum universitate, verum etiam a numero possibilium substantiam materialem & extensam depulerint, a quibus nomine tenus, non reipsa abesse puto quos paulo ante commemoravi: atque hoc pacto certa via munitur ad definitionem gravissimæ de animi spiritualitate disputationis. Nam ut alteram producam rationem, ex qua liquidum fit nihil esse in hoc meo systemate, quod attinet ad summam quæstionem, periculi, aliæ in eodem sunt eæque clarissimæ rationes, quibus animæ substantia extensione carere monstratur, & ad idem conficiendum valent etiam plures ab aliis in medium prolatæ. Id quod nunc ostendendum suscipio.

8. Qua in re arbitror duo hic omnino esse demonstranda; alterum sensationes, cogitationes atque appetitus esse non posse in substantia extensa, sive in primis corporum elementis, si hæ animæ mutationes sint motus, sive motu perficiantur; alterum autem easdem in illa non posse reperiri, si sint aliquid a motu distinctum, & sine motu absolvantur. Nam qui in primo tantum ostendendo versabitur, non refellet eos Materialistas, inter quos mihi esse videtur Lockius, qui alias vires præter motrices, aliasque mutationes præter eas, quæ in loco mutando contingunt, in corporum elementis esse quire contendunt. Quod velim attendant, qui hac in re tantum momenti ponunt in ratione ducta ab inertia corporum; nam illa primum tantummodo confici paulo post liquidum faciam. Itaque primum satis evidenter effici puto ea ratione, quam §. 111. num. 2. conclusi. Nec aliquis ajat eam inniti principio perfectæ duritiei primorum materiæ elementorum, quod non omnes etiam Catholici Philosophi assentiuntur, uti sunt Cartesius, De Lanis, Bernullius, Mollierius, & recenti memoria Fromondus, qui ut §. 236. Ont. vidimus, prima corporum elementa esse omnino mollia voluerunt. Arbitror enim meæ demonstrationi id nihil officere. Nam si aliter sentientium Philosophorum ratio habeatur, quotumquodque erit certum & ratum nedum in Metaphysicis, quæ alioquin in rebus valde obscuris, & in ideis multum abstractis atque involutis versantur, verum in ipsismet clarissimis omnium atque certissimis Geometricis disciplinis, quarum principia ob id ipsum quod cum metaphysicis notionibus necessitudinem haberent, Epicurei aliique non pauci tamquam aut falsa, aut dubia exploserunt? §. 244. num. 14. Log. Quamobrem hujusmodi res ajo esse expendendas non auctoritate Philosophantium, sed evidentia rationum, quales mihi absque ullo dubio esse videntur, quibus tum universe quæstiones de continuo deque corporis essentia deque aliis ad continuum

&

& ad corporum essentiam pertinentibus tractavi, tum præcipue illam de primorum materiæ extensæ elementorum duritie; præsertim posteaquam caussas detexi, quibus factum est, ut clara, quæ pro contrariis partibus stare videbantur, argumenta conciliare non possent, atque dispicere quantum quoque eorum conficiebatur §.244. Log. num. 15. & §.155.n.31.&seq.Ont. propterea quod si hoc dispexissent, singulas veri particulas, quæ in quoque systemate suis iisque perspicuis rationibus ostendebantur, optime perspexissent, & omnia in clarissima luce collocassent. Quæ adeo certa & explorata mihi esse videntur, ut aliud nihil exoptem, quam hoc unum tam beato mihi esse licere, ut quibus rationum momentis ea quæ pertinent ad continuum & ad corporis essentiam, constitui, iisdem quæ ad immaterialem attinent animæ naturam, constituere possim. Cum vero ratio a me superius allata cum principiis circa naturam & essentiam primitivorum corpusculorum arctissime copulata sit, ex iis quæ modo disserui, constat satis perspicuum fieri quod hic propositum est, sensationes cognitionesque & appetitiones in substantia extensa, sive in primis materiæ elementis reperiri non posse.

9. Verum ad id luculentius confirmandum aliis etiam utar rationibus, & iis præsertim, quæ ab inertia corporum ducuntur, eo quod in iisdem multi Recentiores Philosophi diligenter versati sunt. Eulerus in Opusculo inscripto *Enodatio Quæstionis, an materiæ facultas cogitandi tribui possit*, edito inter ipsius Opuscula impressa Berolini an. 1746. rationem ab inertia corporum ductam aggreditur ab explicatione vis inertiæ, cui cum vulgo Recentiorum duos tribuit effectus, alterum perseverandi in eodem statu sive quietis, sive motus æquabilis in directum; alterum vero renitendi mutationi status, ac obstacula, in quæ incurrit, removendi, quoniam tam corpus incurrens, quam quiescens impenetrabilia sunt. Ex quo obiter efficit vim attractionis in distantia eliminari oportere, eo quod corpus non magis duas vires diversas habere potest, quam duos colores diversos, & ex altera vis attractionis in vi inertiæ inclusa non est, nec ab ea colligi potest. Quibus expositis sic monstrat quod ipsi propositum est. Quoniam ergo vis statum suum continuo mutandi est contraria vi in statu suo continuo perseverandi, ex dictis compertum fit priorem vim non magis tribui posse, quam defectum extensionis, aut impenetrabilitatis. Jam vero si facultatem cogitandi vel obiter contemplemur, eam sine vi statum suum mutandi non posse permanere deprehendemus. Ex quo apertissime sequitur vim cogitandi, quæ cum vi statum suum mutandi arctissime conjuncta est, esse nequire in corpore, in quo vis permanendi in eodem semper statu invenitur.

10. Cum hæc vis inertiæ explicatio multa complectatur a veritate prorsus aliena, quæ rationis inde petitæ vim possunt labefactare, adverto ex iis, quæ §.51. n.14. & seq. Ont. disputavi, constare ad eum finem ut corpus in eodem loco & in eodem statu quietis perseveret, alio nullo opus esse, quam ipsius essentia, quæ in extensione posita est; ut vero permaneat in eodem statu motus in directum, sive locum continuate æquabili velocitate mutet, necessariam esse motricem vim, quæ sit aliquod absolutum & permanens, quod in corporibus tamquam accidens proxime a Deo creatur, quam si Philosophi Recentiores cum Newtono velint appellare vim inertiæ, per me licet, modo nolint eam cum corporis essentia esse necessario conjunctam, & distinguant a ratione, propter

pter quam corpus in eodem loco quiescit; ut tandem removeat corpora, in quæ incurrit, opus esse in corporibus alia vi, quæ sit expultrix in contactu & in interiori substantia, & in quam degenerat Newtoniana attractrix vis in distantia §. 303. Ont.; quæ vires sunt quidem ejusdem generis, ac motrices, sed cum hoc discrimine, quod motrices considerantur ut in corpore jam a Deo creatæ, expultrices autem ut quæ vel sensim creantur in corpore percusso, vel sensim destruuntur in percutiente §. citato Ont. Quamobrem sive Eulerus aliique Recentiores vim inertiæ vocent eam, qua fit ut corpora æquabili velocitate in directum in vacuo ferantur, sive illam, qua fit ut corpus motum removeat corpora, in quæ incidit, & hoc pacto virium communicatio perficiatur, sive utramque; tantum abest, ut vis attractionis non includatur in vi inertiæ, ut sit ejusdem ac vis motrix, generis; & virtute principii continuitatis abeat in vim illam repellentem, §. 303. Ont. ex qua resistentia in conflictu corporum, corruptio virium in percutiente & generatio in percusso, legesque motuum in eadem collisione proficiscantur. §. 304. Ont.

11. Sic exposita vi inertiæ, sive motricibus corporum viribus, quæ aut generatæ, aut sensim generari intelliguntur, vis demonstrationis in eo posita est, quod corpus quiescens moveri non potest, nisi occasione corporum distantium ob vim attractionis, aut occasione alterius moti quod in ipsum incurrit, ob vim in contactu repellentem in eodem a Deo vis motrix creetur; corpus autem motum & aliqua percitum motrice vi lineam rectam æquabili velocitate percurrere debet, ut neque tantillum aut augere velocitatem aut minuere, aut alio uume detorquere cursum possit, nisi pariter occasione virium attractricium, saut xpultricium aliorum corporum aut nova vis in eo gignatur, aut quæ prius inerat, saltem ex parte a Deo corrumpatur. Quamobrem talis ille ac omnino determinatus motus cum tali vi motrice, quæ aut generata sit, aut sensim generetur, necessario conjunctus est, adeout corpus tali sollicitatum vi non possit nisi talem determinatam unicam viam atque cum tali velocitate capessere, nec ab eadem ad dexteram aut ad lævam declinare vel tantulum queat. Inde fit ut si etiam cognitiones appetitionesque forent motus, motuque ac vi ejusdem generis, ac motrix, perficerentur, eædem cum sua vi forent necessario copulatæ, & anima non posset in hac potius cogitationum serie suam attentionem defigere, quam in alia, hanc potius rem, quam aliam appetitionibus prosequi. Jam vero quisque intimo sensu percipit se posse utrumque præstare. Ergo concludendum est sensationes, cognitiones & appetitus non esse in substantia extensa, sive in primitivo corpusculo tamquam motus, aut quæ motu & vi ejusdem generis, ac est motrix, perficiantur. Qua in re operæ pretium arbitror exscribere verba e gallica lingua in latinam versa Abbatis Juraini Interpretis libri inscripti *Explication Physiq. des sens* auctore Hartleyo. Sunt autem tom. II. pag. 415. in commentario quem capiti auctoris, in quo is animæ libertatem labefactare conatur, optimo sane consilio virisque catholicis numquam satis probando Interpres substituit. „ Universe in universa materia dominantur quædam inertia, segnities atque stupor, quæ non solum eam reddunt ineptam ipsam per se statui mutando, sed etiam præstat, ut aliqua ratione renitatur cuicumque rei, quæ minimam status mutationem inducere conatur. Quæcumque materia vel subtilissima, vel liberrima, vel maxima percita vi non movetur, nisi cum aliunde accipit motum, cumque

in

in motu posita est, nec quietem, nec minimam motus diminutionem sine externa caussa in se potest efficere. E contrario in quocumque vel stupidissimo animali quaedam observatur agendi vis, cujus adminiculo id consequitur, ut naturalem superet sui corporis segnitiem, & suum moveat corpus illorsum, quorsum movere necessarium est ad sui conservationem, sive ut pericula vitet, sive ut alimenta sibi procuret. Omnia nullo excepto, sive illa, quae terram incolunt, sive quae degunt in sinubus aquarum, sive quae aerem pervolitant, potentia & facultate donantur se, ut ita dicam, pro arbitrio quolibet transferendi. Et tantum abest ut haec animalium agendi vis jugo mechanicae legum subjiciatur, ut potius mechanicae leges suo jugo subjiciat. Offer animanti rem ipsi gratam; quid usuveniet, si solis regatur mechanicis legibus? Impressio rei in organa sensuum excitabit in motoribus nervis oscillationes accommodatas motui, quem illud perficere debet, quo ad illam perveniat. Deinceps offer duas res aut aequalibus aut disparibus momentis gratas; impressio cujuslibet in sensus in musculis seorsim excitabit oscillationes, quarum quaeque versus suam quamque rem impellent; adeout qui musculi animal deferre debent versus rem A, non minus suam explicabunt vim, quam ii, qui versus rem B. Ciebitur ergo motu, qui illud non deferet nec versus rem A, nec versus rem B, sed versus punctum circiter medium inter has duas res. Ergo quoties plura eodem tempore animali objicientur, nullum versus se conferre poterit. Id quod numquam non usuveniet, si legibus mechanicis foret adstrictum. Id vero numquam usuvenit. Internum quo animatur, principium legem imponit ipsis mechanicis legibus, & oscillationes efficit aptas ad eum finem, ut animal impellant versus rem A potius, quam versus B, eidemque principio oscillationes sunt dicto audientes. „Hactenus Jurainus, ex cujus verbis perspicuum fit leges motuum componi non posse cum legibus cognitionum & appetituum, atque idcirco cognitiones & appetitus esse non posse in materia sive in substantia extensa tamquam motus, & mutationes quae motibus perficiantur.

12. Quidquod in anima sunt eodem tempore sensationes & ideae non solum diversae, verum etiam contrariae, ut sensationes visus & auditus, quae ad primam speciem referuntur, frigoris & caloris, quae ad secundam, ideae virtutis & vitii, veri & falsi, entis & nihili aliorumque similium, quae pariter ad secundam? §. 46. n. 5. & 9. Qui vero fieri potest ut hae sint motus animae quae sit extensa substantia? Nam si res ita foret, tanta sensationum & idearum varietas & oppositio positae forent in variis & oppositis motibus. Jam vero tantum abest, ut una substantia extensa, qualis ob supra allatas rationes unici & simplicis *Ego* anima esse deberet, eodem tempore in contrarias plagas ferri queat, ut nec aliam in aliis sui partibus velocitatem habere possit vel in singulis tempusculis infinite parvis, si quantitates infinite parvae esse queunt, vel in singulis exiguis quidem sed finitae magnitudinis temporibus, si illae quantitates in impossibilium numero sunt recensendae §. 302. Ont. num. 4. Ergo ex his clarissime efficitur sensationes, ideas atque appetitiones in substantia extensa tamquam ipsius motus esse nequire.

13. Restat ergo ut examinemus, an cognitiones appetitionesque esse possint in extensa substantia tamquam mutationes a motu prorsus distinctae & profectae a vi, quae a vi motrice penitus distinguatur. Qua in re primum afferam

ver-

verba Cl. Genuensis, quibus argumenta persequitur Lochii & aliorum in sententiam ajentem. *Reponunt* (sic scribit Auctor in Elem. Met. p. 2. cap. 1. prop. I.) *cum ignota nobis sit intima corporis essentia, concludi, nisi quam imperitissime, non posse, nullas esse in corpore alias actiones, quam quae motiones dicuntur, idest mutationes loci, situs, figurae. Praeterquam quod Magnetismus, & universalis partium materiae attractio, quam tanta consensione Newtoniani statuunt, actiones sunt longe diversae ab iis motionibus, quas ita vulgo appellamus. Tum pleraeque sunt actiones, quae consistunt in conatu ad mutandum locum, situm, figuram &c. sed ex quibus nulla nascitur hujusmodi mutatio, velut gravitationes pendulorum immobiliter consistentium, aliique conatus virium, quas mortuas vocant Philosophi. Ad haec omnes vires activae, quaecumque in corporibus reperiuntur, haberi debent, ut incorporeae* [prima part. prop. 96.]; *quod si hoc non adversatur naturae corporeae, ne cogitare quidem: potest igitur esse vis cogitandi, ut vis motrix, ejusdem substantiae corporeae qualitas: maxime cum substantia corporea, nihil aliud sit, uti Leibnitio placet, praeterquam subjectum quoddam, cujus tota essentia in actione est posita. Enim vero nos externarum rerum tantum percipimus, quantum in nos agit: nihil externum, quod in sensus nostros, seu mediate seu immediate, non agat, ullo modo cognoscimus; e. g. percipimus tactu, & oculis extensionem, idcirco quod ex pluribus spatii partibus oculus, aut tactus concutitur actione quacumque: gravitationem, divisionem eodem modo, illam actione in tactu; hanc inaequali actione ex aequali spatio. Figuram, dum major actio minore terminatur, aut contra, minor majore; nec enim percipimus globum ligneum, nisi quia actio ex dato ligno undequaque terminatur aequabiliter ab actione aeris, aut alterius extensi. Quod si tota substantiarum natura actio est, quid vetat posse eam actionem esse multiplicem, ut alia fit vis motrix, alia cogitans? Non necessario ergo concluditur, nullam esse aliam substantiae corporeae actionem praeter motionem &c. Tandem, quid vetat, quin eadem substantia ut vi motrice, ita etiam vi cogitandi a Deo sit ornata? plurimis, inquiunt, demonstrat Lokius, non id esse* ἀδύνατον. *At enim, intelligi non potest, qui corpus possit cogitare? opposuit Stillingflectus. Fateor, inquit alter: ut velle inde concludere, non posse id Deum efficere, est eam Divinae Potentiae tribuere extensionem, quae aequalis sit capacitati mentis humanae. Quod si ea, inquit, ratiocinandi regula vim ullam habet, concludas etiam oportet, corpora a corporibus non attrahi, bruta nec sentire, nec hominem, quantus quantus est, exprimere actionibus suis, & similia, quod ea non intelligas. Sed negat Stillingflectus*, cum nostra cognitio ideis nostris contineatur, idea vero apud nos materiae, sit substantiae extensae, & solidae; qui dicit materiam cognitionis esse capacem, materiae & mentis ideas miscet. *Reponit alter genericam materiae notionem esse rei extensae & solidae: at nihil prohibere posse quominus materiae partibus aliquibus seu corporibus quasdam alias qualitates Deus addat. Nec enim destruit notionem materiae qui rei extensae & solidae motum addit, vegetationem, attractionem. Quod si haec genericae materiae naturae addi possunt, quin materiae essentia destruatur, poterit eodem modo addi & vis perceptrix & ratiocinatrix. Quae cum ita sint, vera esse non potest ea propositio, cogitationem, si sit substantiae corporeae qualitas, continuo esse motionem.*

14. Atque hae sunt difficultates Lochii & aliorum a Genuensi relatae, ad quarum praecipuam, quaeque in communi sententia majorem veri speciem habet po-

positam in eo, quod corpora quibusdam donantur activis viribus, ante respondebo, quam rationem in veram sententiam producam. Concedo itaque activas corporum vires esse a motu distinctas, verum tamquam proximas ejusdem caussas, adeout a veritate prorsus aberret communis sententia Philosophorum, qui volunt esse in corporibus sine ullo motu vires mortuas attractionis, gravitatis, elateris, aut alias hujusmodi, quas aut minime in corporibus reperiri, aut si reperiuntur, semper esse cum motu conjunctas §. 259. & seq. Ont. pluribus ostendi, ut mittam, quæ hac ipsa de re §. 124. 125. Phy. Gen. enucleate disserui. Ex eo vero quod vires motum efficientes & cum motu semper copulatæ in corporibus esse possunt, quid argumenti elici potest ad suadendum etiam vires quæ mutationes efficiunt prorsus a motu discretas, cognitiones videlicet & appetitus, in iisdem corporibus esse quire? Nam materiæ & rei extensæ, quæ locum extensum occupat, addere vires, quibus transeat ab alio ad alium locum, non est ponere in materia quidpiam, quod eam destruat atque corrumpat, sed potius aliquid, cujus utpote accidentis possibilitas ex ipsa materiæ essentia in extensione posita proficiscitur. Quod enim in loco determinato ita est, ut ipsius essentia in aliis pariter esse possit, intelligitur etiam, cur ab eodem ad alia queat meare: cumque ad hoc obtinendum vim motricem, quæ sit aliquod absolutum in materia proxime a Deo creatum, necessariam esse docuerimus §. 42. Ont. inde colligitur etiam motricem vim in corpore posse constare: cum vero aliæ omnes corporum vires gravitatis, attractionis, inertiæ, elateris, & similes jam citatis in antecessum locis monstratæ sint esse ejusdem generis, ac motrices, nec umquam in corporibus sine motu reperiri; ex his omnium virium, quibus experimenta docent corpora esse donata, possibilitas aperte concluditur. At extensæ substantiæ adjungere sentiendi, cogitandi atque appetendi vim est in ea collocare vim eas efficiendi mutationes, quarum possibilitas in eadem minime continetur. Cum enim sentire, cogitare, ac velle non sit idem ac esse in loco, aut ab alio ad alium locum transire, cognitionum & appetituum, atque earumdem mutationum possibilitas non intelligitur esse in substantia extensa, in qua solum cognoscitur esse potentia occupandi locum, atque ab aliis ad alia loca migrandi. Ergo inter vires motrices corporum mutationesque ab iisdem genitas interque vires sentiendi, cogitandi atque appetendi tale est tantumque discrimen, ut ex eo quod primæ in corporibus esse queunt, etiam secundas reperiri posse minime colligatur.

15. Non mihi propositum est, Lochius reponet, monstrare vires sentiendi cogitandique in corporibus esse quire. Id unum contendo perspicuis rationibus effici non posse easdem in corporibus esse nequire. Verum id ipsum est, quod nunc ostendere aggredior. Jam ex eo, quod §. 75. & seq. confecimus, compertum sit unam esse eamdemque illam substantiam, quæ sentit, quæ cogitat, quæ vult, quæ omnes alias similes actiones exercet. Quare si anima humana sit extensa substantia, quemadmodum est quodlibet primitivum corpusculum, in ipsa tota, aut saltem in aliqua ipsius extensa parte omnes sensationes, cogitationes, & appetitus reperiuntur. Nam si nec ipsemet contactus, quamvis sit pura inter corpora exterior relatio, in uno tantum puncto inextenso esse quit, §. 175. Ont. multo minus vires & inde profectæ substantiæ extensæ mutationes, quæ sunt internæ ejusdem determinationes, in parte aliqua extensionis experti esse quibunt. Vires enim & mutationes inde ge-

genitæ non ipsam tantum superficiem afficere possunt, sed interiorem pervadant substantiam, in qua sunt, necesse est. Cum autem extensa substantia ex partibus extensione carentibus componi non possit, consequens fit sensationes cogitationesque, si in substantia extensa reperiuntur, in ipsa tota, aut saltem in aliqua ipsius extensa parte reperiri oportere. Jam vero omnes sensationes cogitationesque in parte aliqua extensa reperiri non possunt. In quo conficiendo sic versor. Qualitates per extensam substantiam quæ diffunduntur, duobus differre possunt, magnitudine sive extensione, & gradu sive intensione: ut si duæ substantiæ extensæ, altera duplo major, altera duplo minor eadem velocitate cieantur, vis motrix primæ est duplo major vi motrice secundæ ratione habita solius magnitudinis & extensionis, quia intensio a velocitate repetenda eadem est & æqualis. Si vero massæ æquales, altera majori, altera minori cieantur velocitate, vis primæ est major vi secundæ ratione habita solius intensionis. Hoc posito si cognitiones forent in parte aliqua extensa substantiæ extensione donatæ, possent esse cum eadem prorsus intensione in altera substantia extensa, quæ foret æqualis solum dimidio illius extensæ partis primæ substantiæ, in qua reperiuntur, propterea quod ex altera parte possunt creari substantiæ extensæ aliæ aliis in infinitum minores, & ex altera fieri potest, ut Deus in substantia extensa duplo minori, quam pars extensa primæ, quæ dicta afficitur perceptione, gignat solum eam portionem perceptionis, quæ solum in dimidio illius extensæ partis reperitur, quemadmodum in substantia extensa duplo minori quam alia, gignere quit eam solum vim, quæ in dimidio duplo majoris exsistit. Deus itaque cognitionem illam, qua ego percipio discrepantiam inter duo, ex. g. inter circulum & quadratum, quæque est in parte extensa meæ cogitantis extensæ substantiæ, gignat in altera substantia extensa duplo minori, quam sit illa pars meæ, in qua perceptio illius discrepantiæ reperitur, efficiatque solum eam partem cognitionis, quæ in solo dimidio ejusdem partis extensæ invenitur. Ajo cognitionem hanc hujus secundæ substantiæ fore tum magnitudine & extensione, tum gradibus & intensione prorsus æqualem illi, quæ in mea est; alia enim cognitio alia major esse non potest, nisi aut multitudine rerum, quæ percipiuntur, quod est ipsius extensio, aut claritate & perspicuitate modi, quo res cognoscuntur, in quo ipsius intensio posita est. Jam vero in dicta secundæ substantiæ cognitione discrepantiæ inter circulum & quadratum sunt eadem objecta cognita, idest circulus & quadratum, atque in cognitione meæ; est eadem claritas ac perspicuitas, ut in corpore duplo minoris massæ duplo majorem habentis motricem vim est eadem, ac in corpore duplo majoris massæ duplo majore perciti, velocitas. Ergo quæ perceptio discrepantiæ inter circulum atque quadratum in secunda substantia reperitur, ea est prorsus æqualis perceptioni, quæ in prima est. At si hæ cognitiones in substantia extensa reperirentur, & prima foret in duplo majori extensione, quam secunda, prima secundam magnitudine superaret, ut supra confeci. Ergo concludendum est cognitiones objectorum in substantia extensa non posse reperiri.

16. Deinde rationem sic presse concludo ostendendo perceptiones carere extensione etiam illa, quæ in accidens substantiæ extensæ cadere potest §. 118. ita ut esse nequeat cognitio quæ sit dimidia, tertia pars &c. prioris. Quod est inextensum, in substantia extensa tamquam ipsius accidens esse nequit;

co-

cognitio vero discrepantiæ inter subjectum & prædicatum, ut & aliæ plurimæ nostræ cognitiones sunt prorsus inextensæ. Ergo in substantia extensa tamquam ipsius accidens esse nequeunt. Assumtum ita conficitur. Quod est in substantia extensa, debet aut in illa tota, aut in aliqua ejus parte extensa reperiri, ut ostendimus §. 110. num. 3. Jam vero quod est inextensum, in parte extensa reperiri non potest tamquam ipsius accidens; esset enim per substantiam extensam diffusum, & ideo foret extensum, contraquam ponitur. Nec aliquis hic objiciat posse accidens ita esse in substantia extensa, ut sit totum in singulis ipsius partibus, quin tamen extensione donatum sit, quemadmodum in nostra sententia anima in parte extensa cerebri reperitur, sed tota in singulis ejusdem portionibus, quin hoc ipsius naturæ extensione carenti officiat. Est enim discrimen inter substantiam extensionis expertem quæ a substantia extensa distincta sit, interque accidens pariter inextensum, quod in eadem reperiatur. Nam illa, utpote prorsus distincta, opus non habet ut naturæ corporis se accommodet, sed illi præsens esse potest ea ratione quæ ipsam convenit, quæque extensionem non postulat, immo repudiat. At accidens, uti est vis motrix, aut sentiendi & cogitandi vis, qui esse potest in extensa substantia quin sit extensum? Cum enim interior illius determinatio sit, ejusdem extensæ naturæ se accommodet necesse est, & per illam ita diffundatur, ut sit quidem unum sine actualibus partibus distinctis, sed eas habeat potentiales, quibus respondeat aliis atque aliis potentialibus extensæ substantiæ portionibus. Quod ni ita esset, unum ex. g. substantiæ extensione præditæ dimidium pro interiori determinatione haberet eam omnem vim, quæ in altero quoque similiter reperitur. Quod prorsus repugnat etiam ob eam rationem, quod hac ratione quælibet vis foret infinite intensa & infinitam mutationem generaret. Cum enim in quolibet extenso partes in infinitum minores atque minores designari possint, vis ex. g. motrix totius corporis tota foret in singulis vel exilissimis, immo in infinitum exiguis ejusdem portionibus, atque idcirco velocitatem in iisdem infinitam efficeret. Sed necesse non est in re tam clara diutius immorari, atque tenemus futurum esse ut quemadmodum vis motrix per totum primitivum corpusculum ita diffusa est, ut corpusculum aliud duplo minus & eadem percitum velocitate solum habeat vis quæ in primo reperitur, dimidium; ita vis sentiendi & cogitandi si foret in extensa substantia, per eamdem similiter diffundatur.

17. Quibus constitutis venio ad alteram enuntiationem. Et primum ajo hanc perceptionem, qua ego intelligo prædicatum convenire subjecto, v. g. in hac enuntiatione *tres anguli trianguli sunt æquales duobus rectis*, esse prorsus distinctam tum a cognitione subjecti *tres anguli trianguli*, tum a cognitione prædicati *æquales duobus rectis*, propterea quod potest aliquis clare cognoscere tres angulos trianguli, & æqualitatem cum duobus rectis, quin norit alterum tamquam alteri conveniens, & revera id contingit in eo, qui primas didicerit Geometriæ definitiones, atque ad hanc propositionem nondum pervenerit. Jam vero hæc perceptio quam habet extensionem & quas in potentia partes, quibus per substantiam extensam & plures in potentia partes habentem diffundatur? Dices fortasse esse partes in idea trium angulorum & in idea æqualitatis cum duobus rectis. Ut mittam communem respondendi rationem, aliud esse objectum repræsentatum, aliud esse ideam repræsentantem,

 illud

illud esse extensum, hanc vero extensionis prorsus expertem; ajo me non disputare de ideis subjecti & prædicati, verum de idea convenientiæ inter easdem, quam esse ab illis distinctam jam docui. In hac, si potes, hanc investiga extensionem, has in potentia partes. Quantumcumque ingenium contuderis, nihilum quidem te proficere senties. Si enim substantiam extensam ea minorem extensa parte prioris, in qua hujusmodi cognitio est, dari posuero, quod esse posse constat ex iis, quæ in superioribus sunt disputata; hæc convenientiæ cognitio in hac altera substantia erit ne æqualis cognitioni quæ in prima est, an minor? Non æqualis, eo quod prima, utpote per majorem substantiam diffusa, major sit oportet, præsertim cum in re tam perspicua nec intensione sive claritate secundam superare queat; non minor, quia convenientia inter illa duo aut tota percipitur, aut nec ulla ex parte. Ergo manet hanc perceptionem in substantia extensa non posse reperiri, præsertim cum jam docuerimus intimo sensu liquere quamlibet cognitionem esse unam tantum, quo illud adversariis præcluditur effugium, in majori substantia extensa perceptiones convenientiæ esse numero plures, quam in minori. Quæ omnia efficacius etiam urgeri possunt de illa perceptione reflexa, qua quisque suam convenientiæ inter prædicatum & subjectum perceptionem cognoscit, quam esse posse in qualibet majori & quamtumvis minori substantia extensa manifestum est simul ac in aliqua substantia extensa esse potest. Nam hæc reflexa perceptio eadem prorsus & similiter perspicua esse poterit in quacumque vel minima substantia extensa, contraquam esse deberet, si per substantiam extensam diffunderetur.

18. Siquis ad hæc animum diligenter attendat, nullus dubito, quin hisce rationibus cogi & effici putet substantiam cogitantem esse extensam nequire, præsertim si animadvertat in corporibus & in iis omnibus quæ in corpore sunt, partes saltem eo sensu, quem toties explicavimus, haberi posse, ut corpusculi primitivi potest creari aliud subduplum, subtriplum, subquadruplum; vis motricis alia potest haberi quæ sit aliqua primæ pars; figuræ ex. g. circularis aut ellipticæ potest haberi dimidium; sic motus, sic temporis, sic omnium aliorum quæ in corporibus sunt, partes obtinere possumus. At in simplicissima negatione aut affirmatione, vel in earum reflexa perceptione nullæ partes ne cogitatione quidem haberi queunt. Nam conetur aliquis invenire partem aliquam hujus assertionis; *ego sum cogitans, ego existo*. Profecto se in irritum conari sentiet. Ergo suam cognitionem atque idcirco etiam substantiam, in qua illa est, extensione carere fateatur necesse est.

19. Verum hic objici potest his rationibus monstrari quidem judicia, ratiocinia, aliasque animæ cognitiones, quæ ab attentione & reflexione pendent, non posse in substantia extensa reperiri, sed iisdem non effici sensationes & cognitiones directas in eamdem substantiam cadere nequire; quo refellitur quidem systema eorum qui volunt animam humanam esse extensione donatam, non autem illorum, qui animam belluarum esse substantiam extensam contendunt. Nam quod res ita se habeat, patet tum ex eo quod hæ sensationes & ideæ nihilominus unum tantum accidens forent, contraquam vult Hayerus, qui tom. I. supra laudati libri maximam inde rationem pro suo systemate depromit, tum eo quod harum sensationum dimidiæ, tertiæ, quartæ &c. partes inveniri possunt, ratione habita sive extensionis, sive intensionis. Nam

si

si ex. g. substantia extensa datæ magnitudinis afficiatur idea & imagine circuli per oculos, anima quæ foret æqualis dimidiæ, tertiæ, quartæ &c. parti primæ, si similiter afficeretur, haberet solum ideam dimidiæ, tertiæ, quartæ &c. partis circuli. Id quod dici potest de omnibus aliis rerum corporearum ideis & cognitionibus, quæ solæ in hac anima extensa reperiuntur.

20. Res quidem non ita evidenter conficeretur, si dari possent sensationes cognitionesque directæ sine ullis prorsus reflexis. Verum id nulla ratione esse potest. Qui enim fieri quit ut anima dolore aut voluptate afficiatur, nec se affici sentiat, nec sensationem alteram ab altera distinguat, idest non cognoscat primam non esse secundam? Scio cognitionem directam cujus objectum est corpus, esse distinctam a reflexa, quia illius objectum est idea corporis; verum & scio animam non posse videre objectum ab idea repræsentatum, nisi videat ipsam ideam repræsentantem; quemadmodum non potest quis videre faciem Petri in speculo, nisi ipsam imaginem quæ faciem Petri exhibet, prius videat. Quamvis autem hæc idea reflexa non semper eadem claritate & vi animam afficiat adeout aliquando non recordetur se ad aliquam suam cognitionem attendisse, id tamen satis non est ad illud efficiendum eamdem nequaquam fuisse, ob rationes quas in quæstione, an anima semper cogitet §. 20. & seq. expendimus. Id certum est dari non posse animam sensationibus & rerum singularium cognitionibus præditam, quæ non habeat facultatem cognoscendi quoque alterum in altero esse aut non inesse, & voluptatem quam percipit ex. g. ex esu cibi esse quid aliud a dolore, quem eodem tempore ex vulnere sentit. Certe quibus rationibus infra ostendemus esse in belluis sensationes rerumque singularium cognitiones, iisdem efficiemus esse quoque cognitiones reflexas, & perceptiones convenientiæ aut discrepantiæ inter res. Id quod supra §. 31. & seq. ex aliqua parte præstitimus. Jam vero has omnino individuas & inextensas convenientiæ & discrepantiæ perceptiones in substantia extensa esse nequire in superioribus evidenter confecimus. Ergo manet perspicuum quoque fieri, sensationes rerumque singularium cognitiones, ex quibus illæ necessario consequuntur, in eadem extensa substantia reperiri non posse.

21. Sic, ut reor, ostenso sensationes cognitionesque in extensa substantia esse nequire, venio ad solutionem aliarum difficultatum, quas in antecessum proposui. Quamquam cum ea, quæ in communi virium sententia maximum habet momentum, ita ex meis principiis in superioribus soluta fuerit, ut nullus esse reliquus dubitandi locus videatur, necesse non est in aliis diluendis immorari diutius. Nam primo illam latebram, quam Lochiani in corporum essentiæ quærunt ignoratione, jam hominibus præclusimus, cum interiorem corporum essentiam atque substantiam nobis esse perspectas & exploratas in Ontologia §. 251. accurate monstravimus. Deinde modo id unum teneamus ad primitivam corporum essentiam extensionem pertinere, in quo conficiendo ea mihi videor attulisse, quæ omnes adversarios persuadere & cogere debent, ex iis, quæ de impossibilitate ponendi sensationes cogitationesque in extensa substantia hic disseruimus, plane colligitur in substantia materiali & corporea easdem non posse reperiri, atque idcirco nostram animam, in qua easdem observamus, materiæ & corporis expertem esse oportere. Ex quo patet etiam quid respondendum sit ad illud, quod Stillingflecto neganti intelligi posse, quomodo corpus cogitare queat, Lochius objecit, a nobis hac in re non argu-

gumenta pure negantia in medium produci, sed affirmantia, talisque naturæ, ut doceant repugnantia inveniri in substantia, quæ simul extensa & ideo corporea sit, & sensationibus cognitionibusque afficiatur. Quamquam non parum momenti esse puto in eo genere argumentandi, quo concluditur sensationes cogitationesque in extensa substantia minime posse inveniri, si ex ejusdem essentia colligi nequeunt. Nam ostendi quidem in Logica §. 178. essentiam cujusdam rei posse satis perfecte cognosci, quin omnia attributa, omnesque modorum possibilitates, quæ sunt attributa §.87. & seq. Log. percipiantur, aut ex essentia deduci queant; verum id docui de iis, quæ valde remotæ sunt, & a pluribus pendent externis conditionibus atque relationibus, quæ non omnibus possunt in mentem venire; aut si etiam veniant, ita intricatæ sunt, ut quid in iisdem usuveniat, definire nequeamus. Id quod manu tangi potest in universa Geometria, & etiam in hoc uno ejusdem exemplo, quo Lochius in suam sententiam est usus, an dari possit quadratum circulo æquale. Jam vero ex altera parte clare cognoscimus sensationes, cognitionesque, quarum intimo sensu nobis conscii sumus, itemque claram materiæ & corporum essentiæ in una extensione positæ notionem habemus; ex altera autem si sensationes cognitionesque non sunt motiones, nec a viribus motricibus effectæ, quales non esse jam num. 8. & seq. docuimus, nullo pacto ex corporum extensione, & ex viribus, quæ in illis esse quire cognoscimus, facultas sive possibilitas sentiendi cogitandique elici potest, tametsi vires hujusmodi sint accidentia prima, quæ a nullis aliis conditionibus, quæ in substantia ante gignantur, sed a sola divina actione pendere debeant. Ergo non sine ratione ex hoc uno colligi potest sensationes cogitationesque in extensa substantia, atque in corporibus esse nequire. Quod vero attinet ad Lochii exemplum, ajo difficultatem in eo positam esse, quod satis clare non intelligitur aut demonstratur lineam circularem ita dirigi & in rectum extendi posse, ut recta inde genita circularem exæquet, sive dari posse lineam rectam, quæ datæ circulari æqualis sit, quia fieri fortasse potest, ut sint quantitates adeo diversæ speciei, ut altera cum altera comparari, & altera alterius æqualis, aut major, aut minor esse nequeat. Quo ignorato qui cognoscere possumus utrum dari possit rectangulum circulo æquale, cum alterum ex ipsius lateribus semiperipheriam, alterum circuli radium debeat æquare? At hic clare perspicueque noscimus quid sit sentire, percipere & velle, & quid in hisce actionibus in anima nostra usuveniat; simili modo intelligimus, quid sit substantia materialis atque corporea, & quas in suis motibus perficiendis leges sequatur. Quare mirum esse non debet, si naturalibus possumus definire rationibus, utrum materialis atque corporea substantia sentire, cognoscere atque appetere queat, nec ne. Nec regerat Lochius nos animæ ignorare substantiam, atque idcirco definire non posse an debeat carere extensione. Nam ipsius saltem novimus operationes, quas intimo sensu percipimus; cumque extensæ substantiæ naturam, quæ nobis satis perspecta est, noscamus repudiare easdem operationes, inde animam cogitantem extensionis expertem esse debere aperte concludimus. Quare dum Lochius contendit non minus esse difficile intelligere, quomodo extensa substantia cogitet, quam quomodo dari possit aliqua sine extensione substantia; ex his, quæ hactenus disseruimus, plane constat quid respondendum sit, primum scilicet non solum a nobis non intelligi, quo-

quomodo esse possit, verum etiam claris rationibus confici inter ea, quæ esse nequeunt, adnumerari oportere; alterum autem esse impossibile tantum abesse ut monstratum sit, ut potius ex his duobus, quod constat animam cogitare, & ostensum est substantiam extensam cogitare non posse, substantiam extensionis expertem esse quire plane colligatur. Cujus demonstrationis vim, ipsomet Lochio assentiente, non labefactat ignoratio modi, quo talis exsistat substantia: propterea quod multa sunt, quæ nostra finita mens certa ratione noscit exstare, tametsi ob finitos limites, quibus coercetur, non intelligat modum, quo sunt.

22. Quo loco valde doleo Cl. Marchionem Gorinum in Opere, quod inscribitur: *L' Uomo Trattato Fisico Morale in Lucca* 1756. lib. II. cap. 4. pag. 217. & seq. amplexatum esse tam periculi plenam Lochii sententiam. Principii loco statuit substantias ipsas tam materiales, quam immateriales sine ulla vi & operatione posse permanere. Inde colligit Deum addidisse substantiis immaterialibus vim cogitandi, & eadem facilitate addere posse etiam materialibus, nec aliquem posse id negare, aut divinæ potentiæ limites circumscribere. Monet deinceps a divina libera voluntate pendere ut anima cogitet, & numquam habeat finem; corpora autem ut cogitatione careant, & ad finem perveniant, tametsi primitivæ substantiæ corporum nihil etiamnum interierit. Ex quo efficit nihil esse momenti in ea differentia inter animam & corpus, quod anima sit expers partium, corpus vero plures complectatur, in qua tantum momenti ponunt alii ad immortalitatem animæ defendendam, & ad corporis mortem. Valde, inquam, doleo, quod catholicus vir nimiam præbet ansam Materialistis perstandi in sua sententia, quod nulla sit alia saltem creata præter materiales atque corporeas substantia. Si enim substantia extensa ac materialis vi cogitandi & ideo etiam libertate prædita esse potest, quænam alia reliqua est naturali lumine cognoscenda ratio, quæ doceat animas non esse substantias extensas ac materiales? Ceterum nimis infirma sunt argumenta, quibus is utitur. Concedo equidem vim sentiendi & cogitandi ad animæ substantiam accidere, idque enucleate docui in Ontologia §. 42. & seq. & supra §. 91. & seq. Verum quid inde potest effici in sententiam Gorini & Lochii, qui hunc plumbeum pugionem Gorino suppeditavit? Nonne sunt aliqua accidentia propria in eo sensu ut quamvis non semper eidem rei conveniant, illi tamen soli convenire possint, quorum idcirco possibilitates sunt attributa propria, quæ in eam rem solum cadunt? Jam vero supra docuimus sensationes cogitationesque in substantia extensa & materiali tamquam in subjecto reperiri non posse. Ergo fit manifestum easdem esse quidem accidentia substantiæ immaterialis, & inextensæ, sed propria. Nec ita sentientes limitibus coercemus divinam omnipotentiam, quæ nulla ratione pertinet ad ea quæ contradictoria includunt, eo quod hæc non sunt ens. Ad id vero quod addit de immortalitate, de partibus, & de fine corporum, non animarum, moneo jam ex meis constare principiis tam intrinsecus esse immutabiles & in æternum duraturas substantias immateriales, quam materiales & extensas, eo quod etiam hæ partibus carent. Quamobrem non ex illa a Philosophis vulgo tradita differentia inter animam, & substantias extensas ex quibus corpora componuntur, rationem ad animæ immortalitatem ostendendam in posterum eliciemus, sed ex aliis principiis, quæ Cl. Viro nos probaturos confidimus.

mus. Ob rationes vero supra explicatas explodendum est etiam systema Baumanni, qui ut refert Diderotus in libello inscripto *Pensées sur l'Interpretation della Nature* 1754. sine nomine Typographi num. 50. pag. 70. in omnibus materiæ elementis ponit desiderium, aversionem, memoriam & intelligentiam, uno verbo qualitates omnes quas observamus in animalibus, quasque veteres animæ sensitivæ vocabulo complectebantur, & quarum ope formationem corporum organicorum & animalium is explicat; quo posito systemate periculosissimum Materialismum inde sequi docet commemoratus Diderotus. Nec tamen ferendum est ejusdem systema Dideroti, qui ut tantum periculum removeat, vult in materiæ elementis esse ponendam sensibilitatem millies minorem ea, quam omnipotens Deus attribuit stupidissimis animalium & minimo intervallo a materia distantibus. Siquidem ex altera parte jam evicimus nullam ne minimam quidem sensationem in substantiam extensam cadere posse, & ex altera simul ac aliqua vel levissima sensatio quæ non sit purus motus in substantia materiali & extensa admittitur, exploratum fit nos non posse amplius cohibere Materialistas, ne cujuscumque generis sensationes cognitionesque materiæ attribuant, propterea quod quæ substantiæ sunt capaces qualitatis in aliquo remisso gradu, eamdem in quolibet vel maxime intenso suscipere possunt. Quo loco satis mirari non possum Cl. Genuensem, qui licet sit acerrimus spiritualitatis & immortalitatis animæ defensor, tamen hæc litteris consignavit in p. 2. Metaph. cap. 6. pag. 198. Venetiis. *Nec raro subit animum esse dolores omnes & voluptates animæ cujusdam mediæ & corporeæ: nam phænomena dolorum & voluptatum vix locum habere posse videntur in substantia incorporea. Transitus a statu doloris ad statum voluptatis intelligi nequit sine mutatione quadam intrinseca subjecti: in animo vero incorporeo nec naturæ ulla mutatio intelligi potest, & sola operationum intellectus aut voluntatis vicissitudo hunc sensum efficere nequit, quemadmodum perpetua experientia comprobatur. 2. Sunt in voluptate & dolore quidam intensitatis gradus: intelligi autem nequit qui substantia incorporea intendi & remitti possit.* Ita Cl. Auctor, qui tametsi hisce rationibus se neget assentiri in obsequium Christianæ Religionis, cui rationem esse postponendam subjungit, tamen nimium aut favere videtur Bælio, qui rationem adversari mysteriis fidei contendit §. 236. n. 3. Log. aut concedere expositis rationibus, quæ secundum vera principia nihil prorsus efficiunt. Nam ex altera parte jam supra confecimus §. 75. & seq. eamdem esse & unam substantiam quæ sentit dolores & voluptates, quæque universalia cognoscit, judicat & ratiocinatur, & ex altera n. 20. pariter ostendimus sensationes in substantia extensa & corporea non posse reperiri, quia cognitio directa quæ est in qualibet sensatione, sine reflexa esse nequit. Ut vero in anima inextensa sint hujusmodi sensationes eæque magis vel minus intensæ, opus non est ut substantia ipsa inextensa per se mutetur, intendatur, aut remittatur, quæ nec in veram substantiam extensam, qualia sunt singula primitiva corpuscula, cadere possunt; sed satis est ut vires sentiendi modo in illa creentur talis speciei, modo non, eædemque modo augeantur, modo diminuantur, quemadmodum etiam contingit in viribus corporum: quam virium sentiendi mutationem Deo possibilem nulla ratione Genuensis negare potest.

23. Inter eos qui Materialismo addicti sunt, non ultimum obtinet locum au-

auctor qui dicitur esse Metryus, commentarii inscripti *l' Homme Machine*, qui habetur in libro inscripto *Oeuvres Philosophiques a Londre chez Jean Nourse* 1751. cum pluribus aliis commentariis ejusdem auctoris & ejusdem furfuris, uno excepto inscripto *Les Animaux plus que Machines*, in quo impiæ hominis doctrinæ refelluntur. Is primum statuit hac in re susdeque habendam esse Metaphysicam, quæ solum ad inania commenta deduxit Cartesios, Malebranchios, Leibnitios, Wolphios aliosque (pag. 14.), nec esse audiendos Philosophos, qui Medici non fuerunt, sed unam experientiam & observationem attendi oportere, eosque Medicos qui operam Philosophiæ dederunt. Quo constituto a pag. 14. usque ad pag. 22. totus est in ostendendo statum animæ a statu corporis & ab iis mutationibus, quas aer & corpora externa in nostro corpore efficiunt, ita pendere, ut prima sine hoc nullas exercere possit sentiendi & percipiendi, operationes, & motu corporis & præsertim cerebri ejusque spirituum aut promoto, aut perturbato, aut imminuto, aut corrupto, animæ functiones similibus variationibus obnoxiæ fiant. Pagina vero 23. incipit tractare argumentum ductum ab anatomia cerebri, facta collatione inter cerebrum bestiarum interque hominum, & cum de horum cerebro agitur, inter cerebrum eorum, qui ingenio & acumine pollent, interque illorum, qui aut mente capti aut stupidi sunt, aut imbecilles. Ex observationibus autem primo colligit animalia eo maxime bruta observari, quo minimum cerebri habent; secundo videri hoc viscus eo majus esse, quo docibilia sint; tertio hanc singularem legem a natura statutam fuisse, ut quantum accedit spiritui, tantumdem de instinctu decedat. Advertit quoque non solius magnitudinis cerebri habendam esse rationem sed etiam qualitatis & dispositionis, quæ cum aliæ in aliis hominibus & in eodem homine aliæ in alia ætate sint, mirificam in ingeniis differentiam efficiunt. Tum pagina 25. & sequentibus tam exiguum discrimen ponit inter bestias & hominem, ut ex altera parte si quis calleat artem docendi simias usum linguæ, quemadmodum celebris Amanus callebat similem artem circa homines ab ortu surdos & mutos, illæ futuræ sint tamquam homines cum aliis vitam degentes; ex altera vero tota hominum cognitio in imaginatione posita sit, sive in addiscendo aliquo numero materialium signorum quæ ad aliquam pertinent facultatem. Ex quo hæc concludit pag. 33. „ Si hoc mirabile & incomprehensibile, quod ex structura cerebri existit, est hujusmodi, si quidquid percipitur, imaginatione percipitur, & illius adminiculo omnia explicantur, ut quid principium dividimus sensitivum, quod in homine cogitat? Nonne id contradictoria complectitur apud patronos simplicitatis animorum? Quod enim dispescitur, sine contradictione haberi non potest tamquam individuum. Ecce quo præcipites agunt abusus linguarum, & usus grandium hujusmodi vocabulorum, *spiritalitas, immaterialitas* fortuito enuntiatorum, quin intelligantur ab iis ipsis, qui acriori utuntur ingenio „ Hactenus auctor, qui ex his elicit primas in homine deferri oportere structuræ, secundas autem institutioni, qua fit ut homines nati inferiores bestiis, quæ sine institutione multas operationes, ut comedendi, natandi &c. exercere sciunt, contraquam in homine contingit, eas deinceps adminiculo disciplinæ longo intervallo superent, utque surdi ab ortu, cœci similiter, imbecilles, mente capti, sylvestres homines, aut qui cum belluis inter sylvas vixerunt, qui denique imaginandi facultatem ob bilem amiserunt, inter

homines recenseri non mereantur [pag. 40.].

24. Cum vero pag. 40. sibi objecisset inter homines & bestias esse hoc insigne discrimen, quod illi boni & mali moralis cognitionem acquirunt, & conscientiæ morsibus exagitantur, hæ vero nequaquam; id falsum esse docet pag. sequenti exemplo tum canis, qui cum blandientem dominum morsu appetiisset, mox signa doloris & penitentiæ dedit, & illius leonis, qui noluit hominem ipsi objectum discerpere, eoquod de se benemeritus olim fuisset, concluditque materiam, sicut est apta sensationi, ita esse idoneam conscientiæ remorsibus.

25. Tum pag. 55. novem experimenta refert membrorum animalium, quæ postquam animal mortuum est, per aliquod tempus suum tuentur motuum, ut peristalticum intestina, contractionis & distractionis corda, & alii musculi, aut injectione aquæ calidæ sollicitata, aut soli commissa, aut leviter puncta, progressionis residuum corpus abscisso repente capite, & præsertim vitalem illa insecta, quæ in partes divisa se in totidem animalia priori similia octo circiter diebus transformant. Ex quibus pag. 57. putat se posse prorsus evidenter hæc duo concludere, alterum esse in singulis corporis partibus internum motus principium, sive in ipsa earum substantia non considerata totius corporis structura & præsertim sanguinis circulatione, & nervorum a cerebro propagatione; alterum motum inde genitum non esse irregularem, sed omnino regularem.

26. Præterea [pag. 61.] ex eo, quod quis jacens in lecto multum defatigatur, si aliquod opus & notiones abstractas animo revolvit, colligit animam a cerebro & a spiritibus animalibus nequaquam distingui, atque hæc scribit „ Denique si nervorum distensio, qua dolor excitatur, gignit febrim, qua spiritus perturbatur, & voluntatem amittit; & si e converso spiritus nimis exercitus turbat corpus, & hunc voracem accendit ignem, qui Bælium in ætatis flore consumsit; si talis titillatio appetitum quemdam excitat, & vehementi desiderio appetere cogit, quod paulo ante non curabam; si rursus certa cerebri vestigia eumdem commovent pruritum, eademque desideria: ut quid faciemus duplex, quod adeo clarum est esse unum & idem?

27. Demum pag. 72. & seq. suadere contendit perfectam inter bestias & hominem similitudinem, ex eo, quod modus quo homines formantur, est similis modo, quo belluæ.

28. Tandem concludit opus magnificis verbis, quibus gloriatur se ex certis experimentis rem confecisse adversus debilia & infirma Theologiæ & Metaphysicæ argumenta, quæ vocat arma puerilia, notiones commentitias atque vulgares, & ratiocinia trita ac nullius momenti, hisque finem operi imponit „ Ecce meum systema, aut potius veritatem, nisi valde fallor. Brevis est & simplex. Disputet nunc quicumque volet „.

29. Auctor vero in secundo Commentario *Traitè de l'Ame*, cujus sententiam circa originem vis motricis expendimus & refutavimus in Ont. §. 151. num. 11. hæc affert cap. VI. ut suadeat facultatem sentiendi esse inipsa materia. 1. nihil obstare oportere impossibilitatem cognoscendi qui hæc proprietas ab extensione derivetur, propterea quod multa alia sunt, quæ nequaquam intelligimus quomodo ab essentia materiæ ducant originem, uti sunt extensio, vis motrix, vis inertiæ, vis attractionis; 2. nos in corporibus non observare nisi

si materiam, nec facultatem sentiendi nisi in corporibus, atque idcirco explodendam esse aliam quamcumque solum in animi notionibus exsistentem substantiam. Fatetur tamen nos ignorare utrum materia ipsa per se proxime habeat hanc sentiendi facultatem, an vero solam potentiam acquirendi ope modificationum sive formarum, quas suscipere potest; dubitandique fundamentum esse ait, quia hæc facultas nisi in corporibus organicis non observatur, atque in hanc partem propendet & idcirco hanc facultatem, uti & alias, solum potentia contineri putat in materia secundum sententiam veterum scholasticorum, quorum systema utpote aptum atque cohærens & veluti perfectum & absolutum corpus dignum esse vult, quod disjectis Recentioris Physicæ membris præferatur, & hac de caussa capite sequenti de substantialibus agit Peripateticorum formis, quas ex horum sententia in corpore prius exstare debere contendit, quam facultates sentiendi & se movendi ab hisce formis profectas obtineat. Hac de caussa in alio commentario inscripto *Abregé des systemes* §. 8. pag. 246. Bælium in Dictionario articulo *Lucrece* ex ea Lucretii sententia quod anima a corpore distincta non est, colligentem esse futurum ut etiam lapides sentire & percipere possint, redarguit palmaris sophismatis, quod in cujusque vel minus acuti oculos incurrere potest, propterea quod in aliis corporum generibus non est ea partium dispositio & textura, a qua pendet sentiendi vis, quæ in animalibus reperitur. Id quod exemplo declarat aquæ, quæ modo stagnat, modo fluit, modo ascendit, atque descendit, modo exsilit in jactus pro ratione caussarum, quæ in illam se explicant.

30. Verum enimvero ut ab hoc ultimo sumam initium, is potius in palmares incidit errores, & ignoratione veritatum maxime perspicuarum, quas una cum Metaphysica ut sibi nimis contrarias contemnit, in tanta scientiarum luce sciens ac prudens cæcutit. Primo enim cum sensationes, cogitationes atque appetitus ponat in pluribus iisque distinctis substantiis, quales sunt plures corporis particulæ spiritusque animales, in quibus has collocat mutationes, palam facit contra illum omnium hominum intimum eumdemque clarissimum sensum, de quo supra enucleate disputavimus, quo quisque experitur se unum & eumdem esse, qui sentit, qui cogitat, qui vult; quem certe non esse futurum in homine supra evidenter confecimus, si hæ mutationes in pluribus substantiis reperirentur. Deinde offendit in eo, quod putat status mutationes, quales sunt dictæ animæ operationes, posse ex varia partium dispositione ortum ducere, & in partibus ita dispositis reperiri, tametsi in singulis non sint, nec esse queant. Quod prorsus a vero aberrare suis locis manifeste confecimus ea simplici & evidenti ratione, quod ex altera parte mutationes status esse nequeunt sine vi, quæ sit aliquod absolutum §. 42. Ont. & ex altera ex conjunctione partium, quæ est aliquod relativum, oriri non potest prædicatum absolutum, quale est vis & mutatio ab illa profecta §. 173. Ont. Et revera fieri ne potest ut si in nulla ex. g. massæ cujusdam particula sit vis sursum tendendi, in iisdem conjunctis esse possit ita ut ex earum conjunctione præcise nascatur? Lacesso adversarium ut mihi aliquod in rerum natura simile exemplum sub oculos ponat. Erit in promtu responsio similis illi, quam ad exemplum tubæ dedi in Logica §. 99.; ex qua fit manifestum virium numerum ac magnitudinem earumque variam dispositionem, utpote aliquid relativum, ex varia quidem particularum con-

junctione proficisci, sed cum singulæ particulæ sua quæque portione vis sunt donatæ num. 1. Et revera in allato ab homine aquæ exemplo mirum esse non potest aquam eos omnes motus pro varia caussarum dispositione posse perficere, cujus singulas particulas scimus esse donatas viribus tum gravitatis tum centrifugis, quibus omnes ii motus accepti ferendi sunt. Ex quibus liquet quo sensationes cogitationesque, & sentiendi ac cogitandi vires in humano corpore reperiantur, opus esse ut singulæ ipsius moleculæ, immo singula primitiva corpuscula sua quæque parte sensationis cogitationisque donentur. Cum vero singula nostri corporis corpuscula sint similiter extensa, ac illa ex quibus alia omnia corpora componuntur, & ejusdem fere speciei, nisi quod alia aliis densiora esse possunt, quæ differentia non potest efficere ut alia ex ipsis sint idonea suscipiendæ sensationi, aut cogitationi, alia nequaquam; ex systemate Lucretii, qui easdem in corpore humano tamquam in subjecto collocat, ajo plane evidenter colligi a Bælio futurum esse, ut etiam lapides & metalla eas mutationes habere queant. Cum autem supra monstraverimus fieri non posse ut corpuscula iis mutationibus obnoxia sint, alterum similiter concluditur substantiam extensam & materialem non esse capacem sensationis & cogitationis, ideoque animam humanam, in qua easdem observamus, esse inextensam & immaterialem.

31. Quam vero latebram homo quæsivit in Aristotelæorum sententia, qui novarum, earumque absolutarum formarum generationem in materia posuerunt, earumque virtute fieri posse rati sunt, ut in corpore humano tamquam in subjecto sensationes reperirentur; eam jam homini eripui, cum sine actione Dei creantis eas formas absolutas de novo exstare non posse docui §. 245. & seq. Ont. easdemque in alio non esse collocandas quam in motricibus viribus & ibidem & hic ostendi, propGtereaquod primitiva corpuscula, utpote omnino insectilia, & dura, alterius mutationis absolutæ capacia non sunt; quam illius quæ in vi mutandi statum posita est §. 235. Ont. & alioquin hic planum feci aliam in iisdem mutationem, quam loci extensi, esse non posse. Mirum autem esse non debet, si qui Peripatetici in tam multis Philosophiæ capitibus a vera philosophandi ratione atque a perspicuis etiam Metaphysicæ principiis aberrarunt, iidem offenderint etiam hac in re, & quemadmodum etiam §. 112. n. 2. significavi, tametsi veras spiritualitatis ac immortalitatis sententias acerrime defenderint, tamen nescientes atque imprudentes Metryo aliisque impiis hominibus eas præfacte negantibus arma suppeditaverint. Mirum potius videri debet Metryum qui Metaphysicam ejusque principia susdeque habet, ad suas falsas opiniones defendendas præsidium petere ab illo Metaphysicæ Peripateticorum, in qua tam multa peccantur, principio, quod ut levissime dicam, saltem obscurum est & incertum, atque idcirco minime dignum, quod ad suarum confirmationem sententiarum tanta fiducia atque adeo temeritate usurpet. Nam quod is jactat de disjectis Physicæ Recentiorum partibus, deque apto omnibusque numeris absoluto Physicæ Scholasticorum corpore, ferri ne potest in tanta Scientiæ Naturalis luce, & postea quam Newtonus tam aptum atque cohærens in explicatione naturalium phænomenorum systema compegit, præsertim ut nos in Appendice I. ad Ontologiam & potissimum tomo I. & II. Phy. Gen. docuimus ab hac una lege quod Deus creat in corpusculis distantibus vires motrices, quibus ad se accedunt

dunt, vel a se vicissim recedunt, proportionales massis directe & quadrato distantiæ corporum inverse, derivari vim inertiæ, impenetrabilitatem, modum quo corpora in se vicissim operantur, leges motuum, cohærentiam, gravitatem universalem, atque alia præcipua naturæ phænomena, quibus hæc rerum universitas continetur? Quod si reponat hæc apud ipsum nullam habere vim, eo quod negat Deum aut exsistere aut moderari mundum, cujus motus natura perfici contendit, præter eas rationes, quibus Deum omnium rerum creatorem conservatoremque constare in Logica & in Ontologia confeci & luculentius in Theologia Naturali sum confecturus, hominem confodiam iis aliis, quibus corpora docui sine motricibus viribus quæ sint aliquod absolutum, moveri non posse §. 42. Ont. hasque vires ab aliis in alia corpora non posse ipsas per se migrare §. 237. Ont. Siquidem inde fieret corpora ab æterno quieta sine ullo motu in æternum mansura, eoquod nec a se vim acquirere nec ab alia caussa vim in ipsis gignente possent; ab æterno mota eadem prorsus celeritate & secundum eamdem directione in æternum percitum iri, eo quod nec ipsa per se nec adminiculo aliorum vim, qua ferrentur & quidem in directum §. 302. n. 4. Ont. variare quirent. Quæ cum experimentis & observationibus prorsus contraria sint, adversus hominem conficitur ad ens, quod vis motricis creandæ vim habeat, esse confugiendum, quo leges motuum, & aspectabilem hunc mundi ordinem sartatecta servemus. Sed de his enucleatius in Theologia Naturali.

32. Quod vero argumentum & hic & eo loco, quem in Ont. §. 251. num. 11. citavimus, ducit ex eo quod in corpore sunt quædam latentes vires, uti attractionis, & inertiæ, quæ non ab extensione, sed a quodam latenti principio ducunt originem, & ideo potest esse quoque sentiendi & cogitandi vis, tametsi ejus cum extensione necessitudinem non cognoscamus, jam & dicto Ontologiæ loco viam munivimus ad ejusdem solutionem, & paulo ante diluimus num. 14. cum Lochio iisdem utenti principiis satisfecimus, omnes scilicet allatas vires esse motrices, quarum utpote accidentium non exsistentiam, sed solam possibilitatem ab extensione derivare possumus, ut revera derivamus; vim autem sentiendi cogitandique a viribus motricibus toto cælo discrepare, & cum extensa substantia, quemadmodum supra docuimus, non posse cohærere.

33. Quod autem attinet ad rationes a Metryo & ab aliis ductas ex commercio inter animam & corpus, eruditus quidam Anonymus auctor libri inscripti *Traité de la Nature de l' Ame & de l' origine de ses connoisances.. a Paris* 1759., & duobus tomis in octavo comprehensi, tom. I. parte I. cap. 3. tantum abesse putat, ut inde præsidium aliquod petere possint Materialistæ, ut ex Anatomicis observationibus eorum systema mirifice labefactetur. Ut expromam quid sentio, primum adverto etiamsi anima foret materialis, unam tantum sive unum tantum corpusculum primitivum pro anima admitti oportere me jam ostendisse supra ex intimo sensu, quo planum fit eam esse unicum tantum ego, non plura §. 75. Quid inde sequetur? eam esse, Materialista reponit, caussam physicam, quæ ope spirituum animalium movet cetera corporis membra, & corporis diversas motiones esse pariter caussam effectricem, quæ sensationes in hac anima materiali excitet. Minime gentium. Jam enim rationibus, ut mihi videtur, plane certis & evidentibus docui

aliud

aliud corpus cum alio nullam vim posse communicare atque ideo corpora caussas effectrices motuum, quos in ipsis extingui & generari videmus, esse nequire. §. 237. Ont. Ex quo deinde collegimus Deum esse veram effectricem in motuum communicatione caussam, qui partem vis in percutiente corrumpit, partem in percusso creat. Quamobrem etiamsi anima foret immaterialis & inextensa, nihilominus sartatecta servari posset lex commercii inter eamdem & corpus, utpote pendens a Dei voluntate, qui ab anima immateriali atque inextensa perinde, ac a materiali & extensa, sumere quiret occasionem quasdam in corpore gignendi vires motrices & motus, quemadmodum & a corpore eam occasionem arripere posset efficiendarum in anima sensationum cogitationumque quædemumcumque animæ substantia ponatur. Cum enim occasionalis caussa nullum in alia re gignat effectum, sed ille totus præcipuæ eidemque efficienti caussæ sit ascribendus; munere suo poterit optime fungi, sive ipsius natura sit ejusdem speciei, ac natura substantiæ in qua effectus ponitur, sive sit prorsus diversæ immo sive exstet, sive sit tantum in potentia proxima exsistendi. Ob hanc rationem in Ontologia §. 269. docuimus gravitatem, quæ in corpore ascendente revera non est, sed est solum in potentia proxima ut generetur & sit, esse occasionalem caussam, cur Deus vim motricem corporis ascendentis paulatim in nihilum redigat. Ex quibus compertum sit rationes omnes a Materialismi defensoribus depromtas ex necessitudine, quæ inter motus corporis & cerebri, & animæ sensationes cogitationesque intercedunt, adeout animæ operationes aut vegetæ sint, aut imbecilles pro ratione corporis quicum conjungitur, nullo pacto efficere quod ii contendunt, animam esse, uti corpus, extensam & materialem, sed id unum, quod immaterialitatis animæ Propugnatores semper Epicureis eorumque astipulatoribus ultro dedere, animam, quamdiu in corpore manet, ab ejusdem statu & functionibus pendere non ob aliquam naturæ & essentiæ utriusque substantiæ necessitatem, sed ob unam Dei voluntatem, qui talem sibi statuit legem in efficiendis utriusque mutationibus, ex parte similem illi, quam sibi tulit in perficiendis adminiculo attractionis mundanorum corporum motibus.

34. Unde universe patet responsio ad ea, quæ primo loco ex Metryo protulimus, & præsertim constat ex cerebro majori & artificiosius contexto, quicum majora & acutiora ingenia is advertit esse conjuncta, nihil posse deduci quod evincat animam esse materialem, sed illud unum colligi tale cerebrum esse occasionem, cur Deus plures & clariores sensationes cogitationesque in anima, quæ huic cerebro copulata est, efficiat. Nec movere debet quod is significat & alii auctores ejusdem sectæ clarius exponunt, sine caussa ad alteram Philosophos confugere substantiam, quæ sit sensationum cogitationumque subjectum, cum præsto sit humanum corpus & ipsius nerveæ fibræ, in quibus eædem reperiuntur. Nam præterquamquod jam docuimus has operationes esse non posse in corporea substantia, nec si ponantur esse motus ejusdem, nec si aliquid aliud esse comminiscamur; ex eo quod hanc substantiam sentientem ac cogitantem esse debere unam tantum jam evicimus, constat necessarium esse ab hac substantia excludere nervos aliasque corporis partes, quæ ex pluribus coalitæ sunt. Quo posito sic rationem concludimus. Hæc substantia extensa, quæ adminiculo & impulsu nervorum excitatur ita ut sensationes atque cogitationes accipiat, esse non potest prope extimam corporis superficiem,

quia

quia si ex. g. reperiretur prope nervos oculorum, non posset impressiones recipere ab aliis corporis partibus longe remotis, quarum nervos ad oculos non tendere nos docet Anatome, sed ad summum erit in ea cerebri parte, ad quam omnes ab omnibus tum externis, tum internis corporis partibus profecti nervi veluti in commune domicilium concurrant. Quare nervi appulsu corporum externorum sollicitati impressionem aliquam facient in hac extensa substantia, & secundum Materialistarum sententiam sensationes in eadem efficient. Jam vero hæ sensationes vel sunt motus hujus animæ, vel mutationes alterius speciei; si sunt motus, esse nequeunt quemadmodum esse deberent ut supra docuimus, intestini motus, eoquod foret prorsus dura & sine ullis distinctis partibus §.78. & seq. Ont. sed ad summum forent aliqui communes toti illi substantiæ motus, quibus ab alio ad alium locum tota pelleretur. Sed in communi corpusculi primitivi motu ab alio ad alium externum locum non potest esse aliqua sensatio aut cogitatio, ut supra confecimus. Ergo nervi in animam materialem incurrentes nullam in ea sensationem aut cogitationem, quæ sint corporei motus, efficere possunt. Sin autem sensationes atque cogitationes sint aliquæ mutationes toto cœlo a motu discrepantes, easdem a corporeis nervis sensatione & cogitatione carentibus tamquam ab effectricibus caussis generari non posse constat ex illo evidenti principio, quod caussa effectrix dare non potest id quod ipsa non habet. Deinde qua de caussa Materialistæ volunt substantiam sentientem a corpore non esse diversam, quia cum tunc nulla foret inter corporeos nervos & animam proportio, alii in alia nihil operari possent, tametsi experientia demonstret ex impressione in nervis facta sensationes oriri? Sed si similitudo esse debet inter substantias agentem, atque patientem, quo actio & passio inter eas esse possint; multo magis eadem intercedat oportet inter vim, quam agens substantia exercet, & inter vim, quæ in patiente recipienda est, cum actio a vi agentis, & passio a vi recepta in patiente proxime proficiscatur. Ergo corporis nervi, tamquam efficientes caussæ, gignere non possunt in anima materiali sensationes cogitationesque, si hæ sint aliquæ mutationes a natura motus diversæ. Cumque jam ostenderimus nervos non posse gignere easdem, etiamsi corporeis motibus perficiantur, manifeste sequitur Materialistas, velint nolint, confugere debere ad systema caussarum occasionalium, quo impressiones in nervis excitatæ efficiant in anima, tametsi materialis ponatur, sensationes aliquas aut cogitationes. Cumque, ut jam monui, in hoc systemate ex impressionibus nervorum sensationes cogitationesque excitari possint in anima, & similiter ex animæ appetitibus commotiones in nervis, tametsi eadem anima foret immaterialis & inextensa; consequens est quod hic mihi proposui, ex eo, quod positis quibusdam in corpore motibus quædam sensationes cogitationesque in anima exsistunt, & positis quibusdam in anima cogitationibus & appetitibus quidam in corpore motus excitantur, nihil posse deduci, quod animam esse corpoream & materialem evincat.

35. Quibus etiam compertum sit nihil esse momenti in iis aliis rationibus, quas aliqui Materialistæ ex hoc eodem capite colligunt apud Deneslum auctorem libri inscripti *Examen du Materialisme a Paris* 1754., atque in duos tomos distributi, in quorum primo cap. 2. hæc habentur „ Ego, Materialista respondet, nullo pacto hanc agnosco legem conjunctionis, quam es com-

men-

mentus, tuum ut systema sartumtectum servares, Nescius ac imprudens loco principii ponis, quod in quæstionem vertitur atque a me non conceditur. Nec enim aut ego video, aut tu monstrare potes hanc legem locum habere posse animam inter & corpus; cum ex tua sententia inter has duas substantias essentiale discrimen intercedat ... Quam ob caussam nec video mutuam esse quire actionem inter utramque substantiam, propterea quod conjunctio & actio mutua necessario postulant aliquam proportionem, idest partium, punctorum contiguorum, extremitatum, quorum nihil est ex tuis principiis inter has duas substantias ... Ergo tua conjunctionis lex quæ omnibus adversatur principiis, est purum commentum ... Igitur certius est ac simplicius aliud nihil quam materiam ponere in mechanismo, in quo aliud nihil quam ipsa observatur, quin confugiamus ad alteram caussam, quam nec tu, nec ego cognoscimus, quæque cum occultis Peripateticorum qualitatibus conferri potest ... Me interrogabis an melius norim materiam ipsiusque modorum varietates? Ajo ... Ita est, at nosco materiam & ejus modos. Video, sentio hanc substantiam. Ipsa meam componit essentiam, evincitque ipsa per se nihil aut fieri, aut posse fieri, nisi ope ipsius partium, & adminiculo modificationum partium, quæ intrinsecus semper eædem sunt, sed infinitas subeunt varietates.... Animalia, plantæ, lapides, metalla, aqua, ignis, aer, orbis terraqueus, orbesque cælestes aliud non sunt, quam artificiosæ extensæ substantiæ dispositiones ... Cur in horologio comminiscar latentem & invisibilem caussam, quæ illud ad motum excitet, cum ipsius motuum principium detegam in proportione partium ejusdem & in elatere? ... Verum tamen ecce quod facis, dum in corpore organico ponis substantiam, quæ sine materiali natura in materia operatur, quæque sine extremitatibus cum materia conjungitur, cum tamen artificiosa membrorum ejusdem compages arte infinita, qua donata est, te redarguat aut negligentiæ, aut ignorantiæ, aut doli mali. Saltem mihi persuade te substantiam spiritualem ita clare cognoscere, atque ego nosco substantiam ipsi contrariam, & fortasse fieri poterit ut aliquam nanciscar notionem hujus tuæ legis conjunctionis inter corpus & animam, interque ipsorum actiones, cujus impossibilitatem inscius ac imprudens tute ipse tuis principiis declaras. „

36. Ita Materialistæ, quibus primum repono legem conjunctionis inter corpus, quod ex pluribus iisque innumerabilibus substantiis sive primitivis corpusculis coalitum est, interque substantiam sensationibus cognitionibusque donatam, quam unam esse debere ex superioribus constat, a me non fuisse positam loco principii, sed accurate monstratam, etiamsi hæc eadem substantia corporea foret ac materialis. Deinde respondeo hanc conjunctionis legem non perfici vi efficiente corporis & substantiæ cognoscentis in eadem hypothesi quod sit materialis ob evidentes rationes quas in antecessum produxi. Non enim video quid respondere possint ad hanc. Ex ipsorum principiis necesse est, ut inter substantiam agentem atque patientem sit essentiæ similitudo & proportio extremorum, in quibus se contingere possint, & ope contactus in se vicissim operari. Ergo hæc similitudo & proportio esse debebit in ipsa caussa proxima actionum atque passionum, scilicet inter vim, quam alia in aliam substantiam exercere debet, & inter eam, quam alia ab alia recipere. Jam vero vel sunt in omnibus aut pluribus primitivis materiæ corporis humani mo-

moleculis sensationes cognitionesque, vel in una tantum illa substantia, quæ in cerebro inclusa reperitur. Primum admitti non potest ob ea quæ supra disseruimus de perfecta unitate illius substantiæ, quæ sentit, quæ cogitat, quæ ratiocinatur, quæ vult. Ergo aliud nihil est reliquum nisi ut in ea sola reperiantur. Qui ergo fibræ corporis & cerebri in eam incurrentes sentiendi & cogitandi vi destitutæ eamdem in illa substantia tamquam effectrices caussæ excitare possunt? Est ne aliqua convenientia inter motum & cogitationem, inter vim motricem & vim cogitandi? Immo maxima, regerit Materialista. Esto. Ergo hæc vis cogitandi & hæc cogitatio etiam in omnibus corporis partibus, immo in partibus totius mundi, in quibus esse scimus vim motricem ac motum, reperietur, præsertim cum jam docuerimus vires esse prædicata absoluta, quæ aut in singulas cadunt partes, aut neque ex earum conjunctione possunt oriri §. 173. Ont. Jam vero id prorsus pugnat cum allata omnium hominum experientia sive cum intimo cujusque sensu. Hoc quod paulo ante diximus, est illud ipsum, quod Materialista quicum nunc digladiamur, nobis inficiatur, dum objicit exemplum horologii, in cujus partibus disjunctis non est ille motus, sed solum in iisdem, cum apte inter se compactæ sunt; ex quo contendit elicere animam esse instar horologii ex pluribus membris coaliti. Verum hanc difficultatem jam praeoccupavi num. 1.; aliud est enim vis motrix, aliud est ipsius magnitudo, & varia atque apta ad aliquem motum gignendum dispositio. Vis motrix, utpote aliquid absolutum, in singulis elastri particulis reperitur, & si in iis non foret, nec in iisdem in lata chalybea lamella copulatis esse quiret; ejusdem vis magnitudo, utpote aliquid relativum, ex multis partibus copulatis ortum ducit & pariter determinatio ejusdem vis ad hunc potius motum regularis & æquabilis conversionis intra 24. horas quæ pariter est aliquod relativum, ex idonea conjunctione elastricum rotis & aliis horologii membris proficiscitur. Similiter si anima ex pluribus primitivis corpusculis composita foret, aut in omnibus esset sentiendi vis & sensatio, quod commemoratæ experientiæ adversatur, aut in uno tantum, & in hoc eventu esset una tantum anima sentiens & cogitans, atque res eodem revolveretur. Ergo, velint, nolint, Materialistæ hæc duo assentiantur necesse est, dictam legem conjunctionis esse inter animam & corpus, eamdemque viribus animæ & corporis effectricibus non obtineri, Quod cum ita sit, manet ex necessitudine, quam observamus inter motus corporis & animæ sensationes cogitationesque, nihil posse colligi quod animam esse materialem evincat.

37. Ut vero aliis etiam rationibus suadeam illam substantiam, quæ in homine sentit & cogitat, tamquam effectricem caussam in corpore non operari, etiamsi materialis poneretur, nec corpus in eadem tamquam similem caussam; paulisper examinemus qua ratione id fieri posset. Id profecto non fieret nisi adminiculo contactus mutui, ut ipsosmet statuere jam vidimus Materialistas qui ex hac mutui contactus necessitate colligunt animam a corpore non discrepare, utque fit manifestum ex eo quod etiamsi corpora distantia se vicissim trahere in systemate Newtoniano dicantur, nemo tamen sanæ mentis Philosophus eos accessus veræ mutuæ actionis nomine donat §. 303. Ont. Fac ergo omnes corporis nervos in communem aliquam cerebri sedem pervenire, & animam materialem esse conjunctam cum horum nervorum capitibus, quo ipsa commovere possit quemcumque nervum, & ope illius quem volucrit mo-

tum in corpore perficere, & viciſſim ſinguli nervi commotiones a corporibus externis acceptas cum anima communicare. Hac poſita diſpoſitione, quæ ſyſtemati Materialiſtarum commodiſſima eſt atque adeo neceſſaria, vel anima eſt adeo magna ut omnia omnium nervorum capita vel ſaltem plura contingat, vel adeo exigua ut unum tantum. Si primum, qui fieri poteſt ut impulſura unum nervum, qui motui unius digiti perficiendo deſtinatus eſt, non ſimul impellat plures alios præſertim vicinos & præſertim illum proximum, qui motum efficit contigui digiti, cum corpus omnino durum, quale eſt anima in hac ſententia, aut totum aut nulla ſui parte moveri neceſſe ſit? Sin autem ſit adeo exigua ut ſingulis momentis unum tantum nervum contingere poſſit, qui ſartatecta ſervare poterimus innumerabilia experimenta quibus compertum ſit, animam eodem tempore impreſſiones recipere a ſenſibus viſionis, auditus, guſtus, & tactus per totum corpus diffuſi? Mitto rationem ab aliis Philoſophis hic uſurpatam, incredibile prorſus videri animam quæ penitus ignorat quo quodque membrum corporis modo pellendum ſit, qui ſpiritus animales ciendi, & per quam viam ex infinitis quas capeſſere poſſunt, in ſe cohibere vim efficientem, qua varios atque multiplices corporis motus perficiat; propterea quod Materialiſtæ latebram aliquam quærunt in certa ab ipſis adoptata lege naturæ, qua omnia fatali neceſſitate fieri putant; quod quale ſit, poſtea videbimus. Mitto, inquam, hanc rationem, eoſque laceſſo ut allatæ ſatisfaciant, & aliquam ſaltem probabilem excogitent animæ materialis in corpore humano collocationem, qua illud ſaltem in ipſorum quoque ſententia adeo neceſſarium ad ſervandam cauſſarum effectricium naturam obtineant, ut anima pellat eos tantum nervos, qui aliquibus tantum membris quadam ex pluribus quæ eſſe poſſunt ratione movendis ſint accommodati, & iidem nervi animam tali modo ſollicitent. Quod cum præſtare nequeant, fateantur neceſſe eſt animæ materialis quæ ope contactus a nervis ſenſationes cogitationeſque recipiat, & eoſdem nervos commoveat, ſyſtema primo quidem intuitu facile videri & explicandis phænomenis accommodatum; ſi tamen penitus & attente expendatur, in inenodabiles incurrere difficultates, ex quibus colligere opus eſt, etiamſi anima ſit materialis, inter corpus & ipſam ſyſtema cauſſarum occaſionalium eſſe admittendum.

38. Sed redeo ad ſupra expoſitas Materialiſtarum rationes, & ajo prius animam eſſe certam ſuarum ſenſationum, atque cogitationum, & harum adminiculo ſuæmet exſiſtentiæ, quam certa ſit exſtare ſubſtantiam extenſam, quam ipſius ideæ repreſentant. Cum vero ob allatas rationes probe cognoſcat ſenſationes cogitationeſque in ſubſtantia extenſa eſſe nequire; quis inde non videt ut minimum conſequi ipſam tam cognoſcere exſtare ſubſtantiam extenſione carentem, quam ſubſtantiam illa donatam? At enim anima in noſtra ſententia cognoſcit non ſolum accidentia ſubſtantiæ extenſæ, cujuſmodi ſunt vires motrices & motus, verum etiam ipſam eſſentiam, nempe ſubſtantiam extenſam tamquam genus, hanc vel illam figuram, hanc vel illam magnitudinem, & hanc vel illam denſitatem tamquam ſubſtantiales differentias §.235. n. 2. Ont. & attributa ſive poſſibilitates ab iiſdem profectas. Sui vero metipſius, ſi ſit ſubſtantia inextenſa, ſola accidentia cognoſcit, nempe ſuas ſenſationes, cogitationes & appetitus, quæ omnia ad hoc pertinent genus in mea quoque ſententia. Ergo anima magis noſcit ſubſtantiam extenſam quam inexten-

tensam. Verum nisi mea me fallit opinio, essentiæ animæ non solum negantem notionem in eo positam, quod extensione careat, verum etiam affirmantem habemus saltem ex aliqua parte. Cum enim vere sit in loco extenso, nec tamen aut occupet spatium extensum ut alia sui parte potentiali alii parti potentiali spatii extensi respondeat, eo quod extensa non est, nec occupet unum tantum punctum inextensum, eo quod ipsa est substantia, & punctum est modus & principium substantiæ, mihi visus sum §. 94. & seq inde me posse colligere ut sit quidem præsens alicui determinato spatio sed tota in singulis ejusdem partibus, cum nullus sit reliquus modus, quo spatio extenso præsens esse queat. Jam vero hæc notio est affirmans & quidem pertinens ad animæ essentiam saltem ex aliqua parte non minus, quam notio extensionis corporum. Ergo animæ essentiam saltem ex parte cognoscimus. Quæ dicta volo præsertim ad eos refutandos Materialistas, qui ex eo quod nullam essentiæ animæ extensione carentis notionem repræsentare nobis possumus, colligere se posse arbitrantur talem animam inter impossibilia numerari oportere. Equidem scio Philosophos hujus generis respondere notionem talis in loco præsentiæ esse unam ex iis ad quas humana ratio pervenire non potest, & inter obscurissima mysteria esse recensendam. Verum puto hoc in loco & in aliis similibus distingui debere rem quæ est, a modo quo est. Id enim quod ex claris perspicuisque principiis elicitur, clarum atque perspicuum est existimandum, etiamsi modum quo esse potest, similiter clara notione non teneamus. Quotusenimquisque ignorat ob hanc caussam clarum esse & evidens ex. g. asymtotum & hyperbolam, tametsi producantur in infinitum, numquam concurrere, quamvis evidenter non cognoscatur modus quo id esse potest; & similiter experientia planum fieri corpus a finita distantia ab aliquo puncto ad nullam transire, tametsi modus quo id perfici possit, maxima versetur in obscuritate? §. 152. n. 2. Ont. Ita rem hic se habere puto. Ex iis tribus quod anima est in corpore, quod in eodem instar extensi corporis diffundi non potest, ut sui partibus aliis in aliis corporis aut cerebri partibus esse queat, quod solum inextensum punctum occupare nequit, mihi posse videor evidenter colligere esse totam in singulis extensæ corporis portionis partibus, tametsi clare non videam qui possit id fieri. Ergo manet essentiæ animæ ajente notione posse nos informari; ut etiam §. 109. n. 4. & seq. ostendi. Ex quo patet falsitas ejus quod a Materialistis objicitur.

39. Verum ad eos hac in re confutandos necesse non est tantum laborem suscipere. Hac enim in disputatione, in qua investigatur, an præter substantiam extensam & materialem sit altera materiæ & extensionis expers, ad partem affirmantem sustinendam, satis est ostendere nobis compertum fieri hanc alteram exstare, sive id obtineamus cognitione essentiæ ejusdem, sive cognitione operationum, quæ ab ipsa eliciuntur, & a substantia extensionem habente elici nequeunt. Hoc vero obtinuimus simul ac hæc duo monstravimus, alterum animam sibi esse conscium suarum sensationum, cogitationum & appetituum; alterum has mutationes in substantia extensa reperiri non posse.

40. Sed ut revertar ad Metryum, a quo paulisper digressus sum, ad rationem a similitudine belluas inter & homines petitam, primum ajo talem esse inter animas belluarum & hominum differentiam, ut §. 35. n. 3. jam demonstrarim, quamvis cerebrum & alia nonnullarum bestiarum organa sint lo-

cutioni accommodata, & revera nonnullas efferant voces, tamen has arte hominum non posse ita erudiri, ut rationem quæ ab omnibus fere hominibus sensim acquiritur, & respondentem loquendi usum, adipisci queant. Tum adverto futurum esse ut quidpiam momenti sit hac in ratione, si simul vera forent, aut saltem verosimilia hæc duo, veras in anima belluarum sensationes cognitioneque cum sensationibus necessario conjunctas inveniri, & nihilominus easdem esse prorsus corporeas. Nunc vero cum jam ostenderim in hypothesi quod veræ sensationes sint in belluis, quemadmodum omnia signa testantur, animam ab extensa & materiali substantia secretam iisdem concedi oportere; quo pacto & jure Metryus ex eo quod in belluis est unum tantum materiale principium, colligit aliud non esse in hominibus statuendum?

41. Illud vero de aliquibus membris, quæ animali mortuo, aut capite abscisso, suum tuentur motum per aliquod tempus, parum habet momenti contra nos, qui tum non affirmamus omnes omnium corporis artuum motus imperio animæ subjacere, sed aliquos tantum; tum negamus eos motus esse conjunctos cum sensatione, postquam caput avulsum est, in maxima parte belluarum, quam sensationem in hisce membris inesse nulla profecto ratione Metryus suadere potest. Nam si confugiat ad insecta quorum partes amputatæ paulatim in totidem ejusdem speciei insecta & idcirco cum iisdem sensationibus transformantur; respondeo, sicuti horum insectorum organicum corpus non est unum tantum, sed instar plantarum ex pluribus minoribus similiter formatis at involutis corporibus est coalitum, ita in singulis capitibus totidem animas extensionis expertes & sensationis capaces reperiri, unam in capite principali jam evoluto, alias in capitibus adhuc involutis; ex quo fit, ut quod attinet ad primam, nervi & spiritus sint evoluti & in promtu, quo illa & imperium habeat in corpus, & a corpore sensationes recipiat; minime vero quod attinet ad alias, quæ & movere suum quæque corpus, & ab eodem impressiones non possunt recipere, nisi postquam evolutione ipsarum organa ad id necessaria fuerint præparata; id quod contingit in frustis dissecti animalis, ut planum faciemus in consequentibus.

42. Quæ cum ita sint, non video qua de caussa tam magnificis verbis glorietur se certis experimentis rem confecisse adversus debilia & infirma Metaphysicæ argumenta, qualia mihi non videntur, quæ ex meis evidentibus certisque principiis depromsi. Verum hoc misso veniamus ad alterum Materialismi defensorem, ad Auctorem libri, qui inscribitur *Poesies Diverses a Berlin chez Chretien Frederic Vols.* 1760. Is enim in epistola 18 ad Marech-Keith inscripta *Imitation du Troisieme Livre de Lucrece sur les vaines terreurs de la mort & les frageurs d' une autre vie*, plura congerit ad id persuadendum animam a materia & a corpore nequaquam discerni, & cum eodem perire. Primum ducit argumentum a bonitate & providentia Dei, quem ut Patrem summe bonum dedecet tamquam tyrannum diris æternisque tormentis afficere res a se creatas ob vitia, quæ ab illo ducunt originem. Ipsum audiamus auctorem.

Qu' aurais-je à redouter au Séjour éternel?
Quoi, le Dieu que j' adore est-ce un tiran cruel?
Serais-je après ma mort l' innocente victime
De l' Auteur, dont je tiens ce souffle qui m' anime,
Et ces tendres desir des sens voluptueux?

Si

Si l' esprit des mortels sortit des mains des Dieux,
Se peut-il que ces Dieux punissent leurs ovrage
Des imperfections qui furent son partage?
Non, ma raison répugne à de tels sentimens.
Un pere, dont le coeur est tendre à ses enfans,
Serait-il parmi nous assez dur e bisarre,
Pour accabler son fils d' un châtiment barbar,
Si ce malbeureux fruit de sa fécondité
Le choquait en naissant par sa diformité?

Secundum argumentum depromit ex eo, quod ex altera parte Deus nullis passionibus iræ & furoris perturbatur, & ex altera Deus, utpote omnipotens & inviolabilis, vere a nemine offendi potest, nec idcirco punire debet offensas, quas non accipit.

Tertium est illud pervulgatum animæ, quæ omnibus corporis mutationibus obnoxia est.

Quartum in eo positum est, quod si anima foret perfectioris & veluti divinæ naturæ, numquam se his infirmi corporis carceribus inclusisset; quod argumentum sic ab auctore effertur.

Mais l' ame qu' on nous dit de nature suprême,
Quoit cet être immortel, presque l' egal des Dieux,
Quitterait-il pour nous l' hereux séjour des cieux?
Daignerait-il s' unir à ce corp peu durable,
A la materie ingrat, abjecte, e perissable,
Epier les momens des plaisirs de Vénus,
Se tenir en vedette, animer le fœtus
Et s' enfermer neuf mois dans le sein de la mere,
Dans un cachot obscur prisonnier volontaire,
Pour s' exposer aprés a tous les coups du sort,
Souffrir le chaud, le froid, le douleur & la mort?

In quinto argumento auctor magis explicat quod in tertio indicaverat, & ex animæ stupore ac delirio in maximis febribus, aut in ebrietate, & ex reditu ad pristinum statum simul ac vel missione sanguinis, vel edormitione corpus primæ sanitati restitutum est, colligit animam a corpore nequaquam esse discretam.

Sextum his versibus concluditur.

S' il était dégagé de leurs fines membranes,
Comment pourrait il voir, sentir, toucher, ouir,
Sans memoir penser, craindre ou se réjouir?
Cet atome immortel, sans materie solide,
Privé de tous les sens, n' est qu' un être stupide.

Tandem ex systemate animæ immaterialis consequens esse ait eam corpus præcessisse, quod falsum est, quia rerum antea perceptarum reminisceremur; id quod experientiæ adversatur. Denique concludit animam post corporis mortem non exstituram, quemadmodum non exstitit in tota æternitate, quæ ortum corporis antevertit: nisi velimus loco alius argumenti ponere, quod versus finem statuit hanc esse universæ naturæ legem, ut omnia in varias abeant formas, & perpetuo mutentur. Tantum vero abest ut putet hoc systema esse

vir-

virtutis inimicum, ut affirmare non dubitet in contrario solum adumbratas & commentitias & sui boni ac commodi labe infectas virtutes obtineri, in hoc autem veras, & solidas hisce versibus.

Allez, mortels craintifs, que le feux éternels
Empêchent d' assouvir vos desirs criminels,
Vos austeres vertus n' en ont que l' apparence.
Ma nous qui renonçons à toute récompense,
Nous qui ne croyons point vos éternels tourmens,
L' intérêt n' a jamais souillé nos sentimens;
Le bien du genre humain, la vertû nous anime
L' amour seul du devoir nous a fait fuir le crime.

43. Hic non moror eas rationes quæ ad animæ pertinent immortalitatem, aut Dei providentiam atque naturam, propterea quod mihi integrum servo de primis in sequenti disputatione, de secundis in Theologia Naturali; nec illas quæ quamvis ad rem præsentem attineant, tamen in superioribus jam refutatæ fuerunt, & venio ad eas quibus in antecessum non fecimus satis. Cum in septimo argumento statuat animam debuisse præcedere corpus si foret immaterialis, primum ajo falsum id esse in sententia creationis corporum & animarum, quam in Theologia Naturali evidenter colligam ex eo, quod animæ & corpora esse a se non potuerunt; quo in eventu ex eo quod sit a corpore distincta, non bene deducitur eam corpus præcessisse, eo quod Ens a se illam in primo formationis corporis momento creare potest; ut creare volunt nostrates Theologi §. 110. n. 4.. Deinde jam supra monstravimus animam, etiamsi materialis foret, esse unicam tantum substantiam sive unum tantum primitivum corpusculum, & ab organicis corporis partibus, quæ ex multis corpusculis coalescunt, esse distinctam. Ergo etiam hæc debuit antevertere corporis formationem, quia primitiva corpuscula ab initio creata sunt in vera Catholicorum sententia, vel in falsa quorumdam Materialistarum omnia ab æterno fuere. Nihilotamenminus cum in corpore includitur, non recordatur eorum, quæ antea illi contigere; nec mirum videri debet, cum fieri possit ut vel nullas tunc habuerit sensationes cogitationesque, eoquia sunt animæ accidentia, vel si etiam habuisset, non recordetur, ut contigisse vidimus iis hominibus qui in sylvis educati fuerunt §. 35. n. 2. Quod idem respondeo ad dictum auctoris argumentum quod pertinet ad animam immaterialem. Octavum argumentum aliquam haberet vim, si anima ex partibus inter se idonea quadam ratione conjunctis coalescere quiret; quia tunc quemadmodum exstare incipit, cum humani corporis moleculæ tam mirabili modo connectuntur, ita desineret exstare simul ac hæc artificiosa compages dissolvitur. Nunc vero cum eadem debeat esse una prorsus individua substantia, etiam in hypothesi quod sit materialis, consequens est eam habuisse quidem initium, quia quod est mutationibus obnoxium, a se esse non potest, ut in Theologia monstrabimus; non vero in corporis partium dissolutione, a qua minime pendet, eam dissolvi & interire. Ex quibus manet nihil esse in allata ratione momenti. Aliis argumentis, eoquod cum animæ immortalitate & cum Divina Providentia necessitudinem habent, infra in Theol. Nat. ut jam sum pollicitus, satisfaciemus.

44. Nunc alias proponemus Materialistarum rationes, & pro virili parte re-

refutare conabimur. Citatus Deneslus l. I. *Examen du Materialisme* cap. 12. hæc sibi objicit. „ Si anima foret substantia a corpore distincta, & ipsa per se sensationes, cogitationesque & appetitus haberet, opus non fuisset organis corporis adeo artificiose contextis & implicatis, ut innumerabilia sint in uno oculo membra & miro inter ipsa modo conjuncta, quibus visio perficitur. Ut quid enim tanto molimine est opus? Num substantia immaterialis & intelligens ex sui natura non potest minori sumtu operari? Si est una mens, quæ percipit, quæ noscit, quæ distinguit objecta, quem ad finem tam mirabilis oculi constructio comparata est? Quam ob caussam intelligentia per tantas ambages exsequi debet operationem adeo simplicem, cujus principium est in ipsa? Quamobrem aut in hac mirabili corporis humani compage est sentiendi & intelligendi principium, aut si hoc principium est in una immateriali substantia, auctor naturæ magnam eamdemque valde inutilem molestiam in tam artificiose contexto corpore elaborando suscepit adversus illud axioma; *frustra fit per plura quod per pauciora commodius fieri potest* „.

45. Ut his satisfaciam, primum adverto cum laudato auctore, unde hæc excerpsimus, Deo, qui uno & simplicissimo voluntatis actu omnia creat, conservat, perficit & movet, nihil esse difficile, & omnia maxima juxta ac minima esse æque facilia. Unde Materialistæ intelligere possunt, quæ ratio ducta a minori numero instrumentorum, quæ ad aliquid efficiendum sunt necessaria, pro artificibus finitæ virtutis valet, eam non convenire in artificem infinitæ potentiæ. Deinde cum Deus ex altera parte statuerit inter animam & corpus talem esse necessitudinem & veluti attractionis legem, ut positis quibusdam in corpore mutationibus quasdam in anima sensationes cogitationesque excitaret, & vicissim positis quibusdam in anima cogitationibus quasdam in corporis organis mutationes efficeret; & ex altera voluerit ut variæ & valde multiplices forent in eadem anima sensationes & cogitationes: quamplurima debuit in corpore formare instrumenta eademque variis & miris modis contexta, ut variæ & multiplices in corpore mutationes ex mechanicæ legibus fieri possent, iisdemque singulis totidem diversæ in anima sensationes & cogitationes responderent. Nam positis iisdem caussis poni debent iidem effectus, & positis diversis diversi. Quamvis autem aut mutationes corporis non sint caussæ efficientes sensationum animæ, aut cogitationes animæ non sint corporis mutationum; tamen voluit ut perinde se haberent, ac si forent §. 250. Log.; quemadmodum etiam contingit in simili lege attractionis inter plura corpora: quia tametsi primum corpus non sit caussa in se cohibens vim secundi trahendi; tamen vis a Deo genita in secundo massæ primi respondet §. 303. Ont. perinde, ac si hæc duo corpora vim caussarum efficientium haberent. Et revera ne ab exemplo ab Adversariis allato discedamus, quantæ sunt in una visione varietates, sive attendas ad colores primigenios & ad illos innumerabiles, qui ab eorum commixtione pendent, sive ad distantiam atque viciniam, sive ad copiam lucis aut ad inopiam, sive ad situm in quo corpora sub oculos incurrentia reperiuntur, summum, imum, dexterum, sinistrum, quibus omnibus totidem musculi destinati sunt, sive ad alia plurima quæ hic enumerare necesse non est? Qui summam Dei sapientiam in oculi formatione admirari desiderat, adeat Niewentbitum in Opere inscripto *L'Existens de Dieu*, ubi de hoc sensu disputat. Si hæc animo attente revolve-

verint Materialistæ, mirari desinent tot esse & tanta arte conjuncta in humano corpore membra, quorum ope sensationes perfici possint, tametsi eædem in una simplici & inextensa animæ substantia reperiantur.

46. At enim aliquæ sensationes sunt compositæ, ut est visio florentis agri, quæ ex pluribus singulorum florum, herbarum, arborum aliorumque particularibus visionibus componuntur. Ergo animam postulant constantem ex partibus, in quarum singulis eædem reperiantur. Huic Materialistarum objecto quidam respondent ex pluribus particularibus animæ visionibus exsistere unam eamque simplicem visionem, quæ in partes resolvi nequit, sed aut tota in anima reperitur, aut tota interit. Verum mihi nec necessarium videtur, nec utile ad hanc solvendæ difficultatis rationem confugere, propterea quod & est alia verisimilior solutio, & alioquin plures eodem tempore distinctæ perceptiones sensationesque in anima ponendæ sunt. Nam qui ex. g. eodem instanti sentit dolorem ex acu pungente, & saporem ex cibo, quem comedit, duas habet sensationes prorsus distinctas, quæ in unam coalescere nequeunt, alteram doloris, alteram voluptatis, ut etiam docui §. 46. num. 5. Qui etiam relationes noscit, ut similitudinis, æqualitatis, caussæ & similium, plures simul habet diversas & plurium diversarum rerum notiones. Cujus evidens ratio ducitur ex natura ideæ, quæ cum sit naturalis objecti imago, eadem numero plura simul & discrepantia objecta repræsentare non potest. Qua de re consule quæ §. cit. enucleate disputavi. Quamobrem posita Materialistarum difficultas, quod attinet ad has sensationes & ideas, locum habebit. Unde ut veram afferam solutionem, adverto animam non esse simplicem & inextensam instar puncti, quia punctum non est substantia, sed purus substantiæ modus §. 83. sed esse substantiam, cujus quidem notio negans in carentia extensionis posita est, sed affirmans & positiva qualis esse debet, in aliquo positivo est, & præsertim in eo modo, quo est in loco, quem supra declaravimus, & in potentia suscipiendi vires sentiendi, cogitandi, atque appetendi. Unde mirum non est si plures sensationes & cognitiones eodem tempore suscipere possit. Immo tantum abest ut inde colligatur eam esse substantiam extensam, ut potius effici possit extensione carere; propterea quod jam ex altera parte vidimus in Ontologia unam tantum vim motricem singulis momentis in extensa substantia unumque rectilineum motum esse quire §. 302. Ont. & ex altera num. 12. jam observavimus contrarias sensationes eodem tempore in anima exstare. Quamobrem illud saltem efficitur ex eo quod plures sensationes cogitationesque in anima simul sunt, non posse concludi aut partes distinctione reali maxima secretas, aut illas potentiales quæ postulant extensionem, in ea reperiri.

47. Cl. Hayerus tomo 2. operis supracitati plura excerpit objecta ex recentibus libris, quales sunt *Lettres Philosoph. de M. de Voltaire tom. 4. de ses Œuvres*, *Nouvelle Liberté de penser*, *Pneumatologia Clerici Oper. Philos. tom. 2.*, *l'Ame & son immortalité*, a quibus data opera refutandis nunc abstinemus, eoquod iisdem, cum alios refutaremus Materialistas, jam satisfecimus. Operæ tamen pretium arbitror illud refutare, quod laudatus auctor proponit pag. 157. propterea quod eo spectat ut rationes a simplicitate operationum animæ ductas infirmet. Est autem hujusmodi. Prædicatum prorsus individuum cujus dimidia, tertia, quarta pars ne cogitando quidem fingi potest, dari potest etiam in materia, quod est exsistentia, cujus certe dimidium quærere absurdum est.

Er-

Ergo ratio a simplicitate operationum animæ ducta non evincit eam esse inextensam, partibusque carere.

48. Ut responsionem eruamus ex nostris principiis, advertendum est materiæ exsistentiam aliud non esse quam materiam exsistentem, sive quatenus exsistit, quia exsistentia non est substantia, quæ esse possit per se, sed affectio substantiæ. Hoc posito materia exsistens ita est reipsa una & individua, ut potentia tamen sit multiplex & dividua, quatenus exstare potest alia materia sive substantia materialis, quæ sit illius pars dimidia, tertia, quarta &c. Similiter id quod est in materia, cujusmodi est vis motrix aut motus, quamvis materia non sit, nec aliquam habeat extensionem materiæ propriam aut figuram, & simul sit reipsa aliquid unum & individuum, uti §. 291. & seq. Ont. docuimus, tamen potentia ita est multiplex & dividuum, ut aut in eadem materiali substantia, aut in alia dimidium illius, tertia pars, quarta &c. haberi possint §. 117. 118. At quidam animæ actus, uti est perceptio convenientiæ aut non convenientiæ subjectum inter & prædicatuum, sunt aliquod ita unum & individuum etiam potentia, ut nec in eadem substantia quæ illos elicit, nec in alia quamtumvis minori illorum dimidia pars, tertia, quarta &c. ne cogitatione quidem obtineri possint. In hoc posita est illa efficax ratio quam num. 16. astrinximus, quare putamus evidenter confici substantiam extensam & materialem, quamtumvis exigua sit, sentire & cogitare non posse. Hanc autem non infirmat proposita difficultas, ut hic docemus. Ergo manet evidenter confectum fuisse, in substantiam materialem & extensam sensationes cogitationesque non convenire.

49. Nec abs re esse puto integrum afferre locum unius ex commemoratis Scriptoribus, ut videamus quibus armis utantur in definiendis tam magni momenti quæstionibus. Comperiemus autem ea non esse posita in gravitate rationum, sed in unius stili elegantia, acumine & vi, quibus si in defensione justæ caussæ abusi fuissent, nobiles de impietate triumphos egissent. Cum vero ad patrocinium impiarum opinionum contulerint, non paucas in tota Europa strages ediderunt apud illos, qui se totos eruditioni dedentes momenta rationum in hisce rebus solum attendenda expendere nequeunt. Est autem hic locus in Encyclopedia art. *Ame*, in quo auctor litem quæ fuit inter Lochium putantem materiam posse cogitare, & inter Stillingflectum id negantem, primo adjudicat, si attendamus ad rationum momenta, quas ita exponit. *Je suis corps, & je pense; je n'en sai pas davantage. Si je ne consulte, que mes foibles lumieres, irai-je attribuer a une cause inconnue ce que je puis si aisément attribuer a la seule cause seconde que je connois un peu? Jei tous les Philosophes de l'école m'arrêtent en argumentant, & disent: il n'y a dans le corps que de l'étendue, & de la solidité, & il ne peut y avoir que du mouvement, & de la figure: or du mouvement, de la figure, de l'étendue, & de la solidité ne peuvent fuire de la pensée; donc l'ame ne peut pas être matiere. Tout ce grande raisonnement répetée tant de fois se réduit uniquement à ceci: je ne connois que très-peu de chose de la matiere, j'en divine imperfaitemente quelques proprietés; or je ne sai point du tout si ces proprietés pouvent être jointes à la pensée; donc parceque je ne sai rien du tout, j'assûre positivement que la matiere ne sauroit penser. Voilà nettement la maniere de raisonner de l'école. M. Loche diroit avec simplicite a ces Messieurs: confessez que*

vous êtes aussi ignorans que moi ; votre imagination & la mienne ne peuvent concevoir comment un corps a des idées, & comprenez-vous mieux comment une substance telle qu' elle soit, a des idées? Vous ne concevez ni la matiere, ni l' esprit, comment osez-vous assûrer quelque chose? Que vous importe que l' ame soit un de ces êtres incomprehensibles qu' on appelle matiere, ou un de ces êtres incompréhensibles qu' on appelle esprit? Quoi! Dieu le Createur de tout ne peut-il pas éterniser, ou dneantir votre ame à son gré, qu lle que soit sa substance? Le superstitieus vient à son tour, & dit qu' il faut brûler pour le bien de leurs ames ceux qui soupçonnent, qu' on peut penser avec la seule aide du corps; mais que diroit-il, si c' étoit lui-meme qui fût coupable d' irreligion? En effet quel est l' homme qui oserà assûrer sans une impieté absurde, qu' il est impossible au Createur de donner a la matiere la pensée & le sentiment? Voyez, je vous prie, à quel embarras vous êtes reduits, vous qui bornez ainsi la puissance du Createur. Dans ce raissonnement je vois l' homme d' esprit, & nullement le metaphysicien. Quæ ultima verba sunt auctoris articuli, qui sic merito carpit hujus auctorem ratiocinii, quique ad ostendendam impossibilitatem cogitationis in materia etiam auxilio divinæ potentiæ, quæ sola possibilia facere potest, validissimam quidem contorquet rationem, ductam ex intimo sensu, quo constat substantiam in nobis cogitantem esse unam tantum eamque individuam substantiam, sed eo modo, quem Hayerum aliosque in ea contorquenda adhibuisse vidimus, quique nullam habet vim in vera simplicis & individuæ cujuslibet substantiæ extensæ sententia, nisi hujus telum rationis eo pacto, quo supra nos fecimus, contorqueatur. Ceterum cum omnibus hujus argumenti, quod auctor e Lochio depromsit, partibus jam in antecessum cumulate satisfecerimus, hic aliud non addimus, & solum malæ fidei carpimus auctorem, qui cum apud plures Philosophos dictam rationem vere ajentem & positivam legere potuerit, solis negantibus rationibus scholam niti affirmare non dubitaverit; idque in gratiam eorum, qui ex Philosophicis libris eos tantum manibus terunt, qui ab hoc auctore typis editi sunt, & a paucis aliis ejusdem furfuris, eosdemque solum magnifaciunt, tametsi docti viri jam observarint eosdem scriptores eruditioni & humanioribus litteris deditos in abdita Metaphysicæ aut Physicæ mysteria non penetrasse; meliusque sibi & aliis consulturos fuisse, si in ea solum arte, in qua excellebant, se exercuissent.

50. Restarent examinandæ rationes eorum Materialistarum, qui unam tantum esse volunt in mundo substantiam, cujus attributa sint extensio & cogitatio. Verum mihi de iis integrum servo in Theologia Naturali, quemadmodum & de iis, qui contendunt animas a divina substantia fuisse decerptas, atque ad eamdem remeare, cumque illa denuo misceri & confundi. Superesset quoque examinanda opinio Rudigeri, quæ Genuensi verosimilis videtur; sed de hac vide quæ infra disputamus §. 157. n. 8. & 9,

§. 124. SCHOLION X.

Mirum est adeo varia esse ingenia hominum, ut cum veteri & recenti memoria multi inficiati sint aliam esse substantiam præter materialem, ex altera parte exorti fuerint alii, qui unam substantiam immaterialem & inextensam agnoverint. Hos inter celebre est Bercheley nomen, qui multa congessit

ad-

adversus corporum exsistentiam in libro inscripto *Dialogues entre Hilas & Philonous*; Cl. Alembertus aliqua ex libro excerpsit, deque iisdem suam tulit sententiam in libro inscripto *Essai sur l' Elemens de Philosophie, ou sur les Principes des connoissances humaines*, qui exstat tom. 4. illorum ipsius operum quæ inscribuntur *Melanges de Litterature, d' Histoire, & de Philosophie. a Amsterdam* 1759.; is hæc scribit pag. 51. „ Frequentissima & simplicissima observatio nobis est usui in nostro corpore internoscendo ab iis, quibus circumdamur. Cum nostri corporis pars altera alteram contingit, duplicem experimur sensationem; cum vero aliud corpus, simplicem. Id quod satis est ut universe recognoscamus discrimen inter nostrum corpus & alienum. Metaphysicus hanc dilatans & evolvens observationem, primæ trium quæstionum circa corporum exsistentiam satisfaciet. Verum conclusio quam ex sensationibus ducit ad comprobandam corporum exsistentiam, est ne plane evidenter illata? Hac de re digladiantur inter se Philosophi, tametsi omnibus in eo conveniat nos ulla ratione non posse judicium sustinere circa corporum exsistentiam. Qui nostras sensationes loco habent demonstrationis, contendunt futurum esse ut Deus nos decipiat, si nostri sensus nobis commentitias substantias repræsentarent; sed ita concludentes rationem, in duo incurrunt absurda, quorum alterum est monstrare veritatem directam & primitivam adminiculo reflexæ, exsistentiam corporum adminiculo exsistentiæ Dei; cum e contrario in exsistentia corporum sint investigandæ rationes pro exsistentia Dei solidiores & illæ, quæ omnibus Philosophicis scholis communiter arriserunt: alterum est in animum inducere se posse ratiocinio persuadere Philosophum obstinatum, fore ut Deus nos fallat, si corpora non constarent. Ego quidem (is inquiet) tecum fateor exstare primum ens, sed ajo illi eidem injuriam a te fieri, si tuos ipsi errores ascribis. Quo noscamus hujusmodi errores, eodem opus non est, satis est scire tantam esse illius potentiam, ut in nobis sensationes possit excitare, tametsi extra nos nihil sit, quod in iis excitandis sit præsto. Tuum erit reflexionis adeo simplicis præsidio ad mei exemplum præcipitem sustinere assensum. Fateris nostras sensationes nobis sæpe facere fucum; cur non semper facient? Nonne quæ intensio, consonantia, commisturæ, & involuntarii affectus ab exsistentia sensationis ad ipsum objectum te sensim sine sensu trahunt, eadem sæpius in somnis expertus sum? Quam ab caussam vita non erit aliud, quam somnus magis continuatus magisque profundus, in quo solum inerit illud ingratum commodum, quod eumdem interdum recognoscamus. Cum vero ex altera parte considero mearum objectas res sensationum, quæ non occurrunt contradictoria in eorumdem notione? Duæ substantiæ ita, ut spiritus & materia, disjunctæ, quod attinet ad substantiam atque naturam, intervallo infinito, possunt ne altera in altera operari, quemadmodum necesse est ad eum finem, ut prima secundæ notione informetur? Ex altera autem quid est hæc materia, cujus adeo claram notionem ope sensuum in me excitari contendis? Quid sunt elementa aut primæ corporum moleculæ? Respondere non potes esse corpora, quia constarent elementis, ideoque non forent, quod quærimus. Quod si corpora non sunt, qui percipis, ex conjunctione non materialium elementorum posse existere corpora, quæ materiam appellas? Numquid ajes corpus esse ex aliis coalitum usque in infinitum? Sed nonne est commentitium ens compositum, cujus partes componentes numquam in-

inveniri queunt, aut potius nusquam reipsa sunt, quoniam poni non possunt exstare sola, & suam acceptam ferunt exsistentiam conjunctioni cum aliis entibus, quibus similiter eam largiuntur? Potiusquam concoquam tot contradictoria, mihi verius est statuere materiam non esse nisi apparentem, & sensuum deceptionem, nihilque extra nos esse simile eorum, quæ sensus repræsentant. Quamobrem in hac rerum universitate non recognosco nisi unam substantiæ speciem, & aliud nihil quam Deum & aliquas alias cogitantes substantias, & fortasse quam Deum & me. Optima respondendi ratio, quam huic Sceptico tam aperto dare possumus, est ea quam Diogenes Zenoni dedit; oportet aut hominem cum sua bona fide dimittere, aut pati eum vivere & sermocinari cum phantasmatibus ... Sola vero probabilis respondendi ratio, quam ejusdem objectis opponere quimus, hæc est. Iidem effectus ab iisdem caussis oriuntur; jam vero si ponamus exstare corpora, sensationes quas in nobis excitarent, non essent nec vividiores, nec magis ratæ & constantes, nec æquabiliores præ iis, quibus afficimur. Ergo ponere debemus corpora exstare. Hucusque ratio pervenire potest, nec ultra procedendum. Fallaciæ somniorum procul dubio ita efficaciter pulsant perinde ac si objecta corpora reipsa exstarent. Sed errorem deprehendimus simul ac experrecti sumus, & cognoscimus quod nobis videbamur tangere & videre, nullam habere necessitudinem nec cum loco in quo sumus, nec cum eo, in quo antea nos fuisse reminiscimur. Ergo vigiliam a somno internoscimus hac continuatione actionum, quarum aliæ alias consequuntur, & aliæ aliarum successionis occasio sunt, quæque formant catenam, quam somnia frangunt aut solvunt, & in qua facile lacunas observamus, quas somnia fecerunt. His nixi principiis distinguere possumus in rebus objectis exsistentiam realem a commentitia,,.

2. Hactenus Alembertus, cui defendenti sententiam contrariam illi quam in Logica §. 233. num. *6.* & seq. suadere conatus sum, ut satisfaciam, sic rationem concludo. Siquis in communibus vulgi opinionibus conquiescat, & in res valde abstractas animum acriter non intendat, tam certus est de sui & aliorum corporum exsistentia, ut ne minimum quidem de illa dubitare se posse arbitretur. Quamobrem huic hominum generi necessaria non est alia ratio, qua confirmentur in ea sententia, quam certissimam putant. Si quis vero res a sensibus remotas scrutatus in eam veniat cognitionem quod divina potentia fieri possit, ut corporum sensationes in anima excitentur, tametsi nulla sint corpora, quibus eædem acceptæ ferendæ sint; is potest subdubitare utrum id quod fieri potest, revera fiat, atque ut hoc dubium depellat, cognoscere debet rationem aliquam, cur id quod usuvenire quit, revera non usuveniat. Quæ ratio talis esse debet, ut efficiat id quod absolute aliter esse quit, sub aliqua tamen conditione aliter esse non posse. Nam ut ostendi in Log. §. 233. n. 18. nostra cognitio certa esse non potest de aliqua re, nisi percipiamus rem aliter esse nequire; contraquam contingit in divina, & si homines vulgi certi sunt de corporum exsistentia, simul persuasi sunt non posse fieri ut quod contingunt, vident, audiunt ceterisque sensibus complectuntur, reipsa non exstet. Ad hoc igitur dubium de medio tollendum aliam non superesse rationem præter eam quæ a divina bonitate depromitur, pluribus in Logica §. citato docuimus, propterea quod posita summa Dei bonitate, fieri non posse monstravimus ut in hac rerum universitate

cor-

corpora non exſtent. Quod vero attinet ad primum abſurdum, prius adverto ex eo tantum quod quiſque metaphyſice certus eſt de ſui exſiſtentia, duci demonſtrationem adeo certam exſiſtentiæ entis a ſe & ſumme perfecti, ut quiſque pariter metaphyſica certitudine teneat Ens hujuſmodi exſtare a ſe ipſo diſtinctum, quemadmodum in Log. §. 95. & ſeq. & in Ont. §. 200. oſtendimus, & in Logica quoque §. 233. num. 14. obſervavimus. Quamobrem cognitio exſiſtentiæ corporum neceſſaria non eſt ad eliciendas illas divinæ exſiſtentiæ rationes, quæ apud quemlibet ſanæ mentis rem cogere & perſuadere debeant. Quo cadit prima pars difficultatis Alemberti. Venio ad alteram partem, & ajo corporum exſiſtentiam eſſe quidem veritatem primitivam, ſed non adeo certam ſi prudens illud dubium nixum in poſſibilitate contrarii eventus ſuboriatur ob rationes citato Log. loco explicatas. Abſurdum autem non eſt dubium reflexum depellere ratione pariter reflexa, quæ a divina bonitate deducitur. Nec enim minus perſpicuum eſt, quod proxime cognoſcitur ita eſſe ut aliter eſſe nequire noſcatur, quemadmodum ſunt prima principia, quam illud quod in quolibet remoto gradu a principiis colligatur, idque adminiculo illius mei ſyllogiſmorum principii §. 53. Log., quod ſi evidens ſit A eſſe in C, C eſſe in D, D eſſe in F &c. & hoc ultimum F eſſe in B, ſimiliter evidens eſt A eſſe in B.

3. Quod vero pertinet ad ſecundum, jam dicto Logicæ loco præoccupavi difficultates, quas ex perſona Berkleyi Alembertus proponit. Nam oſtendi Deum excitantem in nobis clariſſimas corporum perinde ac ſi exſiſterent, ſenſationes, nos fallere, cum nobis aliud non ſuppeditarit medium, quo in cognitionem erroris venire poſſemus; & revera tale medium nobis non eſſe præſto docui, cum agitur de corporum exſiſtentia. Nam quod unum ex iis mediis quæ ibi numeravimus, hic locum habere poſſet, nempe ratio, qua conficeretur corpora exſtare non poſſe, eidem locum eſſe non poſſe expoſitione mei circa continuum extenſum ſyſtematis jam docui. Nam ſi vera foret communis de partibus in extenſo reipſa diſtinctis ſententia, manifeſta forent illa contradictoria, quæ ex Berkleyo deducit Alembertus, quemadmodum planum feci in Ontologia §. 251. num. 8. adverſus Peripateticos alioſque Philoſophos, quo reſponderem Lochio putanti & ſimili ratione docenti obſcuriſſimam eſſe materiæ notionem. Cum vero in extenſo vere continuo, uti eſt primitivum corpuſculum, nullas eſſe partes reipſa diſtinctas §. 78. Ont. & extenſionis ut pote primariæ corporum eſſentiæ §. 203. Ont. nullam eſſe interiorem in partibus rationem invicte docuerim ibid. §. 212. manifeſte conſequitur nulla eſſe contradictoria Berkleyi, quemadmodum nulla eſſe Lochiana §. 251. n. 8. Ont. monſtravimus. Et ſane primitiva corpuſcula ſunt vera corporum, quæ in ſenſus incurrunt, elementa, utpote prima, & nihilominus extenſa, de quo vide quæ §. 155. n. 33. Ont. litteris conſignavi. Ex his autem magis magiſque comprobatur quod §. 157. n. 13. & ſeq. Ont. notavi, ablegatis ab extenſo continuo partibus reipſa diſtinctis totum hunc de continuo extenſo locum in clariſſima poni luce, & argumenta in contraria ſententia prorſus inextricabilia mira facilitate diſſolvi. Quod ea de cauſſa animadvertere volui ut omnes intelligant ſyſtema quod a me propugnatur, quamquam multos habeat ab ipſo diſſentientes Philoſophos, tamen pro certo eſſe exiſtimandum, quia & rationibus adeo perſpicuis confirmatur, & eo poſito omnia mirum in modum

dum cohærent, & præcipua Philosophiæ capita nullo negotio explicantur. Id quod manu quasi tetigimus tum in tribus Physicæ Generalis voluminibus, in duobus de Magnete, & in Logicis atque Ontologicis, tum in hac de animæ natura & proprietatibus disputatione, in qua tractanda & definienda quanto nobis usui fuerint, quæ de continuo, deque essentia, attributis & accidentibus corporis ibidem statuimus, omnes qui hactenus exposita legerint, viderunt, & lecturi quæ restant exponenda, magis magisque videbunt.

4. Sed revertor ad Alembertum, & ajo primam ab ipso expositam a conjunctione animam inter & corpus petitam rationem maximam habere vim, si cum Peripateticis aliisque Philosophis necessarium esse poneremus, ut animæ & corpus tamquam caussæ efficientes in se vicissim operarentur; cum vero jam ostenderim tantum abesse, ut duæ substantiæ toto cœlo distantes has mutuas efficientes actiones exerceant, ut nec inter ipsas substantias corporeas prorsus similes tale vinculum intercedere possit; quænam esse potest difficultas in eo commercio, in quo aliud ponitur nihil, quam Deum occasione motuum corporis excitare quasdam cognitiones & appetitus in anima, & occasione cognitionum & appetituum animæ quosdam in corpore motus efficere? Qua de re vide quæ §. superiori num. *36*. disputavimus & infra enucleate disputaturi sumus. Nullis ergo rationibus colligere possumus substantias corporeas esse impossibiles, & alioquin in Logica §. 222. & seq. esse possibile docuimus id cujus claram habemus notionem, cujusmodi est extensionis notio, quam ope sensuum haurimus. Ita fit ut ope rationis in cognitionem venire non possimus corpora nequaquam exstare, & idcirco ob ea quæ supra conclusimus, debere exsistere, ne in illud absurdum quod Deus nos fallat, incurramus.

5. Ceterum ex his & ex iis quæ in Log. §. 233. num. 14. & seq. disseruimus, patet probabilem responsionem, quæ ad argumenta Berkeleyi dari potest, non esse illam unam, quam Alembertus obtrudit, quæque minime apta est Immaterialistis persuadendis, si Auctor contendat, quemadmodum facit paulo post pag. 57. & 58., ex altera parte notionem extensionis in partibus contiguis esse positam, & ex altera nos pervenire non posse ad elementa materiæ, omni perceptioni primitivæ, unicæ & elementari unum & simplex objectum propositum esse oportere, nobis pariter esse impossibile percipere, quomodo aut conjunctio idearum simplicium numero finito aut infinito perceptionem compositam gignant, aut ens compositum, qualis est materia, ex simplicibus constet, uno verbo sensationem, qua extensionem cognoscimus, esse incomprehensibilem juxta ac extensionem ipsam, atque futurum, ut essentia materiæ ac modus, quo ejusdem formatur notio, in tenebris semper versetur. Nam si hæc adeo ad speciem contradictoria ut materia & ejusdem notio ex partibus simplicibus constare debeant, & simul constare non possint, Immaterialistis concedat, næ hi certe probabilem habebunt caussam negandi exsistentiam materiæ aut saltem in dubium vocandi, cum aut principium ab eodem allatum aliquid efficiat circa exsistentias caussarum quæ repugnant, aut Deus nos decipiat circa ea, quæ alicuimodi sensibus apparent, sed ratione quam Deus attribuit, ut homines verum a falso internoscant in sensuum repræsentationibus, talia non esse cognoscuntur. §. 233. num. *6*. & seq. Log. Verum uti ex nostra sententia compertus sit modus quo corpora exsistunt ex elementis extensis quidem, sed reipsa simplicibus & insectilibus, & potentia solum compositis; ita simili-

liter manifeſtus ſit modus, quo ſimplices animæ notiones ſingulæ repræſentant ſingula ſimplicia & inſectilia corporum elementa, & ex iis conjunctis exſiſtit compoſita notio corporum, quæ ex pluribus elementis ſive primitivis corpuſculis coaleſcunt, qualia ſunt ea quæ in ſenſus incurrunt. Ad hæc ſi animum tantiſper advertat Alembertus, nullus dubito quin Cl. Auctor, quem litterata Italia communi conſenſu ſua lingua appellat *il primo Genio della Francia*, rationem humanam hac in re tam anguſtis limitibus, quemadmodum ibi facit, non ſit in poſterum circumſcripturus. Nec enim amplius timebit quem ſe timere ſignificat, infinitum aut in entibus aut in cauſſis progreſſum, quo omnia redderentur incerta defectu principii, a quo tamquam a puncto fixo noſtrarum initium cognitionum deſumeretur. Siquidem clare videbit mea corpuſcula primitiva quæ a Deo proxime creata ſunt, quamquam alia aliis minora ab eodem creari poſſint, tamen utpote inſectilia & ſine partibus actu diſtinctis vere eſſe prima in corporibus hujuſmodi, quæ ex iiſdem coalita ſunt, & primam continere rationem omnium eorum, quæ in corporibus obſervantur, ſive quod attinet ad eorum naturam & proprietates, ſive quod attinet ad vires motrices, quibus aut ſingula moventur, aut tamquam occaſionales cauſſæ in ſe invicem agunt; quod pluribus explicavi in Ontologia & præſertim §. 237. & ſeq. §. 254. & in adjecta prima Appendice, & in tribus Phy. Gen. voluminibus.

6. Quoniam vero cum Alemberto congredimur, operæ pretium arbitror etiam advertere mihi non probari ipſius ſententiam qui putat temerariis Metaphyſicis relinquendam eſſe ſolutionem harum trium quæſtionum, in quo poſita ſit conjunctio inter animam & corpus, & mutuus alterius in alterum influxus, an anima ſemper cogitet, an ſcientiarum habitus ſint ſolum in corpore an etiam in anima. Cum enim is putet pag. 46. veram Metaphyſicam poſitam eſſe in notionibus omni hominum generi inſitis atque communibus, quæ dum apte evolvuntur, quiſque arbitratur ſe reminiſci eorum, quæ inſita habebat, mihi videor tum multas Ontologiæ, Pſychologiæ & Theologiæ Naturali quæſtiones, tum vero primam ex tribus hoc pacto tractaſſe & rationibus ſimul claris atque omnibus fere notis oſtendiſſe non ſolum ſubſtantias diverſæ ſpeciei, quales ſunt anima & corpus §. 123. ſed etiam ſubſtantias ejuſdem, quales ſunt duo aut plura corpora, eſſe non poſſe cauſſas effectrices dum in ſe invicem operari videntur, & unum Deum eſſe veram cauſſam quæ occaſione corporum & animarum motrices aut ſentiendi & cogitandi vires in iis creat aut perimit §§. 42. 237. 254. Ont. Similiter me confeciſſe puto aut animam ſemper cogitare, quia quamdiu homo vivit, cerebri impreſſiones atque tremores, quæ ſunt cauſſa occaſionalis ſenſationum & cognitionum animæ, numquam prorſus quieſcunt §. 20., aut habitus tranſeundi ab ideis ſingularibus & corporeis ſenſationum ad ideas abſtractas & rerum ſpiritualium vere in anima reperiri, eo quod a ſolis ſenſationibus ope impreſſionum cerebri excitatis pendere non poſſunt §. 39. & ſeq.. Quod pertinet ad alias quæſtiones ibi ab homine propoſitas in earum numero, quæ reſolvi nequeunt, & idcirco in Elementis Philoſophiæ ſunt omittendæ, libentius ſubſcribo ejuſdem ſententiæ, niſi fortaſſe diſcedamus ab ea, in qua inveſtigatur utrum animæ, quamvis ſubſtantiæ ſimplices, tamen natura diſpares eſſe poſſint, quia illa tria in elementis corporum ſive in corpuſculis primitivis, quæ ſunt omnino ſimplices ſubſtantiæ, jam a

no-

nobis animadversa uti possibilia, substantialia in magnitudine, in figura & præsertim in densitate discrimina §. 235. Ont. satis declarant hanc circa substantias simplices quæstionem universe non esse insolubilem §. 110. num. 1.

7. Sed revertamur ad Berkleyum. Is alia multa proponit adversus corporum exsistentiam argumenta, quæ videre licet apud citatum Deneslum cap. 14. & seq. operis supra citati. Verum quia sunt fere eadem atque illa quæ in Logica §. 233. & seq. proposui & refutavi, de iis longius non facio. Id solum adverto meas solutiones tum argumenti a speciebus panis & vini in Eucharistico Sacramento petiti, tum alterius ab opinione ante Copernicum communi veri, ut sensibus apparet, solaris motus deducti, tum tertii a deceptionibus somniorum mihi videri magis idoneas præ iis quas Deneslus attulit, ad evertendum Immaterialistarum systema. Nam in eo positæ sunt ut planum faciant nobis Deum aliquod dedisse præsidium, quo ab hisce erroribus caveamus, idest lumen aut supernaturale, quo admonemur sub speciebus panis & vini non esse panis substantiam; aut naturale, quo errorem deprehendere possimus. Unde facile est colligere nos a Deo minime decipi. Quod respondere possumus etiam ad aliud Berkleyi objectum, ad sensationes quæ in nobis restant, membrorum quæ amisimus. Aliis enim sensibus eorum carentiam detegimus.

CAPUT SECUNDUM.

De animæ humanæ immortalitate.

§. 125. Definitiones

Vivere dicitur substantia, quæ habet internum suarum mutationum principium, easque subit mutationes, & suas actiones exercet; mori autem quæ amittit vim suas exercendi operationes, easque non amplius exercet. Ita moritur corpus, statim ac ab anima separatur, quia tametsi ejusdem substantia, immo & partium atque organorum dispositio permaneant, tamen suarum operationum exercitium amittit.

§. 226. Definitiones

Alia vero est vita & mors corporea, alia cognoscitiva; vita corporea est exercitium, & mors est amissio exercitii actionum & operationum, quæ in motu positæ sunt: vita autem cognoscitiva est exercitium operationum cognoscendi, uti & mors cognoscitiva est amissio talis exercitii.

2. Cognoscitiva duplex est; alia est sensitiva, quæ est exercitium actionum cognoscendi partis inferioris, nempe sensationum & imaginationum, quibus sola singularia cognoscimus §. 9., qua vita belluæ utuntur in omnium sententia Philosophorum præter Cartesianos.

3. Alia intellectualis, quæ est exercitium operationum partis su-

ſuperioris animæ, ideſt earum cogitationum, quibus univerſalia & ſimplicia noſcimus, deque iis judicamus & ratiocinamur, qua vita una cum ſenſitiva gaudent homines. Similiter defini mortem mutatis, quæ mutanda ſunt.

§. 127. Definitio & Animadverſio

Quamobrem cum nomine immortalitatis animæ intelligatur continuata in perpetuum vitæ ipſius conſervatio, ex dictis conſequitur duo eſſe neceſſaria ad eum finem ut anima ſit immortalis; primo ut ipſius ſubſtantia perpetuo perſeveret; ſecundo ut retineat exercitium ſaltem aliquarum ipſius cognoſcendi operationum, quorum alterutrum ſi deficiat; anima mortalis dicenda foret. Utrumque nunc oſtendere aggredimur.

§. 128. Propoſitio

Anima humana intrinſecus deſtrui nequit. Prob. Quod in partes reſolvi non poteſt, intrinſecus deſtrui nequit. Sed anima humana in partes reſolvi non poteſt. Ergo &c. Prob. min. Quod eſt una & ſimplex ſubſtantia, partes non habet, in quas reſolvi queat. Sed anima humana eſt una tantum & ſimplex ſubſtantia §. 75. adeout etiam ſi foret extenſa, non haberet partes, in quas reſolveretur, aut reſolvi poſſet §. 122.. Ergo &c.

§. 129. Propoſitio

Anima humana in morte corporis extrinſecus non deſtruitur. Prob. Cum ſubſtantiæ ſimplices, uti ſunt animæ, & primitiva corpuſcula, non poſſint niſi a Deo ex nihilo creari, ita non poſſunt niſi ab eodem in nihilum redigi §. 200. 201. Ont. Atqui animæ humanæ in nihilum a Deo non rediguntur. Ergo anima humana extrinſecus, ideſt virtute alterius entis non deſtruitur. Prob. min. Experientia compertum fit in morte corporis nec ipſam ejuſdem ſubſtantiam, ideſt primitiva corpuſcula ex quibus coaleſcit, in nihilum a Deo redigi. Ergo multo minus anima, quæ pariter eſt ſimplex ſubſtantia, a Deo in nihilum redigetur. Conſequens ex eo conficitur, quia præſto ſunt multa divinæ voluntatis indicia, ex quibus fit manifeſtum Deum velle animas in æternum conſervare, ut paulo poſt oſtendemus.

§. 130. Propoſitio

Anima humana eſt immortalis & ſemper vivens. Prob. Anima humana eſt immortalis, ſi morti corporis eſt ſuperſtes, & in æternum permanet cum exercitio ſuarum cognoſcendi & appetendi operationum §. 127. atqui morti corporis eſt ſuperſtes, & cum exercitio permanet ſuarum operationum. Ergo &c. Leibnitiani, Wol-

phiani, nonnulli ex Cartesianis, aliique minorem suadent ex eo, quod ex altera parte anima, utpote simplex, intrinsecus destrui nequit §. 128., & ex altera cogitatio est animæ essentialis, sive cum ea necessario conjuncta. Sed secundam ex his duabus partem non ostendunt, & si etiam ostenderent, non tamen hoc satis foret, nec inde possent elicere quod propositum est, animam esse immortalem. Nam quod attinet ad primum, tantum abest, ut monstrent cogitationem aut cogitandi vim esse animæ essentialem, ut nobis videamur plane confecisse §. 42. Ont. & supra §. 91. & seq. omnes substantiarum quæ creatæ sunt, vires, sive motrices, sive cogitandi & appetendi, esse earumdem substantiarum accidentia, quæ in ipsis jam constitutis a Deo creentur. Quod vero ad secundum, etiamsi anima non possit intrinsecus destrui, potest tamen extrinsecus, sive potest a Deo in nihilum redigi. Quamobrem ad adversarios prorsus refutandos ostendendum restat Deum nolle animam in nihilum redigere, & velle eamdem in æternum servare. Quæ divina voluntas certe non eruitur ex his tantum duobus, quod anima intrinsecus destrui nequit, & quod cogitatio ad ejusdem essentiam pertineat. Quamobrem laudati Philosophi, velint, nolint, animum convertere debent ad alia argumenta; ad ea scilicet, quibus nos utimur, quibusque una eademque opera conficitur Deum & animas in æternum servare, & cum exercitio suarum cognoscendi & appetendi operationum.

2. Nam supradictam minorem sic nos suademus. Deus vult animas post mortem corporis in æternum servare cum exercitio suarum operationum. Ergo anima morti corporis est superstes, & in æternum perstat cum exercitio suarum operationum. Antecedens pluribus suadetur, ac primo sic: *Cum enim Deus* (ut verbis utar Turretini in lib. inscripto *Dilucidationes Philosophico-Theologico-Dogmatico-Morales* vol. I. differt. XII. num. 4.) *sit ens justissimum, Optimum, Sapientissimum, idemque potentissimum, a quo res humanæ curantur, quod facta omnia observat, eaque adprobat, vel improbat; sane hinc certissime colligitur fieri non posse, quin hominibus aliquando reddat juxta ipsorum facta. Cum igitur id in hac vita persæpe non fiat, ubi viri optimi sæpissime miserrimi sunt, & viri pessimi sæpe contra florentissimi; omnino necesse est alium quemdam statum esse, aliam vitam, in qua id futurum sit.* Hactenus Turretinus. Jam vero si animæ humanæ aut in nihilum redigerentur, aut si permanerent sine ullis prorsus sensationibus, cogitationibusque & appetitionibus, nullo fruerentur post corporis mortem aut

bo-

bono, aut malo secundum ipsarum in hac vita operationes a Deo vindice profectis, eoquod bona & mala solis sensationibus, perceptionibus atque appetitibus percipi & haberi possunt. Ergo concludendum est Deum animas cum exercitio suarum operationum in æternum servare.

3. Confirmatur ex ea nostræ mentis excellentia, quam satis mirari non possumus. Quid enim opus fuisset tanto ipsius acumine in rerum terrestrium atque cœlestium caussis indagandis, tantaque memoria in acquirendis nominum & rerum innumerabilium notionibus, si instar animæ belluarum ipsius actiones brevibus hujus vitæ spatiis concluderentur? Illimetipsi intellectuales habitus, quos non in cerebro tantum, sed in eadem tamquam in subjecto vere inesse monstravimus §. 39. nonne clare significant hanc tam præstantem in iis acquirendis vim ad majorem aliquem finem & ad diuturniorem præstantioremque vitam degendam esse comparatam?

4. Quidquod ex altera parte generales animæ appetitus in bonum originem ducunt a Deo §. 91. & seq. qui nos impellere nequit nisi in bonum verum, quodque consequi possumus, & ex altera in omnibus hominibus observatur innatus & insitus ardens immortalitatis amor & desiderium, quod a Deo optimo & justissimo frustra inditum fuisse nemo dixerit? Nec ajat quis hoc desiderium esse fructum & præjudicium educationis. Nam præjudicatas infantiæ & educationis opiniones sapientes doctique reflexione & vi mentis excutere & abjicere possunt; Naturæ vero, sive auctoris naturæ ideas & appetitiones nunquam, ut quantumvis doctus in Physicis sciat remum in aqua secundum aliquam partem demersum rectum esse, ideam tamen, qua inflexus exhibetur, nullo modo corrigere potest, eoquod Deus occasione radiorum a remo in oculos reflexorum talem in anima visionem excitat. Jam vero quantumcumque homines conentur, hoc immortalis vitæ desiderium ab ipsis excuti, aut reprimi non posse observatur. Ergo illud ab auctore naturæ fuisse ingenitum est dicendum, indeque ob allatam rationem eliciendum post hanc vitam dari alteram eamque immortalem; eoquod jam ostendimus in Logica in his a Deo profectis animæ motionibus eumdem non posse nos fallere.

§. 131. Objectio

Si corpus destruitur, etiam anima corrumpi debet; atqui corpus destruitur. Ergo etiam anima corrumpi debet, atque idcirco non est immortalis. Prob. maj. Quando duo intime conjuncta sunt, primo destructo etiam alterum destrui debet; atqui anima & cor-

pus intime conjuncta sunt. Ergo &c.

§. 132. Responsio

Dist. maj. Quando duo intime conjuncta sunt, primo destructo, quod attinet ad substantialem & primariam essentiam; etiam alterum destrui debet, omitto: primo destructo quod attinet ad essentiam secundariam & accidentalem ne. & dist. conf. Ergo anima corrumpi debet, si corpus destruitur quod ad essentiam primariam & substantialem omitto; si quod attinet ad secundariam & accidentalem ne. Nam in corpore humano, uti & in omni composito, duo sunt, partes substantiales, idest corpuscula primitiva, quorum essentia est primaria & substantialis §. 235. Ont., & modus, quo hæ partes hæcque corpuscula inter se copulantur, qui modus cum esse & abesse possit, quin partes & corpuscula destruantur, essentiam secundariam & accidentalem constituit §. 163. Ont. Jam vero destruitur quidem corpus humanum quod attinet ad accidentalem essentiam, sive ad modum, quo corpuscula primitiva conjunguntur; non vero quod attinet ad substantialem sive ad ipsa corpuscula primitiva, quia hæc etiam in morte corporis permanent §. 129. Jam vero anima etiamsi foret extensa, quod tamen supra refutavimus, est tamen una & simplex substantia, non vero congeries plurium substantiarum, quæ hoc aut illo modo conjunctæ sint §. 122. Ergo ex eo, quod corrumpitur modus, quo partes corpus humanum componunt, non colligitur animæ substantiam corrumpi; immo ex eo quod eædem partes perseverant, recte conficitur etiam animam durare §. 129.

§. 133. Instantia

Ex concessis corrumpitur corpus quod attinet ad accidentia sive ad modum, quo ipsius partes copulantur, & ad ipsius actiones; ergo etiam corrumpitur anima quod attinet ad ipsius accidentia, sive ad cogitationes appetitionesque quæ sunt ejusdem actiones. Prob. conseq. Si vires & actiones corporis debiles sunt, etiam animæ actiones debiles observantur, ut accidit in infantia, in qua vis cogitandi appetendique valde exigua est. Si primæ crescunt, & corroborantur, ut in adolescentia usuvenit, etiam animæ facultates valde augentur & confirmantur; si denuo primæ debilitantur, ut contingit in senectute, etiam secundis multum decedit. Ergo si primæ prorsus corrumpuntur, ut in morte contingit, etiam secundæ corrumpantur oportet.

§. 134. Responsio

Dist. conf. Ergo si primæ corrumpuntur, ut in morte contingit,

git, etiam secundæ &c. si lex, secundum quam Deus sensationes cogitationesque & appetitiones in anima gignit, sit prorsus eadem, quamdiu mens corpori juncta est, & postquam a corpore separata fuit co. si non sit eadem ne. Lex a Deo statuta, secundum quam is sensationes & ideas excitet in anima, quæ corpori juncta sit, est hæc, ut si vestigia in cerebro secundum leges motus bene distincteque imprimantur, etiam claras distinctasque sensationes & cognitiones in eadem producat; sin autem illa vel non imprimantur, vel perperam, aut nullas, aut obscuras atque confusas creet. §. 6. Id caussa est, cur infimo cerebro in infantibus & in senibus, aut etiam in morbis, qui cerebrum & præcipue corpus callosum invadunt, debiles quoque sint animæ actiones; illo vero corroborato sint acres & vegetæ. At viribus motibusque corporis & præsertim cerebri in morte prorsus corruptis, ex ipsius motibus qui tunc nulli sunt, non potest Deus amplius occasionem sumere gignendi sensationes atque ideas in anima, sed aliam statuit legem, easque ipse per se creat sine ullo corporis adminiculo & occasione ab ipso sumta, tales nimirum, quales postulant ipsius Dei æquitas, bonitas, justitia, atque sapientia, gratas nimirum & cum summa & honestissima voluptate conjunctas, aut ingratas & dolorem afferentes, prout animæ in præsenti vita actiones aut bonæ, aut malæ merentur. §. 130. num. 2.

§. 135. Instantia

Atqui Deus statuit legem non excitandi cognitiones appetitionesque in anima, postquam a corpore separata est. Ergo &c. Prob. min. sub. Anima belluarum est inextensa & simplex, uti humana; atqui Deus statuit legem non excitandi cognitiones appetitionesque in anima belluarum, postquam hæc ab ipsarum corpore disjuncta fuerit; quia belluarum anima mortalis est, atque idcirco aut a Deo in nihilum redigitur, aut ipsius operationum exercitium prorsus cessat §. 127. Ergo similiter Deus statuit legem &c.

§. 136. Responsio

Dist. maj. Anima belluarum est inextensa & simplex, ut humana, sed ita ut humana sit illa valde perfectior, & perfectiores eliciat operationes co. aliter ne. Nam ut docui §. 31. & seq. anima belluarum habet ideas, judicia & ratiocinia tantum singularia, Deum nequaquam cognoscit, & vera caret libertate, qua bene aut male agere possit, & premium, aut pœnam pro bene aut male factis juste mereri. Anima vero humana universales acquirit ideas, & ratiocinationes format universales, præter corpora & se ipsam

Deum

Deum auctorem noscit, & sua, quibus erga Deum obligatur, officia, veraque ad eadem implenda, aut deserenda libertate potitur §.58. & seq. Ex qua differentia colligitur animam belluarum destinatam a Deo fuisse ad eam tantum vitam degendam, quæ in corpore est; animam vero humanam ad majora quædam & ad alteram etiam vitam post ejusdem a corpore disjunctionem, ut quod pro bene aut male factis præmium, aut pœnam hic non recepit, in altera a Deo justo remuneratore ac vindice recipiat.

§. 137. Instantia

Atqui etiam anima humana ad vitam tantum in corpore degendam destinata esse videtur. Ergo &c. Prob. min. sub. Antequam corpori juncta foret, nullam habebat vitam. Ergo etiam cum a corpore disjungetur, similiter nullam habebit. Ex quo colligitur animam ad vitam tantum in corpore degendam a Deo destinatam videri.

§. 138. Responsio

Dist. primum conseq. Ergo etiam cum a corpore disjungetur, similiter nullam habebit, si foret par ratio de statu præcedente conjunctionem animæ cum corpore, & de statu disjunctionem sequente co. si non foret ne. Aliter enim ratiocinandum de principio vitæ, aliter de continuatione aut termino ejusdem. Cum anima ab æterno esse non potuerit, debuit aliquando initium sui & vitæ habere. Jam vero nullum esse videtur magis idoneum ad ejus creationem & vitam momentum, quam illud, quo cum corpore in utero mulierum conjungitur. Postquam autem per aliquod tempus cum eodem copulata mansit, & suas operationes appetitionesque vel ad normam rationis direxit, vel ab eadem detorsit, ob rationes supra allatas §. 130. num. 2. & seq. æquitas & justitia Dei postulant, ut pro ratione factorum ad præmium aut pœnam recipiendam in æternum vivat, etiam posteaquam a corpore jam fatiscente separata fuit.

§. 139. Objectio & Responsio

Ex SS. Litteris fit manifestum animam humanam esse mortalem & cum corpore interire. Ergo anima immortalis non est. Prob. ant. celebri textu Salomonis Eccles. cap. 3. ver. 18. Salomon hæc scribit de se, *Dixi in corde meo de filiis hominum ut probaret eos Dominus & ostenderet similes esse bestiis. Idcirco unus interitus hominis & jumentorum & æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia & nihil habet homo jumento amplius: cuncta subjacent vanitati. Et omnia pergunt*

ad

ad unum locum; de terra facta sunt, & in terram pariter revertuntur. Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum? Et deprehendi nihil esse melius quam lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet ut post se futura cognoscat? Ergo &c.

2. Dist. antec. Salomon hæc de se scribit ut ostendat suas dubitationes cogitationesque, quas ingesserat inspectio similitudinis inter finem hominum & jumentorum co. ut ostendat suam veram sententiam de hac re ne. Aliqui respondent Salomonem hic loqui in persona impiorum. Verum ex duobus antegressis versiculis 16. & 17., in quibus hæc leguntur, *Vidi sub sole in loco judicii impietatem & in loco justitiæ iniquitatem. Et dixi in corde meo; justum & impium judicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit*, apparet eum de se deque iis, quæ in ipsius mentem venerunt, sermonem habere. Cum enim hoc versiculo 17. de seipso loquatur *& dixi in corde meo, justum & impium judicabit Deus*, consentaneum & cohærens non est, ut versiculo sequenti, in quo eadem usurpat verba *& dixi in corde meo*, non suas, sed impiorum sententias, exponat.

3. Itaque ajo his verbis nihil aliud velle significare, nisi similitudinem quæ observatur in corpore hominum & jumentorum, & in ipsorum morte, in qua nihil ex utrisque restare apparet nisi corpus exanime quod paulatim corrumpitur, aliquam sibi ingessisse dubitationem an homo foret prorsus similis bestiis etiam quod pertinet ad animam, & interitus lege pariter teneretur, non vero firmam persuasionem, cui assensum præberet. Nam si ea verba cum ea persuasione protulisset, non conclusisset dubitans & interrogans; *quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum &c.* sed congruenter antecedentibus dixisset: *Novi spiritum filiorum Adam & jumentorum pariter descendere deorsum.* Et revera quod hæc verba sint interrogantis, non absolutam responsionem tunc proponentis, evidenter colligitur ex capite 12. vers. 7. ubi quæstionem dijudicat, & suam veram profert sententiam circa animæ immortalitatem his verbis: *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Ergo tantum abest ut ex Salomone colligatur animam esse mortalem, ut potius illam immortali vita fruituram colligatur.

§. 140. SCHOLION XI.

In hac omnium celeberrima de animorum immortalitate quæstione illud certissimum atque clarissimum est animam, in qua sensationes cognitionesque excitantur, esse unam eamdemque simplicem & ex partibus minime coalitam sub-

substantiam. Quo constituto in ipsius immortali vita ostendenda vel nobis res est cum iis insanis Philosophis, qui animas & corpora ab Ente a se creata negant, eo quod putant omnes substantias esse a se & ideo §. 100. Log. ab æterno exstitisse, & in æternum exstituras, vel cum iis aliis qui assentiuntur. Si cum primis, jam tenemus animorum substantiam in æternum durare, quia quod est a se, nec principium nec finem habere potest §. citato. Pariter in hac hypothesi tenemus easdem in æternum vivere, sive cum suis sensationibus cognitionibusque perstare, quia vis sentiendi cogitandique in eodem systemate debet esse essentialis, sive cum animæ substantia necessario conjuncta, cum ex altera parte sit aliquod absolutum, quod debet esse aut a se, aut proxime ab Ente a se creari §. 42. & seq. Ont. & ex altera in sententia Philosophorum quibuscum congredimur, creatio ex nihilo inter ea, quæ esse non possunt, enumeretur. Sin autem cum secundis, res eo revolvitur, ut definiamus, utrum Deus non solum animæ substantiam, verum etiam vires, quibus res cognoscit & vult, in æternum conservet, nec ne. Quod autem is præstet utrumque, satis fit manifestum iis rationibus, quas in antecessum attulimus; nec ad eadem ostendenda parum habet momenti ea quæ nititur communi veterum Philosophorum cujusque nationis mundi suffragio, & veluti humani generis consensione. *Nam quanti sit momenti* (scribit supra laudatus Turretinus citato loco num. 21.) *tot tantarumque Gentium consensus, facile est intelligere. Agitur enim primo de Gentibus antiquissimis, & primæ rerum origini proximis. 2. de Gentibus a se invicem maxime disjunctis ac dissitis. 3. de Gentibus omnis generis doctis pariter atque indoctis, excultis & barbaris; 4. quo acutiores tamen ac sapientiores fuere Gentes, eo plenius de hac veritate persuasæ sunt; 4. Philosophi perspicacissimi, eruditissimi, celeberrimi, ejus sententiæ præcipui fautores ac defensores fuerunt. Unde talis tantusque consensus, adeo antiquus, adeo generalis, adeo diuturnus? Ortus est procul dubio vel ab evidentia rationum, vel ab antiqua aliqua Traditione, vel ab utroque. Quodcumque vero sit, non potest non talis consensus maximi ponderis esse.* Hactenus Turretinus, qui ad hunc consensum sub oculos ponendum plura testimonia in medium adducit. In eodem loco, ut mittam alios antiquiores, recens versati sunt Cl. Hayerus in libro inscripto *La Spiritualité, & l' Immortalité de l' Ame &c.* editoque Parisiis an. 1756., & eruditissimus mihique dum viveret, amicissimus Abbas Polinus, qui in libri inscripti *De Juris Divini & Naturalis Origine .... Brixiæ* 1761. secunda uberiori & magis accurata editione, hanc disputationem diligenter persequitur, & hujus dogmatis, uti & aliorum, quæ ad Dei naturam & attributa pertinent, originem ab ipsa divina traditione Adamo demandata, & ab ejus filiis ad omnes Gentes transmissa pluribus iisque firmis rationibus innixus repetit.

2. Quoniam vero summum est in hac disputatione momentum, operæ pretium arbitror hunc locum latius explicare redigendo in summam eas gravissimas rationes, quibus modo laudatus Hayerus adversus antiquos atque recentiores Materialistas veram animæ immortalitatis sententiam undique communivit, meumque identidem interponendo judicium. Mitto secundum articulum, in quo is quærit [pag. 9.] utrum anima si sit materialis, esse possit immortalis, & si sit spiritualis, possit esse mortalis. Nam quod attinet ad primum, assentior quidem Cl. Auctori, animam materialem immortalem es-

se non posse in eorum hypothesi Materialistarum, qui volunt eam exsistere ex conjunctione plurium corporis particularum, quia cum hæc conjunctio post mortem corrumpatur, animam quoque inde profectam corrumpi necesse est; sed ab eodem dissentio si anima materialis constituatur in una tantum primitiva extensa substantia, quemadmodum etiam Materialistæ, velint, nolint, constituere debent, nisi velint intimo sensui & certæ rationi hinc deductæ refragari, §. 75. & sequent., propterea quod hæc substantia ex sui natura perstare debet, cum nullas habeat partes in quas dissolvatur, & retinere potest exercitium suarum operationum, si Deus vim sentiendi & cogitandi, quam Materialistæ eidem attribuunt, in illa post corporis mortem creare pergat. Quod attinet vero ad secundum, mihi pariter ab ejus sententia, qui ponit animam spiritualem esse necessario immortalem, discedendum esse video, propterea quod is ponit cogitationem esse cum animæ spiritualis essentia necessario conjunctum, ego vero arbitror esse accidens, quod Deus in eadem creat §. 91. quodque si creare pergat etiam post corporis mortem, erit immortalis; si non pergat, mortalem eo sensu quem supra explicavimus, esse dicendam consequitur. Verumtamen est, quod auctor concludit, quemadmodum nulla substantia creata potest aliam creare, ita nec virtute cujuscumque caussæ creatæ substantiam animæ spiritualis in nihilum redigi posse; & quemadmodum si poneremus in corporis dissolutione novam creari substantiam, Materialistæ jure ac merito a nobis postularent ajentes rationes, quibus id suaderemus; ita si iidem statuant spiritualem animam tunc in nihilum redigi, ab iis pariter jure ac merito postularemus ajentes rationes, quibus id suaderent, quas numquam proferre potuerunt. Hoc non est quod contendimus, ajunt Materialistæ, sed illud volumus unum animam non retinere exercitium suarum sentiendi & cogitandi operationum, atque idcirco sensationes cogitationesque ideoque veram animæ vitam perire. Verum id est quod supra ostendimus, & adhuc ostensuri sumus argumentis ab Hayero petitis, quibus hac de caussa aliquid addemus, ut non solam substantiæ animæ: verum etiam ejusdem operationum durationem conficiamus. Itaque auctor articulo tertio pag. 19. primam ducit rationem a divina sapientia ratione habita finis, ad quem homo comparatus est, hoc fere pacto. Impossibile est ut Sapientissimus Deus, qui omnia refert ad suam gloriam, animam valde nobiliorem præ corpore, quæ se ipsam & hanc mundi universitatem ipsiusque opificem Deum cognoscit, quæ omnia bona amare potest, nullisque prorsus satiatur, sed semper ad majora & ideo ad maximum, qualis est Deus, irrequieto conatu contendit, esse destinatam ignobiliori fini, quam corpus quicum se junctam intelligit. Jam vero si esset destinata ad solum corpus informandum, & in ipsius dissolutione aut in nihilum abiret, aut omnem prorsus sui & aliorum cognitionem amitteret, ad finem valde ignobiliorem, quam corpus, relata fuisset. Corpus enim non solum perstat quod attinet ad substantiam atque ad primitivas moleculas, ex quibus coalescit, sed etiam quod attinet ad aliquas vires, & motus, quæ sunt veluti corporum vita §. 126. uti attractionis, repulsionis, cohæsionis, inertiæ, gravitatis, aliarumque similium, quibus fit ut post aliquod tempus eædem moleculæ cum aliis coalitæ ad compositionem alterius cujusdam corporis etiam organici concurrant. Ergo si anima aut in nihilum redigeretur, aut omnes amitteret cognitiones & appetitus, & hoc pacto veluti stupidior fieret ipsa

sui corporis materia, valde ignobiliori fieri, quam corpus, a Deo destinata fuisset. Quod cum infinitam Dei sapientiam dedeceat, dicendum est destinatam non fuisse ad solum corpus informandum, quemadmodum Epicurei contendebant, qui hac de caussa ab hujus mundi administratione Deos sejunxerunt, sed ad nobiliorem finem atque ad alteram vitam post dissolutionem corporis traducendam.

3. Secundi argumenti, quod articulo quarto pag. 23. exponitur, hæc summa esse potest. Deus omnia creavit, atque conservat, quæ conservatio est continuata creatio, ad majorem ipsius gloriam, quæ in eo posita, ut ipsius infinitas perfectiones & attributa substantiæ intelligentes cognoscant, eumque ut summum Bonum diligant. Id quod in Theologia Naturali ostendemus. Quis autem non videt majorem Deo gloriam comparatum iri, si animam substantiam intelligentem conservet, quæ ipsum cognoscere & amare potest, quam si eam redigat in nihilum, ex quo nihil profecto recipere potest? Ergo dicendum est Deum perstare in decreto conservandi animam post corporis mortem, præsertim cum videamus ipsam corporis permanere substantiam, tametsi ejusdem compages dissolvatur. Materialistæ qui ultro assentiuntur ipsasmet substantiales atomos in æternum permanere, hanc ob caussam nolunt animam esse substantiam, & ajunt esse molecularum apte dispositarum modum quemdam, atque idcirco naturæ phænomenon. Unde quemadmodum ignis extinguitur, aqua in aerem avolat, terra in pulverem fatiscit, & idcirco omnia mutantur, disparent, & pereunt §. 123. num. 42. sic animam humanam in morte perire contendunt, eoquod ipsius effectus tamquam extincti ignis disparuerunt. Verum si nolint evidenti prorsus rationi nuntium remittere, eam esse unam tantum & in partes minime separabilem substantiam fateantur oportet etiam in sua ceteroquin falsa hypothesi quod sit materialis §. 122. num. 3. Ergo quo jure qui concedunt atomos sive substantiales corporis moleculas in æternum permanere & quidem cum suis supra recensitis attractionis, repulsionis, inertiæ, gravitatis &c. viribus, quibus cieri pergunt & idoneæ fiunt, ut iterum cum aliis moleculis cohærescant, iidem animam quæ est vera substantia, & in ipsorum sententia atomorum similis, in corporis morte perire volunt, aut saltem non permanere ipsius sentiendi & cogitandi vires, quas esse in illa una sine aliqua ab aliis substantialibus corporis partibus naturali & vim caussæ efficientis cohibente connexione jam declaravimus?

4. Auctor suam diligentiam suumque acumen cuicumque cordato viro probat articulis quinto pag. 37., & sexto pag. 49., in quibus rationem ductam a Divina Providentia exponit atque ab objectis vindicat adversariorum. Quoniam vero jam satis in eo versati sumus, hic solum aliqua addemus. Ae ptimum adverto hac ratione, quod Deus si res humanas procurat, ut certum fit ex rationibus a Divina bonitate, & a Divinæ conservationis §. 201. Ont. & consursus ad omnes actiones necessitate petitis, remunerari debet in altera vita bonos, eos præsertim qui vitam pro ipsius gloria morti objecerunt, quique cum adversa fortuna hic semper conflictati sunt, & punire malos, qui felices in hac vita fuerunt, & meritam pro facinoribus pœnam non tulere, confici non solum morti corpotis superesse substantiam animæ, verum etiam sensationes & cognitiones, proptereaquod anima nihil sentiens nihilque cognoscens nec suimet conscia foret, nec ullam pro premio voluptatem, aut pro

pœ-

pœna dolorem acciperet, eademque foret impiorum atque bonorum sors; quod divinæ providentiæ jam vidimus adversari. Et revera Materialistæ facile darent animam corpori superare, si omnium sensationum cognitionumque carentiam iisdem daremus, propterea quod staret eorum systema, qui volunt voluptatibus in præsenti vita esse indulgendum, quia nihil est aut boni sperandum, aut mali timendum in altera, cum anima nihil sentiens nihilque cognoscens non sit nec beata, nec misera, sed perinde se habeat ac si non foret.

5. Deinde auctor monet hac ratione evidenter confici animam corpori esse superstitem, nec immerito; est enim evidens, quod ex evidentibus principiis ducitur, qualia sunt differentia inter bonum & malum, quam omnibus nationibus manifestam clare ostendemus in Theologia Naturali, libertas animæ in utroque patrando §. 58. & seq. & Divina Providentia: sed quod sit in æternum superstes, negat cognitionem omnino certam atque perspicuam posse acquiri sine revelatione, additque rationes, quæ illam ad verum quamproxime accedere conficiunt, petitas ex eo, quod cum reductio rei ad nihilum non sine sufficienti ratione sit admittenda, nulla potest afferri cur aut animas sibi caras & amore conjunctas aliquando a seipso repellat in nihilum redigendo, cognitionibus & beatitudine inde exsistente privando, aut animas, quæ semper manent suis obstrictæ sceleribus, non in æternum puniat. Verum si quid roboris est in ea firma persuasione totius fere humani generis, quod se ad immortalem & æternam vitam aut beatam aut miseram pro actionum merito destinatum sentit, quod maximum esse infra cum auctore suadebimus, hanc quoque immortalitatis animæ præcipuam partem si non ex sola divinæ providentiæ cognitione, saltem ex hoc alio capite absque revelationis adminiculo firme suaderi contendo. Cum vero æternam bonorum felicem vitam cum infinita Dei bonitate quammaxime cohærere naturalis ratio suadeat, saltem hæc immortalitatis animæ pars revelatione minime egere videtur. Quo loco commodum reor satisfacere difficultati auctoris epistolæ ad Keitium §. 123. n. 42. Primo enim divinam non dedecet bonitatem eos æternum punire, qui scientes atque prudentes se libere conjecerunt in eum statum cui æternam pœnam a Deo propositam, ne ruerent, optime sciebant. Verum dato & non concesso id esse a cælestis Patris bonitate dissentaneum, num inde consequitur quod auctor colligit, universe animam esse mortalem? Num Deum qui etiam est justus, dedecet in altera vita castigare malos, a quibus meritas in hac pœnas non exegit, saltem per aliquod tempus, cum videamus eos etiam in hac vita aliquando puniri? Num cum Dei bonitate infinita non congruit, ut æterna beatitudine bonos afficiat? Ergo tantum abest ut ex hac ratione, quam omnes Materialistæ magnifacere solent, colligatur animam morti corporis non superesse, ut etiam eamdem, si bona sit, in æternum in summa felicitate victuram esse conficiatur.

6. Tum Hayerus suam rationem vindicat ab Adversariorum calumniis. Auctor libri inscripti *l' Ame & son immortalité*, contendit nihil esse in hac ratione momenti, propterea quod ipsimet immortalitatis defensores volunt bonorum virtutes etiam in hac vita premium recipere, vel ob testimonium conscientiæ, quæ illos complet interiori lætitia, vel ob laudem, quam apud alios sibi comparant; malorum autem crimina puniri infamia quam contrahunt apud omnes, & pœnis, quæ illos sequuntur, si crimina in lucem prodeunt. Dein-

de personam Stoici sustinens contendit bona & mala naturalia a nostra pendere opinione, quæ profecta ab educatione & ab utilitate, quam quisque ex quaque re percipit, mutationibus obnoxia est pro qualitate originis & conditionis aliorumque adjunctorum; itaque fieri ut privatio divitiarum, commodorum, dignitatum, sanitatis & vitæ ipsius non sint vera mala nisi eorum habita ratione, qui ægritudinem inde contrahunt, utque hæc eadem non sint vera mala, nisi iis, qui pro talibus habent. Alter vero Materialista auctor libri *Nouvelle liberté de penser* p. 105. alio modo infirmare conatur hoc pro animæ immortalitate argumentum, negatque Deum aliqua teneri lege remunerandi bonas actiones aut malas puniendi, ideoque necessarium esse alteram vitam in qua homines recipiant aut præmia aut pœnas, quæ in hac minime receperunt: quod ni ita foret, inde ait consecuturum ut sit altera vita admittenda pro leonibus & tygribus, quæ in hac vita pœnas non luerunt cædum, quibus se contaminavere.

7. Verum utut res se habeat de nonnullis, in quibus magis opinio dominatur, quam veritas, certum & exploratum est, quidquid Stoici in contrarium effutiant, sensationes imaginationesque aut suaves & jucundas, aut asperas atque molestas aliquam boni partem in se ipsis cohibere adeout ab omnibus sanæ mentis ea derideatur Stoicorum sententia, vitam beatam in Phalaridis taurum esse ingressuram §. 55. num. 1. Quare cum experientia doceat quamplures bonos hisce dolores & molestias afferentibus sensationibus per bonam suæ vitæ partem exagitatos fuisse; plurimos autem malos in voluptatibus atque in delitiis vitam, ut plurimum, traduxisse; colligitur primos aliquam quidem vitæ bene actæ mercedem in testimonio bonæ conscientiæ & in aliorum laude tulisse, & secundos aliquam in conscientiæ sollicitudine, & in infamia apud alios pœnam, sed non eam quæ divinas deceat infinitam bonitatem atque justitiam, & ipsius providentiæ satisfaciat. Cum enim plurimi testimonium bonæ conscientiæ parvi ducant; & sua scelera sperent occulta futura; satis hoc pacto non esset provisum hominibus, ut a malis actionibus quæ ipsis aliquod afferrent commodum, abstinerent, & bonas quæ molestiam, patrarent. Sola futurorum & perpetuo permanentium bonorum, quæ bonos manent, spes, & sola similium malorum, quæ malos, formido homines in officio continere potest. Ergo Dei providentiæ consentaneum erat, ut alteram pro utrisque vitam servaret. Quæ vero suis consentanea sunt attributis, Deus præstare debet ob legem, quam nullus sed ipse sibi præscribit, remunerandi virtutem, & puniendi vitia. Quod pertinet ad belluas, nihil est in eo momenti adversus nostram rationem; cum enim ex altera parte fundamentum hujus rationis positum sit in cognitione differentiæ inter bonum & malum, & in libera utrumque eligendi facultate, quæ in hominibus observatur, & ex altera belluæ utriusque observentur expertes; necesse non est, ut iis Deus alteram servet vitam, in qua premiis aut pœnis afficiat eorum actiones, quæ ob libertatis defectum nulla premia nullasque pœnas merentur. Quod si Materialistæ genio indulgentes demittendi hominis, & sublevandæ belluæ velint eas cognitione boni & mali moralis ob quædam ambigua indicia, & vera libertate alterutrum eligendi donare, quam ob caussam Hayerus pag. 59. eos comparat ægro, qui violenta febri æstuans elata queritur voce se vocem amisisse; quid tum sequeretur? Aliud nihil quam belluis quoque alteram vitam, in

in qua bonarum aut malarum actionum mercedem accipiant, esse a justissimo Deo præparatam. Equidem non sum nescius alios Materialistas negare aliquam esse in hominibus libertatem, aut aliquod inter honestas, ac turpes actiones discrimen, & hoc pacto evertere fundamentum, quo nititur exposita ratio. Verum mihi videntur graviorem accipere plagam ut leviorem repellant; si enim mortalem animam defendere nequeunt, nisi hæc tollant de medio, id argumento est, si hæc duo simul cum exsistentia Dei ipsiusque providentia vera sint, necessario consequi animam immortali vita gaudere. Cum vero hæc quatuor certis omnino rationibus & omnium omnis ætatis nationum consensu firmentur, ut suis vidimus atque videbimus locis; similiter de animæ immortalitate certum & exploratum esse consequitur. Fatendum est tamen hos suis cohærere principiis magis quam eos, qui veras virtutes veraque vitia ab animæ liberis actionibus profecta concedunt, & nihilominus animam æque, ac corpus, morte multant; inter quos præstat ille, cujus sententias exposuimus §. 123. num. 1. qui propter rationem in fine expositam eo processit, ut in suo tantum systemate veras esse posse virtutes affirmarit; perinde ac si immortalitatis animæ defensores cum fine consequendi sempiterna bona, aut vitandi æterna mala non possent alios perfectiores conjungere fines, sibique proponere in suis actionibus exercendis amorem virtutis, & amorem erga Deum, & desiderium obsequendi ipsius sanctissimæ voluntati, immo sæpe animum ad primos fines non advertentes ad alteros nobiliores reipsa spectare. Ceterum ad hos magis refutandos in Theologia Naturali planum faciemus in hypothesi eorum, qui nullam a Deo legem hominibus esse impositam volunt, sive quia nullum esse Deum putant, sive quia nihil eum curare res humanas cum Lucretio arbitrantur, fieri non posse ut homines virtutem sequantur, & vitia devitent.

8. Denique cum alii objiciant, si quid est roboris in allato argumento, futurum esse, ut etiam corpora æternum vivere debeant, optime Hayerus respondet maximum esse discrimen inter corpus & animam, quia tantum abest ut corpus ipsum per se bonas aut malas actiones exerceat, ut neque ullius sensationis aut suavis aut asperæ capax sit, & nihilominus propter ejusdem cum anima connexionem, fidem, quæ humanæ rationis supplet defectum, docere futurum esse corporum resurrectionem, ut quæ animæ suis copulatæ corporibus aut virtutibus operam dederunt, aut vitiis se inquinavere, unam cum iisdem corporibus debitam mercedem recipiant.

9. Septimo & tribus sequentibus articulis auctor persequitur illas rationes, quæ ex cognitionibus & appetitibus nobis insitis ducuntur. In septimo sic pag. *64.* exponit rationem, quam ducit ex illo inexplebili appetitu quo mentes humanæ feruntur in cognitionem veri, & præsertim illius, quod ad Deum atque ad illius attributa pertinet, tametsi quo magis in hac cognitione progrediuntur, eo plus a liquida & pura veritate se abesse percipiant „ fallor ne, si hoc inexplebile desiderium veritatis acceptum fero infinitæ sapientiæ Dei, qui illud impresserit? Nonne ab hoc divino fonte omnes originem ducunt cognitiones? Nonne idemmet Deus tantum desiderium in nobis excitat, nostrarumque cognitionum limites atque debilitatem ostendit? Quodcumque verum ab æterno vero dimanat; ex quo fit ut in studio veritatis procedere sit idem ac ad divinum propius accedere lumen. Credam ergo hanc divinam

Sa-

Sapientiam, quam contemplari cupio tam vehementer, decrevisse æternum respuere desideria, quæ ipsamet excitavit? Quid obsecro? quo momento putarem me contemplatione objecti tam concupiti posse consequi veram felicitatem, eodem ipsi placeret me perpetuæ involvere nocti? Inquisitioni sapientiæ omnia posthabuerim, meæque inquisitiones pro termino atque mercede haberent nihil? Nequaquam; numquam mihi hæc paradoxa sinam persuaderi; immo contra expecto, dum post hujus vitæ finem æterna veritas mihi se patefaciat sine ullis velis ac nubibus. „

10. Hactenus Hayerus qui octavo & sequenti articulo alias ducit rationes ex desideriis gloriæ & immortalitatis, & summæ atque in æternum durantis felicitatis, quæ certe in omnibus reperiri experientia suadet, & a Deo proficisci ratio docet. Nam quod attinet ad primum, quotusquisque in semetipso non experitur ardens desiderium, ut suum nomen ab omnibus omnium ætatum hominibus celebretur, & in eorum memoria semper vivat? quotusquisque non sentit se nullis quammaximis, iis etiam quæ maxime expetivit, hujus vitæ bonis posse satiari, sed semper ad alia & majora tendere, atque idcirco ad maximum omnium, qualis est Deus, in quo uno sunt omnia possibilia bona, omnesque perfectiones sine ulla admixtione mali & imperfectionis, ut ex ipsa Entis a se natura clare consequi in Ontologia §. 181. docuimus? Jam vero tam universale desiderium tamque insitum in humana natura præsertim cum ad veram gloriam & ad veram felicitatem, quæ in Deo est, spectare ex eo clarissime colligatur, quod a fama, celebritate, atque ex bonis vitæ præsentis numquam animus expleri se sentit, a solo Deo esse potest, qui idcirco tale ac tantum indidit, ut homines hujus vitæ voluptatibus se non esse destinatos, sed summam sibi felicitatem in immortali vita apud Deum esse destinatos comperirent. Nec ajant Materialistæ hoc desiderium vanum esse ac temere susceptum, & in educatione insertum. Nam quæ desideria sine ratione exsistunt, non sunt universalia & excuti possunt. Hoc autem in omnibus esse observatur, & nulla ratione excuti potest; sic altas egit in nostra natura radices. Nec pariter ajant etiam in nobis esse desiderium immortalitatis corporis, quod tamen esse frustra susceptum experientia comprobatur. Nam ratio quidem humana eo non pervenit, ut hoc desiderium expletum iri cognoscat, verum fides in subsidium venit, & docet ita futurum. Mirum autem esse non debet Auctorem naturæ, qui est idem ac Gratiæ, eas in anima indere propensiones, quæ ad Religionem revelatam eam facilius disponerent. Sed præstat hic exscribere integrum Turretini locum dissertat. XII. de animorum immortalitate §. XIV., quo alterum etiam amplectitur Hayeri argumentum a differentia inter belluas & homines petitum. *Sed neque illud omittendum est quod septimi argumenti loco numeramus; puta constare illud immortalitatis ac felicitatis desiderium, quod a natura, hoc. est a Deo, omnium mentibus inditum impressumque deprehenditur. Ac sane nemo est qui non sentiat se a morte quammaxime abhorrere, adeoque immortalitatis desiderio tangi. Nemo est etiam qui non sentiat se felicitatis cupidissimum esse, & ejus quidem felicitatis quæ nulla doloris ac miseriæ labe aspergatur. Jam vero quis concipiat optimum illud ac beneficentissimum Numen, quod lucis usuram tam benigne nobis indulsit, quodque ad nostram utilitatem tot tantasque res in orbe disponit atque ordinavit, quis capiat, inquam, Numen illud optimum desiderium bujusmodi*

sem-

semper vanum & irritum futurum nobis indidisse? Vanum autem & irritum foret, nisi vita altera, in qua expleretur, expectanda esset. Certe non ad aliud quam ad nos torquendos & cruciandos inditum videretur, si nulla ejus explendi ratio existeret. Idem foret ac si urgentissimam famem, nullo concesso cibo, vel ardentissimam sitim, nullo concesso potu, Auctor naturæ nobis indidisset. Quod quam alienum sit ab optima & sapientissima ejus natura, nemo est qui non videat. Dices desiderium illud non a natura nobis impressum, sed a nobis ipsis proprio motu, & absque idoneo fundamento conceptum esse. Resp. Sed cum desiderium illud in omnibus plane mortalibus reperiatur, neque umquam excuti possit, clare patet illud a Natura, idest ab ipso Naturæ Auctore originem ducere. Regeres propriam experientiam & rerum usum nos docere posse desiderium illud vanum esse. Quod si attendamus, eo liberabimur, nec nos amplius torquebit. Resp. Verum non docet experientia desiderium illud vanum esse; hoc unum docet in hac vita non expleri. Cum igitur animis nostris alte insideat, neque in nostro sit arbitrio positum illud extinguere, hinc colligere pronum est vere naturalem & a Deo ipso insitam expectationem illam esse, futurumque post hanc vitam statum alterum, in quo illa impleatur. Ac sane qui fit ut desiderium votandi, & lunam adeundi nos non adficiat, vel si quando nos adfecerit, facile corrigatur; desiderium autem semper existendi & perfecta felicitate fruendi numquam nos deserat, nisi quod illud sit chimæricum & de re ad nos non pertinente, istud contra naturale, & de re ad quam nati sumus. Objiciunt etiam contra argumentum ex immortalitatis desiderio ductum, nihil esse desiderium illud præter studium propriæ conservationis, quo fit ut vitam nostram tueamur, & quæ nocere possunt, fugiamus. Resp. fatemur desiderium immortalitatis, & propriæ conservationis adfinia quidem inter se esse; sed confundenda tamen non sunt. Nam ad propriam conservationem naturali quodam impulsu seu instinctu trahimur, qui nobis & brutis communis est. Verum aliquod & longe nobilius nobis contingit cum vitæ numquam desituræ & felicitatis omnibus numeris absolutæ desiderio flagramus. Certe quo meliora ingenia sunt, eo magis instinctu moventur: quo nobiliora vero & excelsiora, eo alacrius ad immortalitatis cogitationem se adtollunt. Quis vero credat Deum Opt. Max. qui horum omnium auctor est, eum nobis sensum indidisse, quo inani nos expectatione falleret? Quis credat acerrimum illud & inexplebile immortalitatis & perfectæ felicitatis desiderium in animis nostris accendisse, quod tanto nos magis vexaret, quanto clarius intelligeremus numquam illud expleri posse? Enimvero ut hoc argumentum pressius adhuc urgeamus, quis concipiat tot bona nobis contulisse Deum, quemadmodum ex toto Naturæ aspectu liquet, & simul tot miseriis, tot doloribus, tot periculis, tot animi & corporis morbis nos obnoxios effecisse, summo cum desiderio ab illis evadendi, & nulla tamen cum spe nisi inanissima & vanissima liberationis illius obtinendæ? Quod si foret, utique sorte brutorum infelicior, sors nostra esset; utpote qui quantum ratione, tantum etiam miseriarum nostrarum sensu vanisque desideriis ab ipsis distaremus. Quod argumentum Ethnici Poetæ, Oratores ac Philosophi non male executi sunt; sed in via substiterunt, nec ad finem usque pervenerunt. Sapientissime de his disserit Theologus Heilderbergensis celeberrimus Joh. Ludovicus Fabricius, cujus locum non possumus non exscribere. Quod si igitur animis nostris ulterior vita non concederetur, eadem opera divina omnia & humana jura corruerent, ipsumque justitiæ & bonitatis gloria sacrilege exue-

re-

retur, fœdissimarumque fraudum abjectissimique mendacii se se alligaret. Dum enim se nostri singularem, ante alia omnia animantia, curam habere multis modis præseferret, iis tamen omnibus nos fecisset miseriores. Cuncta quidem nobis inservire & ad necessitatem atque voluptatem nostram esse comparata videntur. Et tellus, & maria, & fluvii, & quæcumque aspectabilis hic Orbis ambitu suo complectitur, servitium nobis debent; metalla, herbas, pecudes, pisces, volucres nonnisi nobis alunt. Cœlum ipsum, ut hæc omnia producantur, & ad usum nostrum luce collustrentur, perpetua rotatione circa nos volvitur. Ita excelsi, ratione instructi, & libertate elati, videmur rerum Domini, minimis interim, si immortalitatem demas, bestiolis inferiores. Nam & ea quæ cum illis communia habemus, plus ipsis voluptatis, quam doloris, plus nobis doloris, quam voluptatis, afferunt; & quæ propria nobis sunt, suppliciorum veluti locum tenent. Visu pollent acriori etiam quam nos, sed qui neque luctuosæ Patriæ vastitate, aut fortunarum incendiis, neque Parentum, aut liberorum, aut dulcissimorum amicorum cadaveribus offenditur, neque eorum collacrymatione hebetatur. Neque tristibus nuntiis, neque probris aut calumniis earum aures percutiuntur. Nostrum forte corpus, quam illarum, est artificiosius constructum, sed non alio fine, nisi ut plures in tam subtili tot partium compage fiant dissolutiones, nosque adeo plurium morborum tormentis excruciemur. Viget nobis memoria, sed ut ea pristinos dolores revocando, & ultra naturæ terminos extendendo, crudelius dilaceremur. Quo quis enim in hoc ævo est perspicacior, eo si nulla alterius vitæ spes reliqua sit, miserior est. Qui vero bestiis proximiorem habet animum, stupidior agit; neque ærumnarum suarum sensu tam acriter divexatur. Quod si igitur toti mortales essemus, nullæ certe Deo deberentur gratiæ, eoquod nos homines nasci voluisset; quia brutum esse juvaret, futurorum malorum securum, præteritorum immemor, de præsentibus non anxium, neque tot importunis sollicitudinibus distractum, neque tot tamque diuturnis morbis excarnificatum. Porro & alia via insigniter nos ludificaretur Deus, quod natura & universali, sed ea vanissima & toto genere frustranea perfectæ felicitatis cupiditate nos incenderet, dum naturalem interim bestiarum propensionem expleret, nobis excellentissimis, scilicet operum suorum Principibus, naso suspensis. *Hæc Theologus ille eximius. Quibus evidenter ostenditur, sublata animorum immortalitate & felici post hanc vitam statu, Dei bonitatem in genus humanum vindicari non posse, hominesque brutis ipsis infeliciores fore.*

11. Hactenus Turretinus, cujus ad rationes ab Hayero adoptatas si animum advertamus, iisdem effici comperiemus animam non solummodo ad longum tempus, sed etiam ad sempiternum cum suis cognitionibus & appetitibus esse permansuram. Ardens enim illud desiderium, quo quisque inflammari se sentit, spectat felicitatem absolutam & omnibus numeris perfectam, cujus ad perfectionem multum, immo totum deesset, si tandem aliquando esset cessatura corruptione aut substantiæ ipsius animæ aut cognitionum & appetituum, quibus eadem summo bono fruatur. Sed redeamus ad Hayerum, qui articulis 16. & 17. ita accurate expendit rationem a Generis Humani consensu petitam, ut locum hunc e gallica in latinam linguam ante conversum hic exscribere præstet. „ Concors omnium hominum consensus ratione habita immortalitatis animi non est res temere inducta. Deinceps cum revera

ra tenere conficiemus. Eo posito interim examinamus an immortalem animæ vitam reipsa suadeat. Tullius ita suam explicat mentem cap. XV. l. I. Tusc. Disp. *Quod si omnium consensus naturæ vox est, omnesque qui ubique sunt, consentiunt esse aliquid quod ad eos pertineat qui vita cesserint, nobis quoque idem existimandum est*. Hæc verba complectuntur summam eorum quæ dicturi sumus. Certum & exploratum est, si consensus est vox naturæ, esse vocem ipsius Dei, ideoque ipsius veritatis. Vox præjudicatæ opinionis nimium sæpe cum ipsa natura confunditur. Si alteram ab altera distinguere velimus, hæ mihi videntur ad eas internoscendas idoneæ notæ. 1. Universalis consensus est naturæ vox, si ad ipsius incunabula perveniri non potest, nisi ad incunabula naturæ perveniamus. 2. Si variæ nationes in eo consenserunt, repugnantibus licet varietate temporum & locorum, contrarietate ingeniorum & utilitatis, & discrimine opinionum ac morum. 3. Si ut quæque gens claritate doctrinæ, & honestate morum aliis maxime præcellebat, ita hanc sententiam firmissime tenuit. 4. Si eamdem homines nulli addicti sectæ amplexati sunt, nec eam impugnarint nisi ut a principiis quæ semel imbiberant, non descifcerent. 5. Si inter ipsam & alias veras enuntiationes a natura sine ullo dubio inditas arcta & necessaria necessitudo intercedat. 6. Si adversus conatus quos facimus in depellenda ab animo alterius vitæ notione, ad eamdem inviti revolvimur invidiosam veritatem. 7. Tandem hic consensus est naturæ vox, si ut plurimæ ætates aliæ aliis succedunt, & sana Philosophia suum lumen longissime diffundit, eo maxime sententia hæc evolvitur, illustratur, corroboratur, & plurimos sibi comparat astipulatores, quoniam ut scribit Romanus Orator, tempus delet humanarum commenta opinionum, & naturæ judicia confirmat. Quod si natura penitus non obmutuit, si aliquoties suam declarat mentem, si uno verbo aliquam vocem pronuntiat, his notis eam agnoscere oportet. Quamobrem ubi docuerimus has omnes notas cadere in universalem hominum consensum, quod pertinet ad animi immortalitatem, extra omne dubium erit hanc esse vocem naturæ, vocem Dei, vocem veritatis. 1. Hujus origo sententiæ est eadem ac mundi. Quos non suscepere labores Materialistæ, ut a consequentibus ortum mundi temporibus illius originem repeterent. Nihil tamen rationi consentaneum producere potuerunt. Nonne illud quoque universe fassi sunt homines a priscis ætatibus cœpisse habere animam pro substantia a corpore, quod informat distinctam, & per se ipsam exsistendi capacem? facile est intelligere, quanti hæc confessio constet incredulo (Voltairium citat *Lettres Phil. art. de Locke*) sola excellens evidentia eam potuit extorquere. 2. Repugnantibus diversitate temporum atque locorum, contrarietate ingeniorum & utilitatis &c. variæ nationes in eo consenserunt ut animam crederent immortalem. Quoniam homines superbi sunt, amant se super alios efferre, & modo agere singulari; si ab aliquibus discedas veritatibus, quæ sunt primæ mentis humanæ notiones, aut ex iis perspicue colliguntur, nihil est in quo inter omnes conveniat. Nec in ipsismet primis notionibus semper inter omnes homines convenit; quia Pyrronistarum secta magnum protulit numerum fatuorum, qui dubitabant affirmare se clare videre in meridie; sed hujusmodi homines pro nihilo habendi sunt, cum de consensu generis humani disputatur. Si hujus originem consensus quæsieris, invenies eam repeti oportere aut ex eo quod veritas quæ est illius objecta materies, ab eodem fonte

 manat,

manat, atque ab institutione communi, quo in eventu a primo homine sumsit initium; aut ex eo quod sic naturalis est hominis menti, ut hæc ipsa per se illam amplectatur simul ac in mentem incurrit; aut ex eo, quod plane evidenter ex quibusdam ducitur principiis, quæ sana ratio pro certis habet & exploratis. Quæ Gentes fama doctrinæ & morum magis floruerunt præ Hebræis, Chaldæis, Ægyptiis, Græcis, Romanis, Gallis? Jam vero apud hujusmodi Populos sententia immortalitatis animæ magis viguit. Optimi Principes, maxime magnanimi Heroes, summi Philosophi summopere præstiterunt in firma hujus persuasione sententiæ, quæ, uno verbo, est id, in quo selectissimi hominum convenere. Quæ contradictoria hic non obtrudit secta Epicureorum? Homines, secundum quorum principia ratio & virtutes sunt nomina sine re, appellari ne poterunt Sapientes atque Philosophi? Qui naturam humanam adeo dejiciunt, & de sua deturbant dignitate, sunt ne digni qui ad eam pertineant? Nos profecto, nec sine certa ratione, pudet, cum his consentire Magistris. Ab Augusti temporibus hæc secta turpem Gregis porcorum appellationem ob sua flagitia meruit secundum illud Horatii l. 1. epist. 4. v. 10.

Quem ridere voles Epicuri de Grege porcum.

Jam vero homines, qui rationem habent pro commento, quorumque natura in naturam belluarum voluptate transformata est, rationi monstra videntur, eorumque os est instrumentum cupiditatis, non boni sensus. 4. Sententia adeo universalis non potest existimari sectæ cujusdam opinio. Qui Solem in meridie lucere ait, inter cujusdam sectæ astipulatores numerandus non est, tametsi scholæ Pyrrhonis asseclæ id esse exploratum negent. Est ne quæstio mortalitatis animarum? Epicurum ut secum ipse suisque principiis constaret, hoc etiam absurdum admittere debuit. Atomi & inane sunt ex ipso rerum omnium primordia. Ergo necesse homini fuit animam ex complexione atomorum componere, eamque constituere talem ut in morte ejusdem foret conditionis, ac vapores & fumus, ideoque dissiparetur. 5. Immortalitas animæ est arcte & necessario apta & connexa cum aliis veritatibus, quas Epicurus ingenitas arbitratur; cujusmodi est, ipsius sententia, exsistentia divinitatis. Fortasse petes qui hæc cohæreant cum ipsius principiis; sed meum non est conciliare contradictorias Materialistæ enuntiationes. At enim hic Philosophus incorruptis moribus erat; esto: putabat ergo honestum a turpi re ipsa discrepare. Verumtamen contrarium docebat idque suis consequenter principiis; quoniam non aliud fatebatur esse bonum nisi physicum, nisi delectabile, nisi utile. Hominem video flexis genibus ante altaria, suisque Diis preces, vota, & sacra facientem. Quo spectant hæ Religionis significationes? ut sibi apud populum conciliet famam hominis frugi ac pii. Hæc vero postulant eum cognovisse discrimina inter bonum & malum morale; Deique exsistentiam, & communem hominum persuasionem circa ipsius Providentiam. Cum vero hæc cum animæ immortalitate sint arctissime colligata, adhuc dubitamus hujus veritatis Magistram fuisse naturam? 6. Tametsi nitamur evellere ab animo alterius vitæ notionem, eamque odio habeamus, inviti ad eamdem revolvimur. Ipsemet Lucretius fatetur mentem, natura duce, huc ferri ut supplicia timeat alterius vitæ, atque Epicuri discipulo necessarium esse ut se obduret hanc adversus impressionem. Idem fatetur Hobbesius Materialistarum Recentiorum Oraculum. „

12. Hactenus Hayerus qui alia profert exempla ad id persuadendum, quemadmodum & nonnulla in medium producit ut doceat sententiam immortalitatis animæ in dies magis magisque vigere & corroborari, & ab omnibus esse receptam, si discedas ab aliquibus paucis iisque minutis Philosophis, quorum auctoritate de universali consensu nihil decedit. Huic argumento non parum accedit roboris ex iis, quæ in Logica §. 233. n. 19. & seq. disputavimus. Verum Bælius (*oeuvres diverses t. 3. p. 714.*) illud elevare conatur ex eo quod natura ferimur ad vindictam atque ad superbiam, qui impetus certe a Deo cieri non potuerunt. Auctor respondet se de natura loqui, quam ratio ducit, non de natura inclinata ad actiones, quas ratio reprehendit, cujusmodi sunt vindicta & superbia. Mihi videtur sic responderi posse. Qui partis inferioris appetitus ad malum tendunt, quales sunt desiderium vindictæ & animi elatio, eos non posse repeti a Deo tamquam ab auctore clarissima ratio suadet. Eadem docet ab humanæ libertatis abusu primam traxisse originem. Sed quomodo id factum fuerit, aut fieri potuerit, naturalis ratio explicare non potest; sed opus fuit revelatione, quæ nos admoneret humanam naturam rectam fuisse creatam, atque veris notionibus bonisque appetitibus a suo Creatore donatam, Protoparentis vero culpa depravatam fuisse. Hoc posito certum est hanc communem immortalitatis animæ persuasionem ab humanæ libertatis abusu ortum ducere non potuisse, quia summopere adversatur iis animæ erga hæc bona præsentia appetitibus, quibus libertatis abusus acceptus ferendus est; timor enim miseriarum alterius vitæ perennis, qui cum hac persuasione conjunctus est, nimia tristitia suffundit omnes hujus vitæ voluptates, quas æternam pœnam manere dubitamus. Hac de caussa Lucretius hæc canit l. 3. v. 37. *de Rerum Natura*

Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus
Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo;
Omnia suffundens mortis nigrore; neque ullam
Esse voluptatem liquidam puramque relinquit.

Ergo hæc adeo longe lateque diffusa & ab ipso naturæ humanæ principio ducta persuasio non potuit nisi ab auctore naturæ proficisci, qui eamdem vel in systemate idearum ingenitarum ipse per se impresserit, vel in altero acquisitarum §. 112. & seq. Log. adminiculo sensuum in omnibus generaverit.

13. Tum auctor articulo hunc, quem exscripsimus, sequenti, proponit solvitque difficultates, quibus argumentum hactenus expositum infirmare conati sunt Materialistæ; atque hæc scribit. „ Quamtumvis firma sit ratio, quam pro animæ immortalitate ex universali hominum consensu docuimus, recentior Materialista (auctor libri inscripti *l'Ame & son immortalité*) his contendit eam tollere e medio. Antiquitas aut per omnes homines propagatio cujusdam sententiæ, & numerus eorum qui eam amplectuntur, sunt ne semper nota veritatis? Si hoc principium semel admiserimus, quid fieret de Christiana Religione? Est ne aut antiquior Judaica, aut magis diffusa præ Idololatria per ipsos quinque mille aut sexmille annos? An potest inter suos sectatores recensere nomina clariora quam Socratis, Platonis, Aristotelis? qui licet ingenio & doctrina præstantes in absurdas opiniones delapsi sunt circa naturam universi, circaque ipsius originem atque finem, deque auctore naturæ multis puerilibus & ineptis opinationibus imbuti fuerunt. Est ne impossi-

bile ut in simili errore fuerint circa id quod pertinet ad animæ immortalitatem? Num disputatio hæc erat ipsis minus obscura, ipsorum ingenio magis accommodata, minusque altior nostris cognitionibus atque luminibus? „ Quibus ita satisfacit „ Quid sunt hæc omnia nisi vaga & incerta accusatio, quæ nos minime attingit? esse errores vetustos, & longe lateque diffusos convenit inter nos. Sed in medium producatur unus, qui gaudeat temporum & locorum amplitudine, quam in sententia immortalitatis animorum ostendimus. Animadvertite, quæso, necessariam esse proprietatem utramque. At si vestrum principium semel, ajunt, admitteretur quid fieret de Religione Christiana? In quod ex nostris principiis incurrit periculum? Est ne antiquior, urgent, Judaica? Jocularis quæstio. Quid enim erat Judaica nisi principium & veluti rudimentum Christianæ?„ Quod comprobat pluribus Novi Testamenti locis paucisque interpositis sic pergit. „ Quodlibet antiquitatis genus non est idonea nota, qua verum a fallo internoscamus. Soli primæ & remotissimæ antiquitati hæc prærogativa tribuenda est. Revera si dum homo ex manibus sui conditoris egrediebatur, anima immortali vita se esse donatam putabat, inde necessario consequitur se animæ immortalitatem didicisse ab eo, a quo fuit e nihilo eductus. Numerum doctorum longe superari a numero stultorum & ignorantium ultro fatemur. Id nimis verum est. Quid inde adversus nostram sententiam concludi potest? Illud ne ea dicunt mente ut intelligamus solos fatuos & ignaros sententiæ, quæ animæ immortalitatem defendit, assensum dedisse? Verum nonne noster adversarius ipsemet inter hujus systematis defensores enumerat Socratem, Platonem, Aristotelem, ideoque omnes tantorum virorum astipulatores? Quo nobis ore Epicurum, Lucretium, Hobbesium, & duodecim alios Philosophos hujus an vis, an debilitatis? obtrudent ut lumina orbis terrarum, & præter illos aliud nihil nisi errores & tenebras umquam fuisse contendent?

14. At enim Bælius, quo aliqua pro animæ immortalitate ratio ex hoc universali consensu duci possit, opus esse ait primum docere illum revera semper obtinuisse, atque idcirco ajentia producere testimonia, quæ omnes populos ita sensisse comprobarent; tum certis rationibus habere exploratum homines usque ad mundi finem in ea sententia permansuros. Nimium est quod hic postulatur. Si ajam virtutem semper fuisse amatam, & in pretio habitam atque futurum ut usque ad finem mundi ametur & in pretio habeatur, postulabitur ne ut ajentibus comprobem testimoniis omnes orbis terraquei nationes in eo convenisse? Nullus timeo ne fallar, si asseverem paternum amorem esse propensionem a natura impressam. Verumtamen nullum historiæ monumentum certum me reddit in omnibus omnium nationum hominibus qui aliquando vixerunt, eam propensionem fuisse, nullaque certa ratio proferri potest, quæ nos certos faciat eam usque ad finem exstituram. Sunt quædam rata principia, a quibus profecti certum judicium pronuntiare possumus de opinionibus atque propensionibus omnium hominum, suntque hæc. Deus semper idem fuit, homines quoque quod attinet ad intimam ipsorum naturam. Semper creditum est virtutem esse amore, existimatione & honore dignam. Semper hæc invaluit persuasio homini probo deberi præmia, improbo pœnas. Semper homines quæsti sunt de bonorum ac malorum in hac vita distributione, in qua ita cum virtute actum est, ac meritum erat solum vitium, cum in-

te-

terea crimina ab humanitate maxime aliena opibus & gloria florerent. Hæ res quarum evidentia sic ipsos sensus lacessit, erant principia, ex quibus adminiculo consecutionum, quæ ipsæ per se in oculos incurrebant, esse alteram vitam colligebatur. Ex iisdem rebus usque ad mundi finem ratio similiter concludetur; atque in hoc posita est nostra firma animi persuasio quod attinet ad tempus futurum. Et quemadmodum in tanta hominum multitudine aliquis profecto invenietur inhumanus, qui aut filios non curabit, aut etiam odio prosequetur, ita semper erunt aliqui divinitatis & suimetipsius inimici Materialistæ.

15. Persuasio immortalitatis [scribit alter incredulus auctor libri *De la nouvelle liberté de penser* pag. 101.] non tam confirmat animæ immortalitatem, quam suimetipsorum amorem in hominibus, qui cum non possent sine mœrore cogitare certo futuram sui perniciem, hanc blandam commenti sunt rationem post corporis mortem perstandi in una sui portione, quæ numquam interiret. Si amor sui hanc impressit in hominibus persuasionem, est profecto amor rectus, ductum rationis sequens, & ingenitus a natura, nullo autem pacto ille cæcus amor, qui solis delectatur commentis; cujus ratio sub sensus cadit. Nam quæ commenta sui dilectio cudit, ea sunt semper jucunda. Ergo solas cudisset notiones aut camporum Elisiorum apud Gentiles, aut Paradisi apud Christianos. Quæ sui dilectio fingere potuit aut Tartarum aut inferos? Rursus si amori sui seductori notiones perfectæ & absolutæ in altera vita felicitatis acceptæ ferendæ sunt, quoniam hæc esse comparata non poterat nisi iis, qui justitiæ & virtutis leges adamussim sequerentur, inde jure ac merito consequitur futurum fuisse, ut incredibilis impiorum numerus, qui has non poterant animo concipere spes, has fabulas risu exciperent, & exiguum numerum eorum, qui hac spe lactari se finebant, contemnerent veluti fatuos, qui contra omnem rationem triumphum in altera vita sibi decretum expectare poterant. Nemo amat sibi res quæ terrorem injiciunt, proponere. Ea est conditio timoris, ut in eo non perstemus, nisi quoad opus fuerit ad eum depellendum. Nihilotamenminus impii experti sunt & etiamnum experiuntur hosce timores, a quibus eos non defendit persona heroicæ constantiæ, quam induunt; propterea quod cum suorum criminum sibi conscii sint, sibi in animum inducere nequeunt se non esse dignos qui puniantur.

16. Urget idem auctor (pag. 102.) mirum non esse si hæc alterius vitæ bona & mala, quæ hominibus ab incunabulis repræsentantur, fortius moveant animos, quam posteriora rationis dictata, & fidem acquirant apud homines ipsos per se debiles, & repletos timore, ac spe & obsequio erga dogmata Religionis, quam lacte suxerunt, præsertim cum eos affectus mortis cogitatio ita maxime renovet, quo ad eam proxime accedunt. Ut hoc ratiocinium sit Philosopho dignum, aliud non desideratur quam alicujus momentum rationis. Siquid volebat conficere, opus erat ut doceret lectiones quas hausimus ab infantia, cum ratione pugnare. Sed omnis Materialista tandem aliquando deberet silentio præterire vocabula rationis atque virtutis; ex ipsius principiis non est nisi machina, ideoque ad summum vegetare potest; ipsius systema ratione habita rationis est idem, ac circulus ratione trianguli. „

17. Hactenus Hayerus de hoc celeberrimo immortalitatis animæ argumento; qui alia profert quæ ne longius faciamus, omittimus; præsertim cum

quæ

quæ allata sunt, satis superque esse ducamus ad obtinendum finem qui nobis hic propositus est. Idem auctor articulis octodecim, in quibus argumenta exposuit pro animæ immortali vita, subjungit decimumnonum, in quo vim ipsorum expendit, & adversus Materialistas Recentiores contendit iisdem plane evidenter confici animam corpori superesse & vita frui, & jure ac merito, quia ex altera parte quod ex principiis plane evidentibus legitime deductum est, etiamsi per longum circuitum id fiat, plane certum & evidens est; atque ex altera ex Dei exsistentia & ex ipsius attributis quæ prorsus evidenter confecta fuerunt, adminiculo eorum, quæ in hac vita usuvenire certo scimus, animam post mortem corporis esse superstitem rite colligitur. Negat tamen similiter effici animam vita immortali & æterna fruituram. Qua de re audiamus quid scribat Cl. Alembertus tom. 4. ipsius Operum quæ inscribuntur *Melanges de Litterature, d'Histoire, & de Philosophie* in Commentario inscripto *Elemens de Philosophie pag.* 73. his verbis e gallica in latinam linguam translatis. „ Philosophia suppeditat urgentia (*pressans*) argumenta exsistentiæ alterius vitæ. Firmissimis utimur rationibus quæ suadeant animam in æternum permansuram, propterea quod Deus illam non posset corrumpere quin prorsus in nihilum redigat; destructio vero ejus quod semel creavit, non videtur esse consentanea finibus divinæ sapientiæ; ipsaque corpora non corrumpuntur nisi transformatione. Sed ex altera parte belluarum exemplum, in quibus substantia materialis cum ipsis perit, hocque principium quod nihil eorum quæ creata sunt, ipsum per se & natura sua est immortale, satis sunt ad id comprobandum potuisse Deum creare animam, quæ solum per aliquod tempus permaneret. Ita inscrutabilia Dei æterna decreta nos ex aliqua parte incertos relinquerent circa rem tanti momenti, nisi revelata Religio naturali lumini in subsidium veniret, non ut totum præstaret, sed ut suppleret illud parvum, quod in eo desideratur. Ex altera parte virtuti sæpe in hac vita infelici a justitia Summi Entis premia post mortem debentur; ex altera revelatio nobis exploratum facit, cur Deus qui virtutem remunerari debet, eidem premia in hac vita non tribuat, & sinat eam infelicem esse, tametsi mereri non videatur. Sola Religio, ait Paschalius, impedit ne status hominis in hac vita sit enigma. Id est quo semper spectare debent Philosophi, dum immortalitatis animorum tractant quæstionem, in qua, quemadmodum & in disputatione exsistentiæ Dei, argumenta directa, quæ rationem non excedunt, secernere debent ab objectis quorum solutionem revelatio suppeditat. Verumtamen valde mirum est pluribus antiquis Philosophis tametsi lumine revelationis carentibus placuisse animam immortali vita gaudere, cum interea spiritualem animæ naturam, quæ est pura Philosophiæ quæstio, nemo eorum distincte cognoverit. Vanitas hominum, qui sibi de vita immortali blandiri amant, sapientes Gentilitatis huc deduxit, & si dicere licet, ipsorum error circa naturam animæ eos confirmavit in persuasione immortalitatis. Nullum esse videbant discrimen inter illos qui animam quidpiam esse negarent, interque illos, qui eam omni materia spoliabant: aliunde persuasi nullam materiæ moleculam posse perire, materiamque donatam sensu & cogitatione ideoque secundum ipsos tenuissimam & subtilissimam non posse sine sui pernicie, hanc amittere pro[illegible] inde substantiam animæ esse immortalem conficiebant. Sol[illegible] in[illegible] dissidebant de hujus substantiæ sorte post mortem, eorumque [illegible]

erant

erant totidem quæstiones cæcorum circa lucem. Nobis obtigit major notionum perspicuitas hac in re. Quæ difficultates adversus animæ hominum spiritualitatem & immortalitatem ab anima belluarum petuntur, nec rationem nec persuasionem sapientis turbant. Cum quibusdam Scholasticis non consugit ad eam jocularem & absurdam responsionem animam belluarum esse materiam, quia limitibus coercetur sentiendi, nec cogitandi virtute prædita est, quoniam novit sensationes & cogitationes ad idem pertinere principium, & experientia discit bestias migrare limites puræ sensationis. Quamobrem assentitur quidem animam belluarum esse ejusdem naturæ atque hominum quod attinet ad spiritualitatem, quod absurdum foret affirmare materiam sentire & cogitare in belluis, non in hominibus; sed simul fatetur discrimen inter hasce animas quod pertinet ad vitam immortalem, repeti tantum ex eo, quod Deus animam belluarum cum corpore interire, hominum contra in æternum durare voluerit „.

18. Ita Alembertus cui primum non concedo nemini ex antiquis Philosophis distincte perspectam fuisse spiritualem animæ naturam; propterea quod assentior Cl. Hayero, qui toties citato opere sub finem tomi secundi perspicue docuit plures ex veteribus conceptis verbis docuisse animam humanam esse incorpoream, magnitudine, figura, motu, aliisque necessariis corporum qualitatibus carentem, suamque sententiam a calumniis Marchionis Argenti in libro *La Philosophie de bon sens*, Voltairii *lettres philos.* aliarumque Materialistarum luculenter vindicavit. Nec etiam do Philosophorum opiniones circa statum animæ post mortem fuisse quæstiones cæcorum circa lucem atque colores. Certe talis non est Socratis sententia quam Cicero l. 1. Tuscul. disput. sic exposuit. cap. 30. his verbis. *Ita enim censebat itaque disseruit duas esse vias duplicesque cursus animorum e corpore excedentium. Nam qui se humanis vitiis contaminavissent, & se totos libidinibus dedissent, quibus cæcati velut domesticis vitiis atque flagitiis se inquinavissent, vel republica violanda fraudes inexpiabiles concepissent, iis densum quoddam iter esse seclusum a concilio Deorum; qui autem se integros castosque servavissent quibusque fuisset minima cum corporibus contagio, seseque ab his semper revocassent, essentque in corporibus humanis vitam imitati Deorum, his ad illos, a quibus essent profecti, reditum facilem patere.* Multo vero minus errat Socrates in hac re apud Platonem in Phædone, quo loco mirifice distinguit animos omnino puros & castos ab iis, qui aliquibus vitiis, sed non inexpiabilibus inficiuntur, statuitque primos statim evolare in cœlum, secundos autem per aliquod tempus ante purgari, quam in sedes, & in concilium Deorum introducantur. Hæc enim habet e græco in latinum translata. „ Cum mortui pervenerunt ad fatale animarum concilium ad eum locum, quo Dæmon eos ducit, omnes judicantur. Qui vitam duxere nec scelerum omnino expertem, neque criminibus omnino contaminatam, ad ea deducuntur loca, in quibus sustinent pœnas suis culpis proportione respondentes, quoad abstersa peccatorum labe in libertatem asserti, bonarum quas perpetrarunt, actionum mercedem recipiunt „ Ita Socrates apud Platonem, qui addit pœnis etiam affici solum per aliquod tempus, qui gravioribus quidem criminibus se inquinaverunt, sed vel non data opera, verum ex improvisa ira, vel eosdem pœnituit de perpetratis sceleribus; in æternum vero aut omnino scelestos & impios in Tartaro cruciari, aut castos & pios in Deorum conci-

ci-

cilio inexplicabilibus affici voluptatibus. Ad recitata verba si hujus temporis hæretici attenderint, tam esse rationi consentaneum intelligent expiationis locum pro aliquibus animis, qui non omnino puri ex hoc mortali corpore excedunt, ut ipsi quoque æthnici Philosophi in hujus cognitionem inciderint.

19. Verum hæc obiter, redeo ad Alembertum, & ajo saltem si agitur de quæstione an anima corpori superstes sit, an vero cum illo intereat, in rationibus a divinis attributis & præsertim ab ejus immutabilitate, providentia & justitia depromtis tantum esse momenti, ut non solum urgentes, verum etiam prorsus efficaces pro animæ vita post corporis mortem videri debeant. Cum enim animæ vita post mortem pendeat a voluntate divina, simul ac certis rationibus tenemus Deum velle, ut post interitum corporis animæ aut miseram aut beatam vitam ducant, certis quoque rationibus tenemus tale fatum nostras animas manere. Deum vero id velle exploratum habemus, si noverimus dicta ipsius attributa, quorum cognitionem ex certa naturali ratione hausimus, non posse consistere, nisi Deus ita decreverit. Id vero est quod in antecessum clare & evidenter docuimus. Ergo manet claras & evidentes esse rationes quibus animas post mortem corporis permanere suademus. Nam quod attinet aut ad imperscrutabilia Dei decreta universe, aut ad id quod de anima belluarum decrevit, nihil ex his erui potest, quod vel tantisper elevet allatas rationes; non prima, quia etsi universe decreta Dei investigari non possint, id tamen non vetat quominus in aliquibus humana ratio eadem investiget, & qualia sint, intelligat, quemadmodum facit in hac disputatione adminiculo cognitionum, quas de suis attributis Deus ipse concessit; non alterum, quia cum belluæ ratione & libertate ad merendum aut aut demerendum necessaria non utantur, apparet insigne discrimen inter ipsarum animas, interque hominum, nec in eas valet ratio pro hominum animis inde petita a divinis attributis. Sed hac de re vide quæ supra disseruimus §. 136.

20. *Dixi cum agitur de quæstione an anima corpori superstes sit, an vero cum corpore intereat.* Nam si agitur de illa an anima corpori in æternum superstes sit, do Hayero hanc æternam animæ durationem prorsus evidenter non effici iis rationibus, quæ a divina Providentia & Justitia deducuntur, proptereaquod non omnino perspicuum esse videtur Deum; si providus sit & justus, debere æternis premiis eos remunerari, qui suis præceptis in hac vita obtemperaverunt, aut æternis afficere pœnis eos alios qui ejusdem legem migrarunt, hisque attributis satisfacere non posse diuturna, tametsi non æterna, utriusque generis compensationum duratione. Sed puto confici posse iis aliis, quæ ab universali hominum consensu ducuntur. Nam cum illa generalis hominum persuasio circa æternitatem futuræ aut beatæ aut miseræ vitæ originem, ut supra docuimus num. 11. 12. ducat a Deo non minus quam sensationes corporum quæ nos circumstant, in anima nostra excitatæ ab eodem oriuntur, ob ipsius summam bonitatem, qua fit ut nos fallere nequeat, tam certum & exploratum est exstare corpora §. 124. quam alteram per æterna sæcula duraturam vitam. Hæc enim persuasio est ex genere eorum, quorum falsitatem, si reipsa falsa forent, nulla ratione deprehendere possumus. Siquidem ex altera parte animæ substantia simplex ipsa per se in æternum durare postulat, nec in nihilum redire potest nisi cessatione divinæ conservationis quæ cessatio a libera Dei voluntate proficiscatur; & ex altera prorsus divinæ bonitati consenta-

taneum esse cognoscimus, ut animas sibi caras & amore conjunctas in æternum beatas apud se manere decreverit; ejusdem vero justitiæ ut animas culpis obstrictas & a se aversas pariter æternas scelerum pœnas luere. Jam vero in Logicis §. 233. n. 12. monstravimus futurum ut Deus nos fallat, si eas in anima nostra gignat sensationes, ex quibus apparet exstare corpora, & nihilominus corpora non constarent, propterea quod in hujus erroris, si talis foret, cognitionem nulla ratione venire possumus. Ergo eodem jure & multo magis colligere possumus fore ut Deus nos deceperit, si talem in animis hominum persuasionem impressisset, & nihilominus hæc æterna animæ post mortem vita inter fabulas & commenta recensenda foret. Quod cum manifeste summam Dei veritatem dedeceat, planum fit hac ratione æternam animæ vitam persuaderi.

21. Quod attinet ad illud objectum, quod ducitur ex anima belluarum, mirum est, quantum quique Philosophi laborent in contrariis suæ opinioni sententiis in invidiam vocandis ea de caussa, quod cum Christianæ Religionis dogmatis parum consentiant. Peripatetici redarguuntur ex eo, quod cum hanc animam immaterialem quidem ponant, sed non tamquam substantiam prorsus a materia discretam, verum tamquam formam, quæ ex sinu materiæ educta in eadem reperiatur; inde sequitur etiam humanam esse posse formam quamdam ex sinu materiæ divina extractam potentia, quæ idcirco cum corpore destruatur, eo quia si id quod habet sentiendi & aliqua cognoscendi vim, non est substantia a corpore distincta, fieri posse videtur ut etiam id quod non solum sentiendi, verum & omnia cognoscendi virtute potitur, sit forma ex materia elicita, non autem substantia ab ea separata. Cartesianis, qui sola sensationis signa, non veram sensationem belluis tribuerunt, objicitur hoc pacto occasionem impiis præberi, ut inde colligant etiam in hominibus sola sensationis cognitionisque signa, non autem veram sentientem cogitantemque substantiam inesse. Qui vero substantiam extensionis expertem in belluis agnoverunt, in crimen vocantur, quod aut vitam rationalem atque immortalem etiam belluis esse concedendam inde consequitur, aut si animæ belluarum intereunt, animas quoque hominum similiter esse interituras elici potest.

22. Verum ut in hoc difficili ac salebroso loco meam expromam sententiam, nihil esse periculosius existimo ratione Peripateticorum. Nam si semel facultas sentiendi & aliqua cognoscendi ita corpori & materiæ tribuitur, ut opus non sit substantia extensionis experti & a materia & corpore secreta, in qua eadem vere insit, quis jure ac merito cohibere poterit Materialistas, ne in corpore sine ulla ab eodem diversa substantia facultatem quoque cognoscendi universalia atque inde pendentem ratiocinandi reponant? Quid enim est universalium cognitio, nisi pars quædam cognitionis singularium, quatenus anima attendens ad ideas, quæ per sensus ingressæ sunt, eorum tantum, in quibus plures ideæ conveniunt, rationem habet, non vero eorum, in quibus discrepant §. 112. Log.? Quare si facultas sentiendi cognoscendique singularia in corpore esse quit sine ulla a corpore distincta substantia, quid ni possit esse in eodem facultas ita ad rerum singularium ideas attendendi, ut inde universales eliciantur? Quod si ita est, quænam est reliqua ratio ostendendi animam humanam, facultate universalia cognoscendi donatam, esse substantiam a corpore disjunctam, & hoc pacto cohibendi materiæ assertores, ne puræ materiæ pu-

puroque corpori hanc facultatem ascribant? Quamobrem hac explosa sententia ajo minus esse periculi in Cartesiana, eoquod cum quisque suæ cognitionis & appetitionis sit conscius, utut res se habeat de anima belluarum, de sua cognoscente & volente substantia certus est, indeque aliorum sibi similium hominum similem pariter substantiam colligere potest. Verum ob ea, quæ alias sum disputaturus, nimis a recta ratione, & a philosophandi methodo abhorrere puto Cartesianum systema.

23. Quare aliud nihil est reliquum, nisi ut amplectamur eorum sententiam, qui animam toto cœlo a corpore diversam, eamque extensione carentem in brutis animalibus agnoscunt. Nec inde aut aliquid sequitur fidei christianæ adversum, aut ansam arripere possunt Materialistæ ad labefactandam animæ humanæ immortalitatem. Cum enim ad hanc necesse sit, ut non solum perstet substantia, verum etiam exercitium operationum, quæ sunt ejusdem propriæ, nemo non videt posse animam belluarum a corpore disjunctam durare, quin tamen immortalis jure ac merito dici possit, si modo vim sentiendi atque appetendi, quæ in nostro systemate est animæ accidens, in ipsamet a Deo genitum atque creatum §.91. & seq. Deus creare & conservare desinat. Differentia vero superius observata §. 136. inter operationes animæ belluarum, interque operationes humanæ satis evincunt primam ad vitam in corpore degendam, alteram vero ad immortalem vitam etiam extra corpus continuandam a Deo O. M. fuisse destinatam, ut ex eo, quod illa mortalis ponatur, nullam Materialistæ rationem eruere queant ad hujus quoque mortem similiter defendendam.

CAPUT TERTIUM.

De anima belluarum.

§. 141. Systemata

IN hac disputatione Peripatetici volunt esse in belluis sensationem quidem & cognitionem aliquam rerum ad corpora pertinentium, ut observationibus compertum sit, sed sine aliqua substantia immateriali & incorporea. Cartesiani autem nullam esse veram sensationem cognitionemque, sed solam earum speciem, earumque animam in subtiliori quadam fluidaque materia positam esse. Comes vero Magalottus in epistola ad doctissimum nostræ ætatis Cardinalem Quirinum Leibnitiani Wolphiani aliique plures veras in bestiis sensationes cognitionesque ponunt, sed una cum immateriali substantia, quæ nihil corporei habeat.

§. 142. Propositio

Cum his dicimus veras in belluis esse sensationes atque cognitiones & appetitus; 2. easque prodire ab anima, quæ sit extensionis expers atque materiæ; 3. sed longe inferioris gradus quam sit anima humana, & ex duabus animæ facultatibus cognoscendi, partis

tis inferioris & superioris, solam inferiorem habente.

Prob. 1. pars. Ab eo quod experientia omnium sensuum suadet, discedendum non est, nisi evidenti ratione illud repugnare ostendatur. Nam omnium consensus sensationum certam facit cognitionem in tanta rerum obscuritate, totque subtilium rationum fallaciis, ut in Logica docuimus §. 222. & seq. Sed omnium sensuum quotidiana experientia liquidum facit esse in belluis sensationes doloris & voluptatis, rerumque materialium cognitionem atque memoriam; & alioquin nulla evidenti ratione id tamquam repugnans ostenditur; id quod solutione objectorum faciam compertum. Ergo in belluis sunt veræ sensationes, cognitiones atque appetitus.

2. Prob. 2. pars. Substantia sentiens atque cognoscens debet esse immaterialis atque incorporea §. 120. & seq. atqui in belluis ex prima parte sunt sensationes & cognitiones, atque idcirco est substantia sentiens atque cognoscens. Ergo in belluis est substantia immaterialis atque incorporea, ab eaque sensationes cognitionesque proficiscuntur.

3. Prob. 3. Nulla bellua adhuc observata est acquisivisse eam cognitionum seriem atque ordinem eamque judicandi & ratiocinandi vim, quæ in omnibus fere hominibus reperitur, ab iisque paulatim & sensim acquiritur. Atqui id oritur ex eo, quod belluarum anima est longe inferioris gradus præ humana, & præsertim ex eo, quod illa solam habet inferiorem cognoscendi partem. Ergo &c. Prob. min. Id oritur vel a sola differentia inter animam belluarum & hominum, vel a sola differentia inter corpora eorumdem, vel ab utroque. Si a primo, aut tertio, constat quod propositum est. A solo autem secundo proficisci nequit. Nam hæc differentia vel est in solo cerebro, vel in organo loquendi, & ideas exprimendi per vocabula, quod ad ideas universales & ad ratiocinandi vim comparandam etiam in hominibus esse necessarium docuimus §. 143. Log. Jam vero cerebrum multarum belluarum esse idoneum ad seriem aliquam idearum sensualium recipiendam, continuandam & per multum tempus conservandam compertum fit ex iis docilioribus feris, uti sunt psittaci & eæ, quæ ad formam humani corporis propius accedunt, quas vulgo appellamus *un Macaco*, quarum aliquas egomet vidi multa ex ordine ad Domini nutus præstare similia iis, quæ ab hominibus fiunt. Tantum vero abest, ut bestiæ ex defectu organorum careant facultate loquendi, ut multæ ex iis ab hominibus institutæ nedum aliquas voces, sed etiam satis longas periodos proferant, & plures etiam, quæ idem

præstarent, reperiri possent, siquis in eo suam vellet ponere industriam, quemadmodum canis ille de quo mentionem facit Leibnitius, qui aliquot germanicas voces pronuntiabat. Ergo si belluæ non sermocinantur, nec usum rationis acquirunt, id non oritur ex defectu aut organorum vocis, aut impressionum & vestigiorum cerebri, sed vitio vertendum est ipsarum animæ, quæ habet quidem inferiorem cognoscendi partem, non vero superiorem, idest ideas habet ab impressione in organa sensuum externorum & cerebri profectas, non autem virtutem eliciendi ex ipsis ideas abstractas & universales, atque earum ope comparandi rationis usum. Ergo ex his constat etiam tertia pars.

§. 143. Objectio.

Experientia non probatur esse in belluis veras sensationes cognitionesque. Ergo &c. Prob. min. Experientia probatur tantum esse signa sensationum; atqui ex eo, quod in belluis sint sensationum signa, non colligitur esse veras sensationes cognitionesque. Ergo &c. Prob. min. Non colligitur, si esse possint signa sensationum sine veris sensationibus; atqui esse possunt signa sensationum sine sensationibus, potentia Dei, qui quamvis creavit belluas ut pura automata, seu puras corporeas machinas, tamen ipse per se potuit in iisdem eos motus perficere, qui signa sensationum cognitionumque in hominibus sunt. Ergo ex eo &c.

§. 144. Responsio.

Dist. conseq. Ex eo quod sunt in belluis signa sensationum, non colligitur proxime esse sensationes co. non colligitur remote ne. Nam distinctis secundum vera Philosophiæ principia duabus certitudinibus, altera metaphysica, altera physica, ratio innixa principio *Impossibile est idem simul esse, & non esse* rem facit certam certitudine metaphysica ita ut neque per summam Dei potentiam res aliter esse possit; omnium vero sensuum testimonium creat certitudinem physicam, in qua tametsi per absolutam Dei potentiam res aliter esse queat, tamen attenta ejusdem bonitate, qui nos perpetuo decipere non potest, aliter esse nequit §. 222. & seq. Log. Quam certitudinem a constanti sensuum testimonio profectam Philosophus repudiare non potest. Inde enim sequeretur veram esse sententiam eorum, qui nullum volunt esse corpus, sed solam spiritualem substantiam. Nam ita rationem concludunt. Ex eo, quod in anima nostra fiant sensationes rerum externarum, non certo colligitur esse corpora & res externas, quia illæ sensationes sunt tantum corporum signa, cum Deus in iisdem animabus ipse

per

per se sine ullo corpore easdem excitare possit præsertim in nostra eaque vera sententia, quod corpora sunt tantum caussæ occasionales sensationum. Quare sicuti iis respondemus 1. certitudinem physicam ortam a sensibus repudiandam non esse, quod est unum ex instrumentis, quibus Deus nos providit, ut rerum cognitionem acquireremus; 2. eamdem corporum exsistentiam fieri certam certitudine metaphysica hypothetica, quia divinæ bonitati repugnat, ut in nobis sint continua exsistentiæ corporum signa sine ullis corporibus, & ideo perpetuo decipiamur: ita hæc duo similiter reponimus Cartesianis, & dicimus futurum fuisse, ut perpetuo deciperemur, si nobis forent signa semper præsto sensationum belluarum, & nihilominus belluæ nullam veram sensationem haberent. Ergo ex sensuum experientia si non proxime, saltem remote colligitur esse veras in belluis sensationes.

§. 145. Instantia

Atqui ex eo quod sunt in belluis signa sensationum, neque remote colligitur esse ipsas sensationes. Ergo nulla distinctio. Prob. min. sub. Neque remote id colligitur, si positis sensationis signis sine aliqua sensatione non sequatur Deum nos decipere; atqui positis signis sensationis sine sensatione non sequitur a Deo nos decipi. Ergo &c. Prob. min. positis signis omnibus, immo intimo sensu quod anima tamquam efficiens caussa moveat corpus, in nostro systemate non sequitur a Deo nos decipi, tametsi negemus animam esse motuum corporis caussam efficientem. Ergo positis signis sensationis sine sensatione non sequitur nos a Deo decipi.

§. 146. Responsio

Dist. conseq. Ergo positis signis sensationis sine sensatione non sequitur a Deo nos decipi, si evidentibus rationibus monstraretur non reperiri hujusmodi sensationes co. si non monstretur ne. Inter exemplum allatum & rem qua de agitur, hoc intercedit discrimen, quod physicus & efficiens animæ influxus in corpora falsus & impossibilis ostenditur evidenti ratione quam sequenti capite exponam. Unde in hac disputatione ex iis quæ in Logica disseruimus §. 233. n. 12. non est habenda ulla ratio illius, quod nobis apparet, nec inde sequitur nos a Deo falli, propterea quod Deus nobis rationem dedit qua falsitatem & impossibilitatem ejus quod apparet, dignosceremus. Qua de re dicto capite enucleatius. At nulla ratione conficitur falsum esse aut impossibile exstare sensationes, & animam iis recipiendis idoneam in belluis. Ergo si tot signa sensationum in belluis nobis Deus præbuisset, & nihilomi-

minus iisdem belluæ prorsus carerent, inde consequens foret nos a Deo continuate decipi: quod ipsius dedecet infinitam bonitatem.

§. 147. Instantia

Sed nullum est allatum discrimen, & experientia sensuum nec hac in materie ullam prorsus certitudinem gignit. Ergo nulla distinctio. Prob. min. sub. Res ita se habet si in belluis evidenter repugnet sensatio, & anima, quæ sit substantia inextensa & immaterialis. Atqui in belluis evidenter repugnat sensatio, & anima, quæ sit inextensa & immaterialis substantia. Ergo &c. Prob. min. Si in belluis foret sensatio & anima inextensa & immaterialis, eadem anima foret quoque immortalis. In belluis autem anima immortalis esse non potest. Ergo &c. Prob. maj. Quod intrinsecus non corrumpitur, est immortale; atqui anima inextensa & immaterialis intrinsecus corrumpi non potest, quia partibus caret, in quas resolvatur. Ergo &c.

§. 148. Responsio

Dist. maj. Quod intrinsecus non corrumpitur, est immortale in eo sensu, ut ipsius substantia in æternum perstet, si a Deo non redigatur in nihilum co. in eo magis proprio sensu, ut semper retineat vitam & suarum operationnm exercitium ne. Magalottus & alii, qui hanc immaterialis belluarum animæ sententiam defendunt, huic argumento reposuere, animam quidem immaterialem intrinsecus non corrumpi, quia resolvi nequit in partes, quibus caret, verum a Deo redigi in nihilum, cum belluarum corpus moveri & vivere cessat. Sed necesse non est ad illud confugere, quo ipsarum animam non esse immortalem sustineamus. Cum enim ex principiis supra statutis in continuato exercitio operationum, vel corporearum, si de vita corporis, vel spiritualium, si de vita animæ agatur, eadem vita posita sit §. 127. efficitur immortalem esse substantiam, quæ non solum perseverat, sed etiam exercitium retinet suarum operationum; mortalem vero, quæ licet permaneat, illud tamen amittit. His positis ajo belluarum animam esse mortalem, quia cum in ea sint tantum cognitiones rerum singularium & extensarum, deficiente corpore, quod est caussa occasionalis cur a Deo excitentur, omnis penitus cognitio & sensatio, atque ideo actio in iisdem aboletur. Qua de re vide quæ supra disseruimus §. 30. & seq.

§. 149. Instantia

Atqui si anima belluarum intrinsecus corrumpi non potest, immortalis quoque dicenda est. Ergo &c. Prob. min. sub. Si immorta-

talis non foret, inde ansam impii arripere possent defendendi etiam animam humanam esse mortalem; hæc vero ansa præbenda non est. Ergo &c. Prob. maj. Si anima belluarum, licet expers materiæ, tamen immortalis non est, naturali ratione confici amplius non potest humanam esse immortalem. Jam vero si naturali ratione id confici nequit, impiis ansa præbetur defendendi animam humanam esse morti obnoxiam. Ergo &c. Prob. maj. Si de anima belluarum res ita se habet, ex eo quod anima sit immaterialis, colligi nequit eamdem esse quoque immortalem. Atqui nulla est alia monstrandæ immortalitatis animæ ratio præter eam, quæ ab ipsius ducitur immateriali natura. Ergo &c.

§. 150. Responsio

Dist. nulla est alia ratio in sententia aliquorum co. in mea & aliorum ne. Utinam ex eo solum, quod anima hominis est immaterialis, colligi posset eam immortali vita gaudere, & suarum operationum tueri exercitium, ut aliqui contendunt. Verum id erui nequit, nisi prius ipsammet cognitionem ostendamus esse aut essentiam aut attributum animæ, quod ab ejus immateriali & incorruptibili essentia determinetur. Quod tantum abest ut ab aliquo præstitum fuerit, ut vim cognoscendi appetendique esse animæ accidens in ea jam constituta a Deo creatum jam ostenderimus §. 91. & seq. Hac de caussa §. 130. non elicuimus rationem conservationis cognitionum & appetitionum animæ a sola incorruptibilitate, sed etiam a divina voluntate, & ab iis rationibus, quas ad divinam voluntatem manifestandam ibidem num. 2. & sequentibus attulimus. Quo loco etiam dedimus rationem, cur Deus vires cognoscendi atque appetendi in anima humana, non autem in anima belluarum conservet §. 136. Quamobrem etsi immaterialis anima belluarum sit morti obnoxia, justa tamen ansa impiis non præbetur inde efficiendi etiam humanam esse mortalem.

§. 151. Animadversio

Difficultates hic urgeri possent ex eo, quod si anima belluarum est immaterialis & inferiorem habet cognoscendi partem, etiam superiorem, ut humana, in vi reflectendi & ratiocinandi positam posset acquirere. Verum his jam satisfecimus §. 30. & sequentibus, in quibus rationem produximus, cur anima humana ideas universales & rationem acquirat, non vero anima belluarum.

§. 152. Objectio II.

Anima belluarum in partes secari potest. Ergo non est substantia immaterialis atque inextensa. Prob. ant. Si vermes terrestres

in

in stercore inventi aut in locis palustribus in frusta dividuntur secundum latitudinem, non secundum longitudinem, singula frusta suam habent prioris animæ partem. Ergo &c. Prob. singula frusta moventur & dolere se ostendunt si pungantur; immo paulatim excrescunt, & ex ea parte, quæ caput respiciebat, aliud caput emittentia, ex ea, quæ caudam, aliam caudam, post aliquod tempus evadunt vermes priori similes. Ita Trembleyus in Anglia, Reaumurius tom. *6.* Hist. Insectorum, Marchio Maffejus in epistola *Della formazione de' fulmini* pag. 110., & novissime Anonymus in Epist. Italicis, quæ de hac re prostant tom. 37. *Opuscoli Scientifici del P. Calogerà* Venetiis, observavit singula frusta in vermes primo similes excrescere, etiamsi divisio in sex partes fiat, dummodo sit in transversum etiam discerpendo, non vero in longum; tunc enim segmenta emoriuntur. Vandellus autem in tribus dissertationibus Patavii impressi apud Gonzattum an. 1758. scribit se pluries observasse reproductionem terrestris lumbrici non in omnibus ex priore sectis partibus, sed solum in ea, quæ retineret, œsophagum, ventriculum, principium intestini & ductus flavi, cerebrum, cor & ovarium; alias partes post aliquot dies, aut menses fuisse mortuas, tumque vix cicatrices vulneribus obductas fuisse, semperque se offendisse ipsum intestinum vacuum terra, quæ est ipsorum cibus; putat vero eos, qui aliter scripserunt, fuisse deceptos ab ovis in terra residuis, quæ impossibile est ab eadem prorsus separare, ex quibus prodeuntes lumbrici, & crescentes eodem tempore, quo frusta rursus in terram satiscunt, pro partibus recisis & inde redivivis accepti fuere. Ergo &c.

§. 153. Responsio

Si vera est sententia Vandelli, sic dist. ant. singula frusta moventur ita tamen ut unum tantum ad summum veras habeat sensationes doloris, alia omnia per aliquod tempus suos perficiant motus solum ope spirituum animalium, & residuarum corporis virium co. aliter ne. Nam in hac sententia unum tantum ex iis frustis, quod habet omnes supra memoratas partes & præsertim cerebrum, in quo anima residet, in vermem priori similem excrescit, alia omnia paulatim emoriuntur; quod argumento est ipsum solum habere veram prioris animam sentiendi capacem, alia omnia per aliquod tempus aliquos perficere motus vi solius corporeæ machinæ sine ulla vera sensatione, quemadmodum si in hominis mortui tracheam insufflemus, renovantur cordis motus systoles atque diastoles, & solis corporeis viribus sine ulla animæ

ope

ope per aliquod tempus continuantur. Quare lumbrici anima in partes non dividitur, sed eadem quæ erat in cerebro primi vermis, permanet, & id solum contingit, ut quod frustum inclusam habet animam immaterialem, paulatim partes abscissas emittat, quemadmodum arbor, excisis ramis, alios emittit.

§. 154. Altera Responsio

Sin autem sententia aliorum vera est, de qua valde dubito ob rationes ex Vandello relatas, sic dist. singula frusta sentiunt ob aliam animam distinctam ab ea, quæ in capite primi vermis residebat co. ob ejusdem animæ in eo capite residentis partem aliquam ab aliis separatam ne. Hæc ergo animalia cum ex tot animalibus ejusdem speciei constent, quot sunt in longum eorum partes, ita tamen ut capita & caudæ reliquæque partes substantiales sint adhuc involutæ, ut semina in aliis seminibus, & surculi in arboribus, antequam prodeant; totidem etiam habebunt animas in singulis capitibus adhuc involutas, easque omnes inextensas substantias.

§. 155. Instantia contra 2 responsionem

Si forent plures animæ forent etiam plura principia corpus moventia, quæ possent contrarias appetitiones habere, sibique adversari. ex. g. una anima vellet movere corpus, alia nequaquam; una versus unam partem, alia versus aliam. Atqui repugnat naturæ duo ponere contraria actionum spontanearum principia in eodem organico corpore; ultraquamquod experientia id ostendere deberet in ipsorum motibus, quod non facit. Ergo in eodem lumbrico non sunt plures animæ, atque ideo frusta separata non informantur anima, quæ sit prorsus distincta ab ea, quæ in capite primi vermis residebat.

§. 156. Responsio

Dist. Si plures essent animæ, quarum una imperium in reliquas non obtineret, essent plura eaque contraria motuum principia co. si una imperium habeat ne. Nam ut anima moveat corpus, & ipsius ope ideis afficiatur, non solum debet in corpore reperiri, sed etiam in cerebro ita evoluto & perfecto, ut ope spirituum animalium a cerebro ad omnes corporis partes tendentium, & ab iis partibus ad cerebrum redeuntium, quique vestigia in iisdem imprimant, & ideas in anima excitent §. 4. cetera corporis memra movere possit, & ab impressionibus factis in sensibus ideas & sensationes recipere. Jam vero in primo vermi unum tantum cerebrum & caput cum ceteris corporis membris evolutum est, & in-

instructum spiritibus ad motus gignendos accommodatis. Reliqua omnia sunt adhuc involuta & motibus perficiendis minime idonea. Quare in primo lumbrico sola anima quæ in capite evoluto reperitur, potest alias corporis partes movere, & ope impressionum, quæ in sensibus externis fiunt, sensationes cognitionesque & inde profectas appetitiones recipere. Ergo illa imperium habet in ceteras, quæ nihil in corpore operari possunt, & nihil recipere, donec in recisis frustis capita & cerebrum, in quibus reperiuntur, evolvi & perfici incipiant.

2. Quamquam illud etiam dici potest, ut in hominibus & belluis perfectis, quæ commixtione seminum generantur, non creatur anima nisi in primo conceptionis momento §. 110. n. 5. ita in belluis imperfectis quales sunt hi vermes, non creari ipsorum animas in frustis dissectis, nisi cum hæc se evolvere incipiunt, eo quod hæc est ratio, qua ipsarum perficitur generatio. Quo posito in primo verme una tantum anima reperiebatur, & ideo nihil inde concluditur ad versus nostram sententiam.

§. 157. SCHOLION XII.

Cartesius ejusque astipulatores toti sunt in eo monstrando, quod sicut homines ea infirma ratione & exigua legum mechanicarum cognitione qua utuntur, efficere potuerunt machinas quæ homines aut belluas repræsentantes quasdam hominum & belluarum actiones edebant; ita Deus sua infinita cognitione formare potuit belluas omnes, quæ forent pura automata sine ulla immateriali substantia, & nihilosecius secundum mechanicas leges suos omnes perficerent motus, perinde ac si ab anima cognoscente proficiscerentur. Posito vero quod potuerit id facere, ita fecisse censendum est; 1. quia supervacanea foret hæc anima præsertim cum ad vitam post sui corporis dissolutionem degendam destinata non sit; 2. quia ex contraria sententia consequeretur esse in belluis veros dolores, quod divinæ bonitati & justitiæ repugnat, eo quod belluæ ratione carentes & libertate peccare non possunt, nec pœnas mereri, & alioquin sub Deo justo secundum S. Augustinum nemo miser esse possit qui meritus non sit.

2. Auctor articuli *Ame des bêtes* in Encyclopedia vult dandam esse Cartesianis harum machinarum possibilitatem, nec sine ratione, cum ex altera parte id impossibile non appareat, & ex altera infinita Dei sapientia & potentia queat omnia facere quæ non includunt contradictoria: atque contendit illud unum esse negandum quod reipsa fecerit, ad idque suadendum copiose & accurate urget rationem quam supra attulimus, antequam librum haberemus, a divina bonitate petitam. Verum putamus valde firmam esse hanc quoque alteram, non longe petitam, sed ab ipsa re, qua de agimus, quam hic solum attingimus, paulo vero post latius explicabimus in confutando Leibnitii systemate, qui in explicando commercio inter animam & corpus ponit humana corpora ipsa per se tamquam machinas secundum motuum leges suas omnes

nes actiones perficere, & futurum esse ut perficiant, etiamsi Deus animas de medio tollat. Nam ibi faciemus perspicuum tales in corpore ex improviso exsistere motus, eosdemque ita variari, ut eorum motuum earumque variationum secundum Mechanicæ leges nulla sit aut in ipsis humanis corporibus, aut in aliis mundi circumfusis corporibus ratio sufficiens & idonea iisdem perficiendis. Jam vero multi sunt etiam in belluis spontanei motus similesque iis, qui in corporibus hominum observantur. Ergo sicuti ibi inferemus aliquos corporis hominum motus ab alia caussa quam a corporea & mechanica perfici, idem hic colligere possumus quod pertinet ad motus corporis belluarum.

3. Quæ tamen ratio non valet in systema illius auctoris, qui in Actis Lipsi nescio quo loco putat non omnes belluarum motus secundum leges mechanichas perfici, sed aliquos, uti spontaneos, ab anima proficisci, non quia revera sit, sed quia Deus illos efficit perinde ac si anima revera foret, & eas voluntatis edat actiones, ex quibus secundum commercii leges exsistere debent tales in corpore motus. Quæ auctoris sententia confirmatur ex eo, quod ex nostris principiis bestiarum anima non est caussa efficiens motuum corporis, sed solum occasionalis, quatenus Deus ex aliquibus animæ appetitibus occasionem arripit efficiendi in corpore quosdam motus. Jam vero anima potest esse occasionalis caussa etiamsi non exsistat, quemadmodum gravitas, quæ in corpore superiora petente reipsa non exstat, nihilominus perinde ac si foret, est occasio quæ Deum movet ad vim motricem sursum paulatim extinguendum §. 269. Ont. Et profecto simul ac anima vim & efficientiam non cohibet in corporis motibus, supervacanea esse videtur, cum Deus possit ipse per se eosdem efficere, quin ullam sumat ab animæ appetitibus occasionem, atu eam sumat tantum in sensu, quem modo explicavimus.

4. Verum ex his nihil de firmitate primæ rationis decedit. Est enim insigne discrimen inter gravitatem quæ quamvis in corpore superiora capessente non sit, tamen ut occasionalis atque moralis caussa Deum movet ad vim motricem sursum paulatim corrumpendam, interque animam belluarum. Cum enim ex altera parte Deus gravitatem semper in corpore creet, si nullum sit impedimentum, & ex altera ob rationes citato Ontologiæ loco explicatas in corpore ascendente reipsa gigni non possit, ex illa reipsa non exstante, sed solum in potentia proxima, si nihil impediat, Deus occasionem sumere potest, extinguendi in eodem alteram vim, quicum gravitas conjungi nequit, quin tamen nos aliquo modo ludificetur, eoquod rationem dedit qua cognosceremus in eodem subjecto simul duas vires contrarias esse nequire. Hic vero nulla est ratio, quæ nobis manifestum faciat substantiam immaterialem & cognoscentem aut esse non posse, aut saltem revera non exstare. Ex quo propter rationes in antecessum explicatas consequens foret nos a Deo falli, si in belluis vera animæ substantia non reperiretur. Quod si semel concedamus ea quæ fieri possunt, exstare, inde jure ac merito consequeretur posse quemlibet etiam dubitare de exsistentia animarum ceterorum hominum, eo quod licet ipse sibi conscius sit se esse substantiam cognitione & appetitione donatam, tamen intimo sensu non percipit substantiam hanc in aliis hominibus, & alioquin nescit fieri posse, ut motus corporis aliorum hominum fiant secundum mechanicas leges in sententia Cartesii, aut in opinatione alterius Philosophi Deus ipse per se rationalis animæ vices suppleat. Quod cum prorsus alienum sit a

ratione, cumque si Philosophia ad has deducit absurdas opiniones, præstet nihil omnino philosophari; manifeste consequitur similiter certum & exploratum esse constare belluarum animas, ac animas hominum ceterorum.

5. Supervacaneas vero esse tales in belluis animas nemo dixerit, nisi qui tantos sumserit spiritus, ut credat se posse omnia scrutari secreta Dei, omnesque abditissimos divinæ nequaquam investigabilis sapientiæ penetrare fines, quos in mundi creatione & gubernatione sibi ipsa proposuit.

6. Difficultatem ductam a doloribus quibus eædem obnoxiæ sunt, sic solvit auctor citati articuli Encyclopediæ pag. 295. edit. Lucæ. „ Primum respondeo hoc S. Augustini principium, *sub Deo justo nemo miser esse potest, qui meritus non sit*, valet solum in creatas substantias rationales, ad quas solas jure ac merito pertinere potest. Notio enim justitiæ, meriti ac demeriti ponit quæstionem esse de libero agente, deque ratione, quam Deus tenet cum eodem. Illud solum est capax vitii & virtutis, & idoneum aliquid, quodcumque illud sit, merendi. Quare illud axioma referri non potest ad animas belluarum, quæ sunt sensus capaces, non rationis, aut vitii & virtutis, quia cum nulla sint informatæ notione regularum, legis, boni aut mali moralis, nullam actionem in genere moris bonam aut malam exercere queunt. Unde quemadmodum ratione habita earum voluptas esse merces nequit, ita nec dolor esse pœna. Ergo axioma mutandum est, atque in hoc convertendum; sub Deo justo nulla creata res adigi debet ad aliquid patiendum nisi mereatur. Sed tantum abest ut hoc sit evidens, ut falsum esse jure ac merito defendi queat. Nam anima belluarum sensationes habere potest; igitur potest esse aliquatenus felix. Sed quomodo erit? Si cum organico corpore conjungatur. Est igitur ita comparata ut cognitio confusa cujusdam motuum successionis, ab externis corporibus excitata in corpore quod illi est junctum, gratam sensationem sit excitatura. Sed inde necessario sequetur, ut hæc anima sit capax accipiendi dolorem juxta ac voluptatem. Si enim perceptio cujusdam successionis motuum eidem placet, necesse est ut perceptio successionis motuum prorsus diversorum eam excruciet & lacessat. Jam vero hoc corpus, quicum anima copulata est, secundum generales leges non raro accipere debet impressiones hujus alterius speciei, quemadmodum accipit primæ, ideoque percelli debet sensationibus doloris, non minus quam voluptatis. Id ipsum necessarium est, ad eam applicandam conservationi machinæ, unde ipsius pendet exsistentia, atque ad excitandam ad eas actiones, quæ conferant ad bonum aliarum mundi substantiarum. Hoc ceteroquin aliter esse non potest. Visne hanc animam solis affici sensationibus gratis? Necesse foret disturbare cursum naturæ, & leges suspendere motus, propereaquod hæ leges gignunt vicem impressionum quæ contrariæ sunt corporibus vita præditis, quemadmodum generant alias eorum generationis ac corruptionis. Ex his autem legibus exsistit maximum bonum totius systematis materialis & intelligentium substantiarum, quæ cum illo junguntur, atque harum suspensio legum totum corrumperet. Quid ergo affert notio Dei boni? Hoc est, Deum cum operatur, semper spectare bonum aliquod, atque progignere, nullamque ex ipsius manibus elapsam fuisse substantiam, cui vita potius lucro non sit quam damno. Hæc autem est belluarum conditio. Si quis posset in interiores ipsarum penetrare recessus, compensationem offenderet bonorum atque malorum, quæ tota

in

in divinæ bonitatis gloriam redundaret; nam in iis, quæ dispariter patiuntur, observaret proportione respondentem disparitatem aut dolorum, aut durationis, intensionemque doloris, quæ miseram ipsarum vitam facere posset, esse illam ipsam, quæ belluas destruit: uno verbo si ex summa bonorum summa deduceretur malorum, subductis rationibus inveniret purorum residuum bonorum, quæ divinæ tantum bonitati ferre accepta debent. Comperiret etiam Divinam sapientiam ita res omnes fuisse moderatam, ut in omnibus sensitivis substantiis intensio mali quod sustinent, sine corruptione boni exsistentiæ, ad bonum universi conducat „. Hactenus auctor qui deinde respondet alteri difficultati ductæ ex eo quod divinam sapientiam dedecere videtur ut animæ plurium belluarum destruantur pro conservatione corporum hominum, aut etiam aliquæ pro nutritione aliarum belluarum, & solutionem ex eo repetit, quod ex altera parte homines sunt belluis, & belluæ aliæ aliis perfectiores sunt, conservatioque corporis animalium ad ipsorum animam quæ est nobilior, refertur; & ex altera non est dissonum a recta ratione & ab ordine, ut res creatæ ignobiliores ad nobiliores referantur, & tandem concludit monendo tum nullam a Deo belluis injuriam irrogari, si adimat vitam, quæ iisdem minime debetur, tum hæc omnia enucleate tractari a Bovilleto in specimine philosophico circa animam belluarum.

7. Refutato Cartesiii & alterius auctoris systemate & constituto esse in belluis animam immaterialem & inextensam, videndum est quodnam sit ipsius discrimen ab anima humana. Jam supra vidimus inter substantias simplices posse dari substantiale discrimen, quod revera intercedere animas hominum inter & belluarum satis declarat maxima inter utrorumque operationes differentia, quam alias observavimus. §. 35. Auctor articuli *Ame des bêtes* in Encyclopedia contendit discrimen in eo positum esse quod anima hominum habet facultatem reflectendi ad ideas quæ per sensus proxime ingressæ sunt, indeque eliciendi ideas abstractas, & formandi habitum ratiocinii; anima vero belluarum hac facultate reflectendi caret, aliisque ab eadem pendentibus. Verum hæc cum ratione pugnare jam vidimus §. 31. num. 1. ubi planum fecimus non posse belluas sentire & cognoscere res externas nisi etiam suas cognitiones sensationesque percipiant, & intime videant alteram ab altera differre, aut alteram alteri inesse non solum proxime, quod est judicium, verum etiam remote quod est ratiocinium, quatenus ex eo quod belluæ vident ex. g. aquam esse in fitula, & fitulam esse in cubiculo, etiam aquam in cubiculo reperiri cognoscunt. Experientia quoque huic sententiæ adversatur. Nam quibus rationibus a continuata actionum bestiarum observatione depromtis supra confecimus esse in belluis veras sensationes atque cognitiones directas §. 142. n. 1. iisdem indidemque elicitis conficere possumus esse in animis belluarum cognitiones aliquas reflexas, judicia tum affirmantia tum negantia, & aliquas veras ratiocinationes quibus aliud ex aliis colligunt. Quæ maxima difficultas Philosophos etiamnum deterruit ab hac alioquin evidenti sententia quod anima cognitionibus donata directis, etiam habet reflexas §. 123. n. 20. & aliquo pacto judicat & ratiocinatur, ea me nihil deterrere potest. Cum enim Philosophi ex altera parte Aristotelicis syllogismorum regulis decepti putassent nullum ab anima formari posse ratiocinium nisi ex quibusdam universalibus enuntiationibus conclusio inferatur, & ex altera animadvertissent hanc ratiocinandi artem

tem ab iisdem nequaquam acquiri, tametsi earum aliquæ instrumentis ad humanas voces formandas idoneis non destituerentur; aliud nihil sibi reliquum esse videbant nisi aut belluis solas cognitiones directas concedere, aut si hæ sine reflexis & aliis inde pendentibus esse non possunt, omnem prorsus cognitionem auferre. Verum ad id sartum & tectum servandum quod in belluis ratio, quæ est in hominibus, & libertas ab ea pendens non reperiuntur, mihi necesse non est ad hæc absurda confugere. Jam enim in Logica §.53. 59. feci perspicuum prius esse in nobis veras easque singulares & ex singularibus elicitas ratiocinationes, quam universales formemus. Cum vero in belluis ob rationes quas §. 34. expendimus, non sint ideæ abstractæ & universales, sed tantum singulares & determinatæ, in ipsis non erunt nisi judicia pariter singularia, & idcirco nisi ratiocinia ex singularibus eruta judiciis ideoque omnino singularia. Ex quo fit ut quamvis habeant cognitiones reflexas, & inde aliqua judicia forment & ratiocinia, non tamen acquirant illum qui est in hominibus, rationis usum, ad quem ideæ abstractæ & universales necessariæ sunt, ideoque nec Dei, nec boni aut mali moralis nec aliorum similium cognitionem adipiscantur. Atque hic est potissimus illius meæ circa sillogismos singulares doctrinæ usus, ut etiam Log. indicavi initio Præf., propereaquod eadem doctrina omnia quæ ad hunc obscurissimum animæ belluarum locum pertinent, in quam bona luce ponuntur, & nullo negotio diluuntur gravissimæ difficultates, quæ Philosophos aut præcipites egerunt in falsas & absurdas opinationes, aut incertos animi & in omnem partem ancipites etiamnum tenuerunt.

8. Quæ ut magis magisque confirmentur, operæ pretium arbitror exponere & refutare rationes, quibus auctor libri alias laudati *Traité de la Nature de l' Ame* tom. 1. pag. 280. se hanc a nobis defensam sententiam labefactare contendit. Primum infirmare conatur rationem ductam ex divina bonitate, quæ sinere non debet, ut in hac re decipiamur, aitque non Deum nos decipere, sed nos decipere nosmetipsos, dum ex quibusdam belluarum actionibus nimis præcipitanter colligimus in iisdem esse internum cognitionum principium, cum alioquin oporteret judicium sustinere, quoad investigaretur an alia ratione possent omnes earum motus perfici; quemadmodum si rudis Canadiensis Parisios appulsus, tibicinem a Vocanchono elaboratum videns & artificiosos tibiæ sonos exaudiens, eam statuam anima esse instructam sibi persuaderet; non artifex hominem fefellisset, sed ipse semetipsum, qui judicium cohibere debuisset, quoad interiores explorasset machinationes. Deinde censet indignum sapientia Dei condere animas, quæ ad sui cognitionem non spectent, sed destinatæ sint uni corpori nutriendo & veluti saginando: qua in re magna certe ordinis perturbatio reperitur, cum nobilior substantia ad ignobiliorem referatur, præsertim si advertamus ad myriades animarum quæ in insectis esse deberent in hoc systemate, quarumque pars eodem die crearetur atque in nihilum redigeretur. Tum advertit hominibus nullam esse religionem unius captandæ voluptatis caussa interficere centena insectorum, quod certe culpa non vacaret, si prædita forent cognoscente substantia quæ hoc pacto corrumperetur. Præterea corpus belluæ in hoc præstaret ipsius animæ, quod illius primitivæ moleculæ sunt una cum mundo duraturæ, anima vero post exiguum tempus esset in nihilum abitura. Demum in eo maximam ponit

nit vim, quod si anima belluarum periret, inde ansam arripere possent impii & ad fidem convertendi neophyti negandi quoque animæ humanæ immortalitatem, propterea quod si non est absurdum interire animas insectorum maxime ingenio pollentium quales sunt apes, quæ vix exclusæ Geometræ evadunt, & loco speciminis perficiunt opera, quibus perficiendis ipse Archimedes impar foret, probabile non est animam stupidissimi Huroni in æternum durare.

9. Hactenus laudatus auctor, cujus primæ rationi sic respondemus. Ob aliquas difficultates, quæ moveri possunt adversus ea, quæ constanti sensuum testimonio nituntur, non continuo a sensibus esse descissendum & supra docuimus, quia ceteroquin in Scepticismum etiam in rebus certissimis, quale est corpora exsistere, delaberemus, & ipse concedit qui monet ex continuatis, quibus afficimur, corporum sensationibus certo colligi eadem exstare, tametsi non contemnendæ difficultates adversus corporum exsistentiam promotæ fuerint §. 124. Quamobrem in naturalibus cognitionibus una evidens ratio, quæ doceat ea quæ sensibus constanter apparent esse alicuimodi, non esse aut esse nequire hujusmodi, potest haberi pro sufficienti ratione, cur sensibus fidem negemus; in supernaturalibus autem verbum Dei mysterium aliquod revelantis idem præstare potest, ut accidit in Eucharistico Sacramento quod attinet ad panem & ad vinum §. 233. n. 8. Log. Hac statuta lege, a qua nobis non licet discedere, videamus an rationes ab auctore prolatæ sint ita, quemadmodum necesse est, evidentes. Vocanchoni tibicen ad summum indicat Deum potuisse creare belluas tamquam pura automata, non vero ita creasse suadet, nisi velit etiam alios homines præter seipsum sine ullo interiori cogitandi principio fuisse a Deo creatos. Nam ex allato exemplo & ex iis, quæ supra exposuimus num. 1. & 4. colligitur Deum potuisse quoque alios homines sine ulla substantia spiritali condere, nec tamen inde concludet ita Deum reipsa fecisse. Nec ajat latum esse discrimen, quia & alii homines sunt ipsi simillimi, & quod attinet ad ipsorum spiritualem animam, non sunt aliæ gravissimæ rationes, quæ animæ belluarum adversantur. Nam quod pertinet ad primum, illud ipsum est, quod nos maxime confirmat in sententia, quæ veras animas verasque cognitiones bestiis ascribit, magna nempe similitudo inter operationes hominum, & corporis, cerebri præsertim, structuram, interque operationes belluarum, & earumdem corporis, cerebri potissimum, conformationem. Quod vero ad secundum, ostendere aggredimur difficultates ab auctore productas multum abesse a perspicuitate. Illam profecto quæ ab hujusmodi animarum destinatione deducitur, nullius esse momenti & colligitur ex iis, quæ de hac re in antecessum ex auctoribus Encyclopediæ depromsimus, ex quibus apparet ignobiliores substantias intelligentes ad usum nobiliorum a Deo fuisse relatas, & colligi potest ex eo, quod nobis ignoti sunt fines, quos Divina imperscrutabilis sapientia sibi proposuit. Quod si Deus ad sui cognitionem & amorem belluarum animas non comparavit, id nihil habet roboris, nisi prius doceat easdem esse capaces hujusmodi cognitionum & appetituum: quod certe præstare non poterit, si attendamus ad ea quæ de animarum differentia num. 7. disputavimus; & si etiam doceret, parum habet, quia non apparet evidens ratio cur omnibus animis eas cognitiones & appetitiones largiri debuerit, præsertim si animum advertamus ad ea quæ de possibilitate status naturæ puræ in superioribus disseruimus §. 74. n. 2. Ceterum ex iis quæ paulo ante dixi

de

de fine. ad quem belluæ creatæ sunt, constat ratio cur hominibus liceat iisdem uti ad vitæ humanæ usus.

10. Brevis autem vita myriadum animarum conturbare non debet, cum ea sit gratuitum Conditoris donum, quod pro libito sine alicujus injuria repetere potest. Nec id facere debet destructione substantiæ, quemadmodum putat auctor, qui non cessat id inculcare tamquam necessarium hujus sententiæ consequens, & simul ab omni ratione dissentaneum, eoquod Deus nec ipsas corporum substantiales moleculas in nihilum redigit; sed satis est si cessante commercii inter animam & corpus lege a sensationibus & appetitibus tamquam accidentibus in eadem creandis cesset §. 148.

11. Ultimæ & potissimæ ipsius difficultati jam supra fecimus satis; unde hic pauca adjungemus. Neophytus in fide erudiendus ab amplectenda hominis animæ immortalitate deterreri non debet ex eo quod animam belluarum esse mortalem asserimus, si doceamus in illa esse perspicuam rationem cur Deus æternum servare debeat, in hac autem minime reperiri. Jam vero id luculenter monstravimus ex eo quod cum anima hominum sit capax boni moralis & mali, non vero anima belluarum, necesse est ut Dei providentia, bonitas atque justitia hominum bonas aut malas actiones pro suo quasque merito in altera vita remuneretur, quoniam in hac id non facit; non vero id necessarium est in animis bestiarum, quæ nullum premium aut pœnam mereri possunt.

12. Ceterum antequam ab hoc de anima belluarum loco discedam, operæ pretium arbitror quædam animadvertere circa nonnulla, quæ Cl. Genuensis scribit in dissertatione de anima belluarum, qua secundæ Metaphysicæ parti finem imponit. Primo illius quæstionis Lochii cum Stillingflecto an materia cogitare possit, duplicem statum distinguit his verbis. §. 16. *Sed mihi quæstionem provexisse Philosophi isti Angli videntur idcirco quod non satis vocabula definierint, in quo mirandum Lochium præscriptas a se regulas migrasse. Quæstio enim est an Deus possit materiæ sensum & cognitionem dare ita tamen ut illa adhuc retineat priores materiæ qualitates*, inertiam potissimum, *soliditatem, gravitatem, non autem hæc an efficere possit ut id subjectum quod prius erat solidum, iners, grave, evadat cogitans amissa interim inertia & soliditate.* Ita Genuensis, qui suam mentem sic exponit. *Quod ad secundam hanc quæstionem spectat, neque affirmare neque negare est animus; religio est de obscuris judicare. Ad primum quod attinet, negamus id fieri a Deo posse*. Deinde §. 120. tractans eam quæstionem an anima brutorum sit materialis, hæc habet. *Videtur tamen hanc sententiam paullo verisimiliorem reddidisse Andreas Rudigerus, qui sub initium sæculi hujus res philosophicas dexterrime tractavit. Is in ea fuit opinione distinguendam esse materiam a corpore; corpus enim esse hoc contractabile, solidum, iners; illam puram esse extensionem, primumque esse substramen cum corporis, tum & spirituum & animorum. Animas igitur brutorum, ut & humanas mentes, suam habere extensionem, quarum vires vitales sint conjunctæ, opinatur. Valde est hæc opinio similis vero. Nam quis eos feret qui substantias incorporeas veluti puncta quædam geometrica intelligunt? Præterea patet spiritus humanos & brutorum animas suarum habere operationum veluti theatrum quoddam, corpus nempe hominis, & bruti: in eo vero sese extendere admodum est probabile .... Sed clamant Cartesiani omnem extensionem esse corpoream; inscite admodum, ut nemo hodie probatus sit Philosophus, qui eos defendendos hac in*

re

re putet. Mihi potius persuasum est esse infinita alia entia extensa, quæ non sunt corpus. Tertio postquam enumerasset eos veteres & recentiores Philosophos, qui universalem quamdam invexerunt mundanam animam, ex qua omnes particulares decerpantur, hæc litteris mandavit §. 22. *Nec vero ab omni veri similitudine abhorret creatam esse a Deo animam, idest substantiam quamdam activam, quæ dum organica quædam corpora, qualia brutorum sunt, permeat, sensum in iis & perceptionem pariat, quæque statis quibusdam legibus quas ignoramus, in natura agat, ejus vires omnes, motiones, vitam producat magna æquabilique perennitate. Ecce enim in natura aliquod, unde motiones rerum corporearum, earumque vires activæ, plantarum vegetationes, seminum ovorumque fœcundationes, animantium generationes prodeant, indubium est. Sunt qui hæc ἀμέσως a Deo provenire opinantur, naturamque istam activam nihil esse aliud, quam ipsius voluntatem rentur. Sed cur non id ope hujus animæ mundanæ efficere Deus possit? Nihil video quod aut rationi aut Religioni, ea si doctrina statuatur, officiat.*

9. Doleo Cl. Genuensem alioquin de immateriali & immortali animorum natura præclare sentientem hæc litteris consignasse, quæ nimium quam par est, Materialistis favere videntur. Si enim incerta res est utrum materia corporea spoliata inertia, soliditate, gravitate aliisque corporum qualitatibus sentire & cogitare possit; si probabile substantiam extensam cum viribus sentiendi & cogitandi posse conjungi: actum est de demonstratione substantialis discriminis inter substantiam corpoream, interque cogitantem. Cum enim tam illæ qualitates sint accidentia substantiæ materialis & extensæ, ut docui in Ont. §. 303. & seq. atque ut sequitur ex hypothesi quod separari possint, quam vires cogitandi & appetendi ad animæ substantiam accidant §. 91. & seq. consequens est unam & eamdem esse substantiam corpoream, & cogitantem, easdemque solis accidentalibus inter se viribus discrepare. Præterquamquod si memoria recolamus ea quæ §. 123. n. 13. circa immaterialem animæ naturam disputavimus, in cognitionem veniemus genuinam eamque perspicuam rationem, quæ in hac quæstione decidenda afferri potest, ex eo deduci, quod perceptiones convenientiæ aut discrepantiæ inter duo, aliique simplices substantiæ cogitantis actus in substantia extensa reperiri non possunt. Ergo si demus substantiam sentientem & cogitantem esse donatam extensione, nihil erit in allata ratione momenti, nihilque nobis restabit quo Materialistas confutare possimus. Se quidem Genuensis tuetur communi Philosophorum hujus ætatis sententia, qui unam extensionem non esse corporis essentiam & volunt, & se invictis rationibus suadere arbitrantur; verum ex hoc ipso magis apparet quod sæpius animadvertimus §. 31. n. 5. 157. n. 13. Ont. & hic §. 109. quantum communes & ab antiquis temporibus præjudicatas opiniones circa vacuum, circa extensum continuum & alias quantitatis species inde pendentes, circaque essentiam, attributa & vires corporum accidentales corrigere necesse fuerit non solum ad Physicam restaurandam, verum etiam ad Metaphysicam, in quam multa obrepserant obscura & prorsus falsa & inextricabilia ob illud unum, quod in inquisitione naturæ continui extensi omnes alii aliter aberraverunt. Neque ajant Rudigerus eumque secutus Genuensis se non putare substantiam extensam, posteaquam cum dictis corporum qualitatibus conjuncta est, factaque corpus, posse ab iisdem separari, cum viribus cogitandi connecti, & fieri animam

atque substantiam cogitantem, sed tantum arbitrari substantiam extensam esse genus, quod antequam exsistat, possit cum utriusque speciei qualitatibus tamquam cum suis substantialibus differentiis conjungi; postquam vero copulatum est, ab iisdem amplius disjungi nequeat. Primo enim eas qualitates in sua quasque substantia esse tantum vires accidentales iis docuimus rationibus quæ rem omnino cogere & persuadere debent §. 42. & seq. Ont. & hic §. 91. & seq. Tum sensationes cogitationesque pariter ostendimus esse non posse in substantia extensa habita ratione solius extensionis, non vero aliarum quæ in corporibus observantur qualitatum. Deinde ex hoc sequeretur, quod absurdissimum est, §. 182. n. 4. Ont. Deum quoque esse donatum extensione. Et sane ratio a Genuensi deducta ex eo, quod anima in corpore operatur, & geometricum punctum esse nequit, vel cadit etiam in Deum, qui in toto mundo est, vel nihil valet in animas hominum & belluarum, quemadmodum nihil valere jam declaravimus §. 109. n. 4. & paulo post etiam enucleatius declarabimus.

10. Quod vero pertinet ad animam mundi, ex principiis jam constitutis certissime eruitur nec esse a Deo creatam hanc animam mundanam, ex qua decerpantur animæ belluarum, nec unam Dei voluntatem in mundo proxime operari, sed Deum creasse omnes singulares & individuas substantias tum extensas & materiales, tum inextensas & immateriales; in primis e nihilo eduxisse & continuate educere vires motrices, quibus corporum motus eorumque varii nexus perficiuntur, in secundis vires cognoscendi & appetendi, quibus substantiæ immateriales spontaneas exsequuntur actiones, & aliquæ etiam, ut animæ hominum, liberas ea ratione quam in antecessum explicavimus. Has autem Deus cum organicis aut hominum aut belluarum corporibus junxit ea ratione quam pariter supra exposuimus, & mox accuratius explicaturi sumus. Cumque singulares animæ esse debeant simplices & individuæ substantiæ, ut de animis hominum §. 75. docuimus, & de bestiarum animis inferri potest ex similitudine in superioribus expensa inter has animas interque hominum, quod attinet ad multas operationes, certo concluditur eas a communi quadam anima mundana non fuisse decerptas.

CAPUT QUARTUM.

De commercio inter animam & corpus.

§. 158. Definitio

Nomine commercii inter animam & corpus intelligitur ea lex continuatis observationibus confirmata, qua fit ut positis quibusdam in corpore impressionibus ac motibus quædam in anima sensationes cognitionesque excitentur, & vicissim positis quibusdam in anima cogitationibus quidam in corpore motus & quædam concussiones exsistant; ut posita cogitatione movendi brachium continuo brachii motus consequitur.

§. 159.

§. 159. Systemata

In hoc explicando commercio sunt plura systemata simplicia; primum caussarum efficientium & physici influxus defensum a quibusdam Peripateticis, qui volunt animam esse caussam efficientem motuum corporis, & corpus esse caussam efficientem sensationem animæ.

2. Secundum caussarum occasionalium defensitatum a Cartesianis, qui contendunt nec animam in corpore, nec corpus in anima quidquam efficere, sed animæ cogitationes esse occasionem, cur Deus aliquos motus in corpore gignat, & motus corporis, cur idem Deus aliquas sensationes cogitationesque in anima efficiat, quia talem sibi legem constituit.

3. Tertium harmoniæ præstabilitæ an serio, an joco, excogitatum a Leibnitio, & acerrime propugnatum a Wolphio, qui putant nec animam in suis cogitationibus a corpore, nec corpus in suis motibus ab anima, sive tamquam caussis efficientibus, sive occasionalibus pendere, sed animam ipsam per se suis viribus elicere sensationes, cognitiones & appetitiones sine ulla mutua inter corpus & animam ratione, & pariter corpus ipsum per se sine ulla ab anima, suisque tantum viribus, prout a corporibus mundi circumfusis determinatur suos perficere motus: summa vero Dei sapientia atque omnipotentia factum fuisse, ut semper motus corporis cogitationibus animæ responderent, & vicissim cogitationes animæ motibus corporis; indeque hoc systema nomen traxisse harmoniæ a Deo præstabilitæ, & in eodem corpus & animam esse veluti duo horologia ita ab artifice comparata, ut alterum pulset horas, alterum easdem prorsus accuratissime indicet, tametsi alterum ab altero nulla ratione pendeat, & suis quodque instrumentis & viribus seorsim motus absolvat.

4. A Cl. Tourryo additur quartum simplex systema virium attractricium inter animam & corpus; verum nos infra ostendemus hoc systema esse idem, quod caussarum occasionalium.

5. Restat ultimum ex duobus mixtum defensum a Cl. Monilia in libro adversus Fatalistas & ab aliis, qui volunt animam esse caussam efficientem motuum corporis, corpus autem esse solum caussam occasionalem sensationum & cogitationum animæ.

§. 160. Propositio I.

In explicando commercio inter animam & corpus non est admittendum systema physici influxus, sive caussarum efficientium, sive simplex num. 1. §. 159., sive mixtum num. 5. Prob. Non est admittendum hoc systema, si nec anima tamquam caussa effectrix

 pos-

possit generare motum in corpore, nec corpus tamquam effectrix sensationes & cogitationes in anima. Atqui nec anima tamquam caussa effectrix potest generare motum in corpore, ne corpus sensationes & cogitationes in anima. Ergo &c. Prob. min. primum ea ratione, quam attulimus §. 254. Ont. quia cum tam anima, quam corpus sint substantiæ creatæ, nec possunt in aliis substantiis creare vim necessariam ad mutationem §. 42. Ont. nec illam communicare quam habent, quod accidens unius substantiæ non potest idem transire in alteram substantiam & fieri illius accidens.

2. Secundo hac altera, quia cum nec anima habeat vim motricem, eoquod ex altera parte anima est inextensa §. 111. & ex altera vis motrix ut res qua unum extensum alterius extensi partes gradatim contingit §. 97. Ont. solum in extensa re esse potest; cumque corpus non habeat, nec habere possit sentiendi vim, §. 111. ex eo principio, quod nemo dat quod non habet, colligitur nec animam posse communicare vim motricem cum corpore, nec corpus vim sentiendi cum anima.

3. Tertio hac etiam quod attinet ad corpus, quia si corpus ob rationes allatas §. 237. Ont. & seq. non potest esse caussa efficiens motus alterius corporis, in quod incurrit, tametsi præditum sit vi motrice ejusdem rationis, ac ea, quæ in corpore percusso gignenda est; multo minus vim sentiendi, qua ipsum caret §. cit. in anima quit generare.

§. 161. Objectio

Cum aliquid experimentis & observationibus certum sit, non est negandum aut revocandum in dubium, eoquod ignoratur modus, quo fiat, ut rationem concludit Monilia citato loco; atqui experimentis certum fit animam agere in corpus, ex. g. movere brachium, aut pedem, cum vult. Ergo etsi ignoretur modus, quo agit, non est tamen negandum animam tamquam efficientem caussam generare motum in corpore.

§. 162. Responsio

Dist. min. Experimentis compertum fit animam agere in corpus, sive tamquam efficientem caussam, sive tamquam occasionalem co. tamquam efficientem ne. Nam ex observationibus solum colligitur exsistere motus aliquos in corpore statim ac anima eosdem vult. Verum cum ex altera parte id possit usuvenire duobus modis, vel quia anima est vera caussa eorumdem effectrix, vel quia solum occasionem eosdem gignendi Deo præbet, & ex observationibus neutrum colligatur, quia tantum abest ut anima sibi sit

con-

conſcia quomodo eos perficiat, ut neque ſciat quam cerebri partem, & quos ſpiritus animales movere debeat ad eos perficiendos; aliud nihil eſt reliquum, niſi ut ratione inveſtigemus utro modo anima in iis efficiendis utatur. Jam vero allatis rationibus confecimus animam tamquam efficientem cauſſam non poſſe in corpus agere, & ejuſdem motus efficere. Ergo non reſtat niſi ut dicamus eoſdem ab anima ſolum tamquam a cauſſa occaſionali pendere.

§. 163. Inſtantia

Atqui nulla ratione probari poteſt animam tamquam efficientem cauſſam non agere in corpus. Ergo nulla diſt. Prob. min. ſub. Cum ignoratur eſſentia animæ, nulla vis certa ratione eidem negari poteſt. Atqui a nobis eſſentia animæ ignoratur, eoquod ex altera parte vis cognoſcendi, ut accidens, per nos poteſt abeſſe, §. 91. & ex altera eam ſolum cognoſcimus negative, ideſt eſſe ſubſtantiam extenſionis expertem §. 111. non vero quid ſit reipſa. Ergo nulla certa ducti ratione animæ poſſumus negare vim excitandi motus in corpore. Prob. maj. ex Jo: Clerico ſect. I. cap. 6. *Quando duos numeros clare cognitos habemus, facile eſt ſcitu quæ ſumma iis additis exurgat, & quæ inde confici nequeat. Sed ubi alteruter plane ignotus eſt, quis niſi temerarius quæ ſumma iis confici nequeat, definire auſit? Similiter ii, quibus tum mentis, tum corporis ignota eſt natura, ſine temeritate qua ratione alterutrum ab altero adfici poſſit, aut non, queant definire?* Ergo &c.

§. 164. Reſponſio

Diſt. ant. ultimum. Cum plane ignoratur alteruter numerus, definiri non poteſt quænam ſumma ex iis colligatur, quænam non co. cum ex parte ignoratur, & ex parte cognoſcitur ne. & ſimiliter diſt. conſ. Si prorſus ignoratur animæ eſſentia, nulla vis certa ratione eidem negari poteſt co. ſi ex parte ignoratur, & ex parte cognoſcitur ne. Nam ſi e. g. ſciam utrumque numerum eſſe finitum, certo definire poſſum ſummam ex iis confectam finitis limitibus contineri. Similiter ſi teneam primum eſſe æqualem 3, & ſecundum eſſe minorem uno millione, certo ſtatuere poſſum coalitam ex iis ſummam eſſe minorem uno millione & tribus. Idem accidit in anima & corpore. Etſi animæ ſaltem natura non omnino cognoſcatur, tamen ſcimus utramque ſubſtantiam eſſe finitam atque creatam, atque inde colligimus §. 245. Ont. & ſeq. non habere virtutem ex nihilo educendi abſolutum aliquod, ſive ſubſtantia ſit, ſive accidens, cujuſmodi eſt vis ad ſtatum mutandum neceſ-

cessaria §. 42. Ont. Inde sequitur si anima sit caussa efficiens motuum corporis, & corpus sensationum animæ, aliud nihil restare nisi ut id fiat ope communicationis virium inter hasce substantias. Jam vero hunc etiam modum esse impossibilem §. 160. confecimus nedum inter animam & corpus, verum etiam inter unum & alterum corpus §. 237. & seq. Ont. Ergo certa ratione conficitur animam, dum operatur in corpus, & corpus, dum in animam, caussas efficientes non esse.

§. 165. Instantia & Responsio

Atqui licet anima sit substantia creata, & ideo creandi vi destituta, nulla tamen ratione conficitur eam non posse in corporibus vim efficere. Ergo nulla distinctio. Prob. min. sub. Anima in corpore potest efficere vim, quin illam creet, aut communicet. Ergo &c. Prob. ant. ratione allata §. 244. Ontol. & ex §. sequenti eruitur solutio ejusdem rationis. Unde ut breve faciamus, hic eam omittimus.

§. 165. Propositio II.

In explicando commercio inter animam & corpus, systema Leibnitii admittendum non est. Prob. In systemate Leibnitii anima operatur seorsim a corpore, & corpus seorsim ab anima, nec altera alterius mutationum aliquo modo est caussa. Atqui hoc falsum est. Ergo &c. Prob. min. Quod certæ & continuæ experientiæ adversatur, tamquam falsum habendum est, si quod experientia compertum fit, nulla ratione esse impossibile ostenditur; nam experientia est unum ex instrumentis, quibus Deus nos providit ad rerum cognitionem acquirendam §. 222. Log. indeque eruimus corpora exstare §. 233. n. 6. Log. itemque veras esse in belluis sensationes §. 142. atqui certa & continua experientia nobis conscii sumus tam animam esse aliquo modo caussam motuum corporis, & corpus sensationum animæ, & aliunde id fieri posse adminiculo systematis caussarum occasionalium infra docebimus. Ergo &c. Prob. min. Illud pro caussa habendum est, quo posito effectus ponitur, sublato aufertur; atqui posito animæ imperio movendi brachium, motus brachii sequitur, sublato aufertur; item posita impressione in organo sensus, ut in tactu ob ignem, sensatio caloris existit, ea cessante sensatio quoque evanescit. Ergo &c.

§. 166. Objectio

Experientia non efficit animam esse caussam motuum corporis, & corpus esse caussam sensationum animæ. Ergo &c. Prob. ant. Experientia solum docet hos motus atque cognitiones esse simul conjun-

jun-

junctos adeout posita quadam cogitatione statim exsistat quidam motus, & posito quodam motu statim quædam sensatio & cognitio excitetur. Atqui ex hoc non certo colligitur animam esse caussam motuum corporis, & corpus esse caussam sensationum animæ. Ergo &c. Prob. min. Fieri potest, ut hæc sint conjuncta, quamvis nec anima sit caussa motuum corporis, nec corpus animæ sensationum. Ergo &c.

§. 167. Responsio

Dist. ant. fieri potest, ut hæc &c. de absoluta Dei potentia, & non considerata ipsius bonitate co. de ordinaria, & considerata ejusdem bonitate ne. Nam etiam de absoluta Dei potentia fieri potest, ut in animis exsistant sensationes corporum perinde ac si corpora forent, tametsi hæc nequaquam exstarent. Sed quia Deus si eas ipse per se sine ullis corporibus efficeret, præstaret aliquid suæ bonitati contrarium, idest nos continuate deciperet, quia nec præmonuit corpora nequaquam exsistere, nec aliquam ad ipsorum impossibilitatem ostendendam suppeditavit rationem, idcirco in Logica §. 222. & seq. corpora in hac rerum universitate constare collegimus. Simili ratione hic versamur. Absolutam Leibnitiani systematis possibilitatem ultro fatemur. Sed cum ex altera parte tantum absit ut aliqua ratione ostendatur systema occasionalium caussarum esse impossibile in commercio inter animam & corpus explicando, ut potius ad illius possibilitatem ostendendam præsto sit ratio; & ex altera Deus circa rem hanc nos minime præmonuerit: inde eruimus Divinæ Bonitati contrarium esse, ut continuate appareat animam esse caussam motuum corporis, & corpus sensationum animæ, si revera id non foret, & idcirco de ordinaria Dei potentia fieri non posse, ut aliter sit.

§. 168. Instantia

Atqui etiam divina bonitate considerata fieri potest, ut hæc sint inter se semper conjuncta, tametsi alterum alterius caussa non sit. Ergo &c. Prob. min. sub. Si aliter Deus præstaret, nos minime deciperet, etiamsi appareat animam esse caussam motuum corporis, & corpus sensationum animæ. Ergo &c. Prob. ant. Quamvis appareat corpus esse caussam efficientem motus alterius corporis, tamen nos Deus non decipit, etiamsi revera talis caussa non sit. §. 237. & seq. Ont. Ergo &c.

§. 169. Responsio

Dist. ant. Deus non decipit eo quod evidens ratio docet corpus esse non posse caussam efficientem motuum alterius co. si non doceret ne. Et dist. conseq. Si aliter Deus præstaret, nos non deci-

pe-

peret, si evidens ratio non doceret animam nullo modo esse posse caussam motuum corporis co. si doceret ne. Nam hoc est discrimen, quia quod attinet ad modum, quo corpora in se vicissim operantur, Deus nobis providit claras & evidentes rationes §. 237. Ont. allatas, ad quas attendendo possumus in cognitionem venire corpora esse non posse caussas efficientes, dum alterum in alterum incidit, & illud movet, & ideo solum esse occasionales. Quod vero attinet ad commercium inter animam & corpus, nulla ratio docet systema caussarum occasionalium in illo explicando esse impossibile, immo potius suadetur id esse possibile. Ergo si continuate nobis appareret animam esse aliquo modo caussam motuum corporis, & corpus sensationum animæ, & anima atque corpus nec forent caussæ hujusmodi mutationum occasionales, nos Deus semper deciperet. Quod cum divinæ bonitati repugnet, concludendum est corpus & animam esse suarum mutationum sibi invicem caussas saltem occasionales.

§. 170. Instantia

Atqui licet nulla sit ratio ad ostendendam impossibilitatem systematis caussarum occasionalium, tamen nos Deus nequaquam deciperet. Ergo &c. Prob. min. sub. Non Deus nos deciperet, sed nos deciperemus nos ipsos. Ergo &c. Prob. ant. Nos deciperemus nos ipsos, si colligeremus ex experientia plus, quam quod ab ea monstratur; atqui ex experientia plus colligeremus, quam quod ab ea monstratur. Ergo &c. Prob. min. Experientia solum monstrat cogitationes animæ & motiones corporis esse eodem tempore conjunctas, non vero alias aliarum esse caussas. Ergo &c.

§. 171. Responsio

Dist. ant. Experientia solum monstrat proxime animæ cogitationes & corporum motiones eodem tempore esse conjunctas, non vero alias aliarum esse caussas co. solum monstrat remote subdist. si perpetua duarum rerum conjunctio non foret signum mutuæ rationis aliarum ab aliis co. si foret ne. Nos alia ratione non venimus in cognitionem caussarum & effectuum ab iis profectorum, quam hac, quia statim ac ponitur prima res, etiam secunda exsistit. Unde novimus conflictum corporum esse caussam communicationis motus, quia statim ac alterum in alterum incurrit, in percutiente partem motus extingui, in percusso partem generari videmus. Quamobrem conjunctio secundæ rei cum prima, sive ortus secundæ simul ac prior exsistit, est signum ab auctore naturæ institutum, per quod in mutuæ rationis rei ad aliam tamquam ef-

effectus ad caussam cognitionem venimus. Quamobrem si ex eo, quod positis in anima quibusdam cogitationibus quædam in corpore motiones statim exsistunt, & positis quibusdam in corpore motionibus quædam in anima cogitationes, eruimus alias aliarum esse caussas, ex hac experientia nihil colligimus, quod illa non monstret, non quidem proxime, sed tamen remote, eo quod hæc cogitationum & motionum conjunctio est unum signum a Deo statutum, per quod in cognitionem venire possumus mutuæ rationis rerum inter ipsas tamquam effectorum a suis caussis.

§. 172. Propositio

In explicando commercio inter animam & corpus admittendum est caussarum occasionalium systema. Prob. Ex dictis in propositione antegressa & in responsionibus ad objecta constat animæ cogitationes esse aliquo modo caussas motionum corporis, & motiones corporis cogitationum animæ. Atqui ex prop. 1. §. 160. non sunt caussæ efficientes, nec aliæ in aliis physicum influxum præstant. Ergo aliud nihil est reliquum, nisi ut sint caussæ occasionales, ideft, cum nova mutatio sine sua caussa efficiente, & creante vim esse nequeat §. 42. Ont. nisi alteri caussæ virtutem creandæ vis habenti, scilicet Deo §. 254. Ont. præbeant occasionem creandi vim motricem in corpore, positis quibusdam in anima cogitationibus, & creandi vim sentiendi & cogitandi in anima, positis quibusdam in corpore motibus; præsertim cum has vires esse accidentales §. 91. & seq. docuerim. Ex quibus sequitur in explicando commercio inter animam & corpus systema caussarum occasionalium esse admittendum.

2. Hic nulla objecta proponimus, quia jam proposita & diluta sunt partim proposit. I. partim II., partim §. 64. & seq. ubi ostendimus Deum non esse in hac sententia peccati auctorem, & partim §. 238. & seq. Ont. Hic solum tria observamus; primum si corpora sunt caussæ tantum occasionales, dum alia incurrunt in alia, tametsi corpus incurrens habeat vim motricem ejusdem rationis, ac est ea, quæ in percusso generanda est §. 237. Ont. multo magis animam esse caussam tantum occasionalem motuum corporis, & corpus sensationum animæ, cum nec anima vi motrice, nec corpus vi sentiendi prædita sint: secundum quia systema caussarum occasionalium in corporibus revolvitur ad systema virium attrahentium in distantia, & in contactu repellentium, §. 305. Ont. inde sequi non esse prorsus explodendos eos, qui in explicando commercio inter animam & corpus ad vires attractrices confuge-

runt, si modo aliud nihil velint significare, quam hoc, Deum hanc statuisse legem ut positis quibusdam in mente cogitationibus & cogitandi viribus quasdam motrices vires in cerebro & in nervis atque in aliis corporis partibus crearet, & positis quibusdam in corpore motibus quasdam in anima sentiendi & cogitandi vires pariter crearet.

3. Tertium totis viribus in id esse incumbendum, ut quemadmodum inventa est lex, quam in collisione corporum Deus sibi statuit, quod attinet ad eam partem vis, quam in percutiente corrumperet, & ad alteram, quam in percusso crearet §. 303. Ont. ita idem possit definiri in explicanda communicatione virium inter animam & corpus. Id quod ex aliqua parte præstitimus in prima Psychologiæ parte, fusius autem præstituri in Physica, ubi interiorem sensuum corporis structuram exposuerimus; eo quod leges, secundum quas sensationes & imaginationes a Deo excitantur, accuratius inde eruemus.

§. 173. Animadversio

Hic exponenda restarent, quæ pertinent ad animæ libertatem. Verum quia hæc nimiam cum Dei attributis & ipsius actione necessitudinem habent, idcirco de his mihi integrum servo in Naturali Theologia, quæ mox sequetur.

§. 174. Scholion XIII.

Quod attinet ad excogitatum a Leibnitio systema in explicanda ratione, qua corpus cum anima copulatum est, alii alia via in eo refellendo procedunt. Ea, quæ ducit initium ab observationibus & experimentis, mihi commodior ac tutior visa est. Altera tamen est ex meis profecta principiis, quæ in antecessum constitui. Nam ex iis, quæ tum §. 42. Ont. tum hic §. 91. & seq. disserui, compertum fit sensationes omnes ideasque absolutas, atque appetitus esse accidentia quædam extrinsecus ad animam jam perfectam & absolutam accedentia, & in ipsa ab optimo ejusdem Opifice creata, adeout anima in iisdem accipiendis patiatur, & solum operetur & agat in directione suæ attentionis ad hanc potius quam ad illam ideam; suæque appetitionis ad hoc potius quam ad illud quod sub boni specie eidem appareat. Quo constituto primum corruit ea systematis Leibnitiani pars, quæ vult animam habere insitam atque essentialem vim sibi mundum repræsentandi, sive transeundi ab aliis ad alias sensationum & imaginationum ideas; quod eodem revolvitur, quia mundus hisce ideis atque notionibus repræsentatur: & idearum atque appetitionum status sequentis rationem sufficientem esse in ideis atque appetitionibus antegressi, quemadmodum status cujuslibet sequentis hujus corporei mundi ratio sufficiens in antegresso continetur. Cum enim quælibet anima sit una tantum substantia, non est cum toto comparanda corporeo mundo, qui ex pluribus substantiis coagmentatur, sed cum uno tantum corpore, sive potius cum uno primitivo corpusculo, quod vere pro una tantum substantia potest ha-

haberi §. 78. & seq. Ont. Jam vero cujuslibet corporis mutationum ſtatus ſequentis ratio non eſt ſolum petenda a viribus & mutationibus antecedentis, ſed ab aliis quoque circumpoſitis corporibus, quæ ob leges a Deo ſtatutas ſunt occaſio, cur is alias vires in corpore gignat, & priores aut ex toto aut ſecundum partem corrumpat §. 303. Ont. quia tantum abeſt ut vires & mutationes antegreſſæ ſint ratio ſufficiens ſequentium, ut potius ſi ipſæ per ſe conſiderarentur, eſſe cauſſa deberent, cur corpus in iis perſeveraret. §. 291. & ſeq. Ont. Et revera ſi conſideremus corpus ea vi projectum ut ſuper planum tempore duorum minutorum 100 pedes conficere debeat orientem verſus æquabili celeritate, & poſt primum minutum manu pelli in contrariam plagam, profecto regreſſus hujus corporis occaſum verſus tempore ſecundi minuti ratio ſufficiens eſt in ea vi, quam occaſione manus hominis Deus in fine primi minuti in corpore creavit occaſum verſus, non in vi præcedenti, quam Deus ob eamdem occaſionem corrupit, quæ potius erat ratio, cur corpus orientem verſus eadem velocitate ferri pergeret, nec in natura corporis, quod ipſum per ſe erat indifferens tum ad quietem corrupta omni vi, tum ad motum verſus quamcumque partem & quacumque celeritate pro ratione & directione vis, quæ in ipſo denuo procrearetur. Jam vero anima, ut dixi, eſt una tantum ſubſtantia, non autem plurium ſubſtantiarum congeries. Ergo ipſius mutationum ſtatus ſequentis, ideſt idearum & appetitionum, quæ a viribus accidentalibus proficiſcuntur, ratio ſufficiens eſſe non poteſt in viribus & ideis atque appetitibus inde profectis ſtatus antecedentis; nec in ipſamet animæ natura, quæ ipſa per ſe ad has atque ad alias qualcumque recipiendas eſt indifferens; nec in aliis animabus, quarum vires cognoſcendi & appetendi occaſionem Deo præbeant ſequentes gignendi vires, eoquod una ſubſtantia eſt, & cum aliis animabus minime copulata. Ergo aliud nihil eſt reliquum, niſi ut ſit in motionibus corporis, & cerebri præſertim, quicum eſſe arctiſſime conjunctam experimentis & obſervationibus comperimus. Et ſane non minus inter ſe adverſari videntur ſenſatio magnam afferens voluptatem, & ſenſatio magnum efficiens dolorem, atque appetitiones atque averſationes inde profectæ, quam vis & motus in unam partem, & vis atque motus in contrariam. Quare ſicuti vim & motum verſus unam plagam non eſſe rationem ſufficientem vis & motus verſus contrariam modo notavimus; ita colligendum eſt voluptatem, quæ ex ſumtione cibi dulcis oritur, non eſſe ſufficientem rationem doloris, quem in continenti ſentimus, ſi poſt illius ſumtionem amarum ſtatim guſtemus, aut magno vulnere ſauciemur. Dicendum eſt ergo quod quemadmodum in hoc maximo corporeo mundo quæque corpora ſunt ſibi viciſſim occaſionales cauſſæ, cur Deus ſecundum leges in colliſione corporum a ſe ſtatutas §. 303. Ont. has & illas vires & mutationes in iiſdem efficiat; ita in hoc exiguo hominis ex corpore & ex anima conſtantis mundo corpus & anima ſint ſibi invicem cauſſæ occaſionales, cur poſitis quibuſdam in corpore motionibus quaſdam in anima ſenſationes & appetitiones Deus excitet, & poſitis quibuſdam in anima ſenſationibus & appetitionibus quaſdam in corpore motiones efficiat. Quamvis enim quod pertinet ad corporis mutationes, non ita facile ſit rem acu tangere, & ponere ſub oculos ſequentium rationem partim eſſe in antegreſſis, partim in mundi corporibus, quibus corpus humanum circumdatur, eoquod res eſt cum ſubtiliſſimis ſpiritibus, & cum exiliſſimis

 ner-

nervorum concussionibus, quibus motus corporis perficiuntur: tamen pleræque mutationes status sequentis adeo contrariæ observantur mutationibus antecedentis, & a viribus circumfusorum corporum adeo dissidentes, ut nec ab iis, nec ab his originem posse ducere videantur. Reciprocæ ex. g. manuum elevationes ac demissiones toties repetitæ, quoties libuerit, nonne ita sibi adversantur, ut aliæ ab aliis omnino atque contrariis viribus originem ducere debeant, nec possint demissiones infra pectus in elevationibus supra pectus rationem sufficientem habere, quemadmodum pilæ adversus orientem pulsæ reflexio in occasum, non proficiscitur a vi, qua versus orientem profecta fuit, sed a vi, quam lusoris manus cum eadem communicat? Quis autem sibi persuadere poterit eas esse in aere & in aliis circumfusis mundi corporibus reciprocas atque adeo celeres atque toties continuatas virium mutationes, quæ sint ratio sufficiens, cur modo manus a spiritibus animalibus & a nervis supra pectus attollantur, modo demittantur infra pectus, iique reciproci contrarii motus per aliquod tempus continuentur? Quamobrem si mutationes corporis consideremus, nimium labat systema Leibnitii, & sive ad experimenta, sive ad rationes attendamus, perspicuum fit animam esse aliqua ratione caussam motionum corporis, & corpus sensationum atque appetitionum animæ. Cum vero ob ea, quæ disputata sunt, caussæ efficientes esse nequeant, manet esse occasionales, & Deum esse unam & veram caussam, quæ ipsarum vim efficientem cohibeat.

¶. 2. Ceterum quod pertinet ad hoc caussarum occasionalium systema, alia quoque est ratio diluenda, quam olim Cartesio objecerunt. Nam aliqui ex Cartesiano systemate consequi arbitrabantur, ut si anima Cæsaris Romæ sit & corpus in Galliis, nihilo tamen minus Cæsar sit homo anima & corpore constans, si modo Deus ex motibus corporis in Galliis positi occasionem sumat excitandi quasdam convenientes in anima Romæ collocata cogitationes, & ex quibusdam animæ cogitationibus similem arripiat quasdam in corpore convenientes motiones gignendi. Id autem a recta ratione abhorrere patet. Ergo Cartesii systema ob hanc etiam caussam repudiandum esse contendebant. Equidem assentior id Deum posse facere, verum nego fecisse, propterea quod ad veram duorum conjunctionem pertinere videtur non solum actionum communicatio, verum etiam substantiarum vicinia. Quamobrem ajo hanc sibi legem Deum statuisse, ut occasione motuum corporis quasdam in anima cogitationes, & occasione cogitationum animæ quosdam in corpore motus non excitaret, nisi cum anima in cerebro est atque cum illo suo modo cohæret §. 109. n. 4. Quo satisfactum arbitror propositæ difficultati.

3. Cl. Genuensis in altera parte Elem. Metaph. prop. 26. hæc quatuor circa systema caussarum occasionalium sibi ostendenda proponit. 1. *est incertum*; 2. *intimæ conscientiæ repugnat*; 3. *gravissimis argumentis oppugnatur*; 4. *& cum Theologia Christiana non satis consentit*. Primum docet ex eo quod altera ex parte cum plures esse possunt dati alicujus phænomeni caussæ, earum nulla pro certa habenda, nisi cum omnes aliæ aut falsæ monstratæ sunt, aut impossibiles; & ex altera nec certi sumus nullas superesse alias rationes explicandæ conjunctioni mentis & corporis accommodatas, quam quæ hucusque sunt a Philosophis traditæ, nec quæ tempore Malebranchii ferebantur, ab homine demonstratæ sunt aut falsæ, aut impossibiles; & postquam is occidit, reperta est etiam harmonia præstabilita. Secundum ex eo colligit quod clara omnium ho-

hominum conscientia docet corpus hoc nostrum ab anima agitari, animari, vivum atque vegetum fieri, esse inter animam & corpus commercium reale, quæ omnia systemate suo Malebranchius abrumpit, & alioquin argumenta ex claro hominum sensu atque conscientia desumta magni ponderis esse debere in Logica § 222. & seq. docuimus, nisi ex perspicuis demonstrationibus rem aliter esse colligatur, quod profecto a caussarum occasionalium Patronis non fit.

4. Tertium pluribus confirmat; in hoc enim systemate non intelligitur, 1. cui sit usui mens humana in corporibus; 2. nec quæ esse possit libertas in corporis actionibus, si nullum in corpore mens imperium habeat, aut in ipsiusmet animæ actionibus, si ex occasione tantum motionum corporis omnes in illa cognitiones & voluntates Deus efficiat. 3. Cur Deus non sit anima mundi; nec enim aliud animæ nomine intelligimus, nisi principium activum vitæ, sensus, cogitationum: at ex Malebranchianis omnium harum rerum principium activum est Deus. *Quam rem* [sunt auctoris verba] *Anonymus superius citatus videtur diserte dicere. Etenim anima cujusque hominis est cogitatio, & omnis cogitatio perpetuo creatur a Deo immediate; quod si recte accipio, est idem atque dicere Deum perpetuo & perenniter in mundanis machinis cogitare*. Ita Genuensis qui addit legem illam mechanicam, qua statuitur corpus motum nec cessare a motu, nec a priori directione nisi incursu alterius, falsam esse in corporibus hominum & brutorum; eos vero qui respondent in hominibus & in belluis esse legis exceptionem, *ludere par impar*, quia oportuit id accurate monstrari.

5. Quartum ostendit ex eo quod ex hoc systemate sequeretur nemini culpæ esse ascribendas actiones contra Dei legem. 1. quia scelera a corpore patrata animæ vitio vertenda non sunt, cum potius physicæ caussæ quæ est Deus, quam morali, quæ est anima, sint ascribenda: 2. nec in ipsis suis pravis cogitationibus & appetitibus anima erit in culpa, cum in illa necessario gignantur ex occasione motionum corporearum: 3. inutiles fierent leges morales; nam cui tu usui dices esse legem *non occides*, si ut occidam, corpus moveri debet a solo Deo, animus nihil potest nisi imperare necessario ex occasione motionum corporis? qua de re in epistola italica ad Ab. Conti addita ipsius Arti Logicæ presse ait futurum ut in hoc systemate Deus, ut auctor naturæ, creet in nobis eas ideas, quas ut Legislator contemplari vetat. 4. *Doctrina peccati originalis* (scribit auctor) *hoc systemate est omnino inintelligibilis, nisi statuatur etiam animorum præexsistentia. Enimvero, sublato omni cum corpore mentis commercio, quo ex surculo corrives labem illam Adamiticam? Scio non deesse Malebranchianis ad hæc quæ regerant; sed scio etiam nullam esse falsitatem sine patrono*.

6. Atque hæc sunt Cl. Genuensis adversus systema caussarum occasionalium argumenta, quæ me nulla ratione ab illo tamquam certo amplexando deterrent. Nam etsi Dei sapientia sit infinita ut nemo vias ejus scrutari possit, tamen artis combinatoriæ principiis, de quibus in Logica §. 244. num. 8. tractavimus, in multis invenire possumus modos omnes, quibus aliquid fieri potest, adeout neque Deum alium modum excogitare posse perspectum & exploratum habeamus. Ex. gr. tres termini A, B, C solum triginta duobus modis conjungi possunt habita ratione tum loci quem occupant in tribus syllogismi propositionibus, utrum scilicet singuli loco subjecti sint vel prædicati, tum

tum affirmationis & negationis, utrum nempe singulæ enuntiationes affirment an negent, ita ut certi simus neque divina potentia fieri posse ut alio modo conjungantur · §. 53. Log. Similiter res se habet in illa Logicæ propositione §. 147. qua ostendimus omnia quæ in quolibet ente sunt, esse vel illius essentialia, vel attributa, vel modos, sive accidentia, nempe adminiculo propositionum contradictoriarum, & illius principii prorsus necessarii ut neque per Deum aliter esse queat, *ex duabus, contradictoriis altera vera est, altera falsa*. Earumdem vero propositionum adminiculo ostendere aggredior quot esse possint modi efficiendi & explicandi inter animam & corpus commercii, quod in eo esse positum jam vidimus ut positis quibusdam in anima cogitationibus statim aliquos in corpore motus, qui ante non erant, exsistere observemus, & positis quibusdam in corpore motibus quasdam in anima cogitationes appetitionesque excitari nobis conscii simus. Qua in re primum ex principiis omnium calculo admissis pono nihil novi exstare posse sine sua caussa, & ex meis quæ mihi videor ad evidentiam ostendisse in Ont. §. 42. & §. 91. ac seq. nullam novam mutationem exsistere posse sine nova vi absoluta quæ proxime a Deo creetur & conservetur. His positis vel anima est caussa efficiens motuum corporis, & corpus animæ sensationum, vel secus saltem ex altera parte, quia jam observavimus aliquos eorum, qui systema physici influxus amplectuntur quod attinet ad animæ actionem in corpus, nolle idem usuvenire in actione corporis in animam. Systema physici influxus citatis Ontologiæ locis & supra non solum cum agitur de substantiis diversi generis, quales sunt anima & corpus, verum etiam cum de substantiis ejusdem, qualia sunt duo corpora, quæ se contingunt, ita claris atque perspicuis rationibus refutasse mihi videor, ut de impossibilitate hujusce mutui influxus amplius dubitari non posse credam. Scio non omnino probari principia quibus sum usus, dari in corporibus & in animabus vim aliquam, quæ sit aliquod non solum ab ipsamet pura mutatione distinctum, verum etiam accidentale absolutum quod proxime a Deo creatur, hancque vim non posse ab altera in altera creata substantia gigni, eoquod nec communicari nec creari potest; ex quibus meam sententiam evidenter elicui. Verum hic repeto quæ in Logica §. 243. n. 14. disserui, advertoque propositiones aliquas non continuo incertas aut falsas existimari oportere, eoquod nonnulli easdem tamquam tales traducunt. Quotumenimquodque nedum in Philosophia, in qua ceteroquin multa undequaque se offerunt incerta & inexplicabilia, sed in ipsismet Geometricis disciplinis, quæ alioquin in rebus tam claris tamque perspicuarum notionum lumine illustratis versantur, perspectum foret & exploratum, si rationem haberi oporteret eorum, qui Geometrica ipsa principia aut inficiantur, aut in dubium revocant? Sed examinandæ rationes quibus quodque conficitur, & in eas animus acriter intendendus, & omnia expendenda quæ inde legitime colliguntur. Si enim illæ sua perspicuitate lacessant animos attendentium, & omnia quæ inde eliciuntur, & inter se & cum aliis naturæ phænomenis cumque ceteris notionibus claris & evidentibus mirifice congruant, quid ni pro certis habeantur, etiamsi multi sint qui negent assensum præbere, propterea quod id contingere potest, eo quia non satis se a præjudicatis opinionibus expedire, & ad easdem non quantum opus est, animum intendere non potuerunt. Hæc notionum perspicuitas hicque mirificus omnium, quæ inde illata fuerunt, consen-

sensus caussa exstitere; cur Geometricæ disciplinæ pro certis semper habitæ fuerint, tametsi multi easdem tamquam a falsis profectas principiis non spernendis rationibus ostendere conati sint. Atque utrumque est caussa cur certissima putem, quæ de dictis principiis, deque enuntiationibus inde erutis & in Ontologia & hic disputavi. Præsertim vero eorum consensum, quod pertinet ad corpora, cum attractione & repulsione, cum inertia & impenetrabilitate, cum primitivis motuum legibus iis ipsis, quas ex observationibus Philosophi collegerunt, & cum innumerabilibus aliis naturæ phænomenis jam ex parte vidimus in prima Ontologiæ Appendice, & accuratius in tribus Physicæ Generalis tomis & in duobus de Magnete: quod vero ad animam pertinet, hic animadvertimus & in antecessum jam sæpe notavimus. Quamobrem nullus dubito quin pro comperto haberi debeat nec animam esse posse caussam veram effectricem motuum corporis, nec corpus sensationum & appetitionum animæ.

7. Ergo nihil aliud est reliquum nisi ut alteram amplectamur contradictionis partem. Si nec corpus animæ mutationum, nec anima mutationum corporis sunt caussa effectrix, & nihilominus datur mirificus ille in antecessum explicatus consensus inter semper diversas ac novas utriusque mutationes, quæ novam aliquam caussam desiderant, vel illæ mutationes sunt concordes propter duas caussas seorsim agentes, alteram in anima, alteram in corpore, quin altera ab altera pendeat, vel sunt concordes sed non propter duas caussas seorsim agentes, quia cum jam constet eas esse concordes, alterutro ex his duobus contradictoriis modis sint oportet. Primum autem non obtinere supra docuimus, cum Leibnitium refelleremus, in cujus sententia anima & corpus sunt veluti duo horologia a duabus seorsim agentibus percita caussis, quorum alterum indicat horas, alterum easdem adamussim pulsat. Ergo restat secundum, nempe animæ & corporis mutationes sunt concordes sed non propter duas caussas seorsim agentes, quarum altera ab altera non pendeat. Ex primo sequitur futurum fuisse ut anima eamdem sensationum, perceptionum, & appetituum seriem haberet, & corpus eamdem motum, si aut anima aut corpus sola exstarent, quemadmodum utrumque horologium eosdem motus perficerent, si alterum solum exsisteret. Ergo ex secundo quod est primi contradictorium, consequens est id non esse futurum. Quamobrem corporis & animæ mutationes ita sunt conjunctæ, ut si talis in anima mutatio non foret, nec talis in corpore reperiretur, & vicissim. Id autem est caussarum occasionalium systema, in quo posita in una substantia mutatione mutatio quoque in altera substantia statim sequitur, quæ minime sequeretur si prima substantia talem mutationem non habuisset, tametsi altera substantia mutationem in altera vere non efficiat. Ergo ex his fit perspicuum inter mutationes animæ & corporis systema caussarum occasionalium universe admitti oportere. Nam caussa occasionalis intantum concurrit ad effectum, inquantum eam cognoscens caussa cognitione donata se ad effectum gignendum determinat. §. 255. Ont. Hæc autem continuata mutationum animæ & corporis per longum vitæ tempus convenientia, tametsi nec corpus in anima, nec anima in corpore quidpiam vere efficiat, virtutem postulat alicujus efficientis & cognitione præditæ caussæ, quæ, mutatione quadam in altera ex his substantiis posita, in altera congruentem efficere possit, nisi quis cum Epicureis tantam hanc convenientiam casui ascribere velit, quod & refutatur tum iis rationibus quas attulimus ad-

ver-

versus Leibnitium, quia si corpora & animæ seorsim agerent, solum fortuito eorum actiones convenirent, tum iis quibus insana Epicureorum mundum hunc a fortuito atomorum concursu repetentium opinio convellitur. Hæc caussa efficiens & cognitione donata, quæ ex mutationibus unius ex hisce substantiis occasionem arripiat gignendi consentaneas in altera mutationes, esse non potest, nisi Deus. Nam quod attinet ad corpus, res per se clara est, cum nec vi polleat cognoscendi quid contingat in anima, ut congruentes in se ipso mutationes gignere possit, nec seipsum moveat, sed extrinsecus moveatur, & aliunde in corporum circumpositorum viribus non sit idonea multarum corporis mutationum caussa, ut supra vidimus num. I. Quod vero pertinet ad animam, ipsa cognoscere non potest corporis mutationes nisi adminiculo congruentium sensationum & idearum; harum vero idearum vim in se ipsa excitandarum non habet §. 91. & seq. & si haberet, non posset eas corporis mutationibus consentaneas excitare, propterea quod antequam ideis afficiatur, eas mutationes nequaquam cognoscit. Ergo aliud nihil est reliquum nisi ut ipsemet Deus easdem ideas & sensationes ipse per se in anima creet atque conservet. Ex quibus omnibus liquere arbitror systema caussarum occasionalium pro certo haberi oportere.

8. Quo evertitur primum ex iis, quæ a Genuensi statuta sunt, & simul etiam secundum; nam intimus ille sensus, quo nobis videtur anima agitare & pellere corpus, proxime non efficit nisi hoc, positis quibusdam in anima appetitionibus statim consequi motum, quem anima in corpore exsistere vult, remote vero etiam efficientem animæ vim, nisi ipsomet assentiente perspicue ostendatur animam ut effectricem caussam in corpore nihil posse operari. Jam vero id perspicue monstravimus. Ergo ex hoc intimo sensu nihil colligi potest, quemadmodum nec ex iis experimentis, quibus ad incursum alterius corporis in alterum motum in hoc secundo consequi comperimus, potest effici corpora dum invicem confligunt, esse veras efficientes caussas, propterea quod evidentibus prorsus rationibus id non obtinere confecimus §. 237. Ont. Atque hæc sunt consentanea iis quæ in Logica §. 233 disseruimus, cum traderemus regulas dijudicandi; quandonam intima experientia sensuum fallere nequeat, cum scilicet id esse perpetuo monstrat, quod si aliter sit, naturali ratione dispicere nequimus idem aliter se habere.

9. Nunc venio ad tertium & ad quartum in quibus mihi potissimum esse laborandum video, propterea quod difficultates iis contentæ, nec satis ab aliquo, quod sciam, caussarum occasionalium defensore explicatæ caussa fuerunt, cur plurimi liquidam veritatem attingere non potuerint, quemadmodum idem usuvenisse in disputatione de continuo in Log. §. 243. n. 14. observavimus. Prima tertii difficultas est levis momenti, cum ex eo quod mens humana est in corporibus, & ex anima & corpore homo coalescat, saltem appareat varietas operum Dei, inter quæ sunt & substantiæ solum corporeæ, & substantiæ solum spiritales ut angeli, & substantiæ mixtæ partim spiritales & partim corporeæ, ut homines, & alioquin maximus ille inter mutationes utriusque substantiæ consensus, tametsi altera in altera non operatur, divinam sapientiam miro modo declaret. Quare accedo ad secundam, quæ est majoris momenti, cuique sic satisfacio. Quamvis anima nullum habeat caussæ efficientis imperium in corpus, habet tamen caussæ moralis, dum ipsa prior libera voluntate appetit quemdam

cor-

corporis motum, & Deus tamquam efficiens illum gignit, quemadmodum Regi tribuuntur subditorum actiones, quas is præcipit, tametsi earum sit caussa tantum moralis, & solum caussæ moralis imperium in eosdem exerceat. Quod vero pertinet ad ipsos animæ appetitus, in quibus vera libertas posita est, parum curo quid alii senserint Malebranchii in hac re astipulatores; mea sententia hæc est, quam §. 58. significavi, & in Theologia Naturali latius exponam. Vim appetendi bonum universe & ipsum appetitum tamquam aliquod absolutum creat Deus in anima; verum in animæ potestate est illam dirigere in hoc potius quam in hoc aliud particulare bonum; unde substantia cogitationis & appetitus est a Deo tamquam a caussa creante & conservante, directio ab anima, quæ satis ut rem creatam decet, ob id ipsum intelligitur esse libera ea libertate quæ dicitur indifferentiæ, quæ ad merendum aut demerendum necessaria est, & agendi principium in se habere; eoquod libertas hujusmodi maxime posita est in facultate dirigendi suas appetitiones ad hoc potius bonum particulare, quam ad aliud quodcumque. Ex systemate vero caussarum occasionalium, immo & ex ea sententia, qua supra monstravi quamlibet cogitandi & appetendi vim ad animæ substantiam accidere, §. *91*. consequens est Deum creare id quod est absoluti in cogitationibus & appetitionibus, non autem id quod est relativi, sive ipsammet earumdem directionem. Ergo vis agendi animæ & indifferentiæ libertas sartatecta servatur in hoc systemate, quatenus a me defenditur, tametsi non dubitem, quin alii quoque ejusdem Propugnatores in tuto illam collocent. Certe non video cur aut hic sugillet auctorem *de l'action de Dieu sur les creatures*, aut in epistola supracitata male apud alios tamquam putidum Jansenistam audire ajat, quem esse purum Thomistam omnes ejusdem libri paginæ commonstrant. Jam vero hac vi agendi & libertate indifferentiæ in tuto collocata, multo minus ex hoc systemate sequitur Deum esse animam mundi, & omnia Deum esse. Nam ut Deus sit anima mundi, aut omnia sint Deus, necesse foret Deum esse internum principium vitæ, cogitationum & actionum animæ, ipsumque esse qui in rebus creatis vivit, sentit, cogitat & operatur. At Deus creat in corporibus & in animis vim agendi, seu vim mutandi locum in primis, & vim cogitandi & appetendi in secundis, a quibus viribus is distinguitur tamquam res creatrix a re ex nihilo creata; corpora vero ipsa quoque a substantia divina distincta viribus motricibus locum externum mutant, & animæ similiter distinctæ cogitant & appetunt suasque cogitationes & appetitiones omnes in partes inflectunt. Quamobrem hoc systema a Panthesimo & Spinosismo longissime distat.

10. Quod pertinet ad illam motus legem, ajo leges ex phænomenis erutas eas admittere exceptiones, quas phænomena pariter sub oculos ponunt. Unde cum Cartesiani ex multis phænomenis hanc legem elicuissent, quod corporis celeritas & directio non variantur, nisi ex proximo alterius corporis incursu, Newtoniani ex aliis phænomenis jure ac merito addiderunt hanc exceptionem, quæ pro lege habita est, & nisi ab alio corpore trahatur aut repellatur. Cum vero ex innumerabilibus phænomenis erutum fuisset omne corpus esse impenetrabile, & aliorum motui resistere, ex quo deduxi in Ont. §. 302. in omnibus corporibus esse in distantia vim attrahentem, quæ in contactu in repellentem abiret, & ex hac vi repellente impenetrabilitatem, resistentiam, inertiam & leges motum §. cit. & seq. & tom. I. Phy. Gen. §. 201.;

mihi tamen religio non fuit in Opere *de Magnete* §. 51. & seq. hæc omnia negare magneticis effluviis ratione habita corporum omnium præter magnetem & ferrum, & alia pauca, quæ cum ferro necessitudinem habent, eo quod accuratissimis experimentis & meis & Musschenbroechii & aliorum compertum est omnia corpora ne minimam quidem resistentiam iisdem effluviis objicere. His constitutis jam supra docui multos corporis motus, simul ac anima vult, exsistere, tametsi nulla secundum motus leges idonea caussa aut in corpore humano, aut in corporibus quæ illud circumstant, reperiatur. Quid ni ergo facienda sit hæc quam innumerabiles monstrant observationes, exceptio, quæ potius dicenda est pars generalis illius legis attractionis, propterea quod non minus hæc inter corpora datur attractio, ex qua universalium naturæ phœnomenorum rationem attulimus in prima Ontologiæ Appendice, quam inter animam & corpus §. 272. n. 2. ex qua similiter leges communicationis inter has duas substantias erui possunt?

11. Restat quartum, cujus rationes petitas ex labefactata in hoc systemate animæ libertate, quæ ad peccandum necessaria est, jam diluimus, cum in eo humanam indifferentiæ libertatem sartamtectam servari docuimus. Unde venio ad illam quæ Deum facit auctorem scelerum quæ a corpore patrantur. Cui sic satisfacio; Deus creavit animam liberam & propensam in bonas actiones tum internas, tum externas, & in mutationem aliquam corporis prodeuntes. Cum vero hæ corporis mutationes ab anima tamquam a caussa efficienti gigni nequeant; idem Deus tamquam universalis naturæ auctor legem sibi statuit ad nutum animæ consentaneos in corpore motus efficiendi. Si anima divinæ voluntati & propensioni a Deo inditæ obtemperet, tota vera actionis bonitas est in ipsa utpote sola substantia appetente, quæ tamen bonitas eo, ceteris paribus, major est, quo voluntatis appetitus in actionem quoque externam plus tendit. Si vero ea qua gaudet, libertate abutatur, malitia actionis pariter in ipsa est, non in corpore, sed solum eo major evadit, quo ad externum opus magis se extendit. Quum vero interna malitia tota ab anima sit, universalem naturæ provisorem dedecere non potest illa vis motrix, quam ob legem sibi statutam in corpore creat ad eum finem, ut constitutum ab ipso & ab bonum finem relatum inter animam & corpus commercium permaneat. Nec enim expecto dum urgeat exempla a communi hominum vita desumta, in quibus si peccat caussa moralis aliquam pravam actionem suadens aut præcipiens, multo minus culpa vacare potest physica, quæ illam perpetrat. Nam si universi moderatorem sine cujus efficienti vi nihil fieri potest, iisdem, ac homines, legibus concursus ad malas actiones astringi volumus, multo minus ad ipsammet pravam animæ appetitionem, quod attinet ad absolutum actus, proxime concurrere sive suum præbere auxilium ad illum ponendum necessarium poterit, propterea quod nec homines id facere possunt. Quod cum a vero longissime absit, iis rationibus quibus Christiani Philosophi Dei concursum ad pravas hominum appetitiones vindicant ab impiorum calumniis, efficiemus Deum sine ulla peccati nota posse ad pravum animæ nutum creare vim motricem in corpore, quæ illud ad consentientes cum animæ appetitu motiones excitet.

12. Difficilius videtur defendere alteram hujus systematis partem, ex qua sequitur Deum tamquam effectricem caussam ex occasione quorumdam corporis motuum excitare in anima pravas aliquas sensationes, quibus prohibet assen-

sensum præbere. Verum mihi videor §. *69.* & seq. ita satis huic difficultati fecisse, ut nemini ob hanc caussam religionem esse debere hanc amplecti sententiam arbitrer. Nulla tamen ratione intelligere possum quod ultimo loco Genuensis objecit, intelligi non posse peccati originalis in omnes Adæ nepotes transfusionem, nisi omnes animæ a primo creationis Protoparentis momento in seminibus suo tempore evolvendis creatæ fuerunt, propterea quod, sublato animæ cum corpore commercio, ex alio nullo surculo Adamitica labes potest derivari. Id enim cadit in Leibnitii systema, in quo animæ seorsim a corporibus operantur, ideoque nullum inter eas & corpora commercium intercedit; non vero in nostrum, in quo commercium perstat, tametsi caussarum moralium & occasionalium, non vero efficientium ope, nisi auctor doceat, posteaquam Adam sciens & prudens suam animam donis supernaturalibus spoliavit, & suum vitiavit corpus, & cum eo corpora eorum, quorum ova habebat inclusa, non potuisse Deum legem commercii caussarum occasionalium, quam integra natura sibi statuerat, amplius continuare; quod profecto nec ostendit, nec esse ostensurum credo. Quibus satisfactum esse arbitror omnibus Cl. Genuensis difficultatibus, & caussarum occasionalium systema ab omnibus objectis accurate vindicari.

13. Antequam his finem imponam, operæ pretium arbitror proponere quoque & diluere rationes, quibus influxum physicum suadere conatus est eruditus Pinus Ordinis S. Dominici in libro inscripto *Dissertazione in difesa della dottrina dell' Angelico Dottore S. Tommaso intorno al commercio dell' Anima umana col Corpo.. in Verona* 1760. Is itaque §. *46.* primam ducit rationem ex eo quod altera ex parte actio animæ in corpus res est certissimis experimentis, & intimo sensu evidenter comprobata, & ex altera id quod revera exstare perspicue constat, negandum non est ob illud unum quod non intelligitur modus quo idem fiat. Quot enim sunt ceteroquin certa, quæ hanc ob caussam in dubium revocanda forent, uti æstus maris, vel mundi exsistentia, quia intelligi non potest qua ratione aut ille perficiatur, aut hic ex nihilo eductus fuerit? Secundam §. *49.* deducit ex eo, quod si hanc proximam animæ actionem in corpus inficiamur, & ad Deum confugimus, qui eas mutationes in corpore statim ac anima easdem appetit, tamquam caussa proxima efficiat, inde consequens foret esse negandas proximas caussarum, quæ creatæ sunt, actiones, & cum corpora ex. g. centrum versus delabi observamus, esse dicendum non id perfici interna gravitate, sed alias ob leges atque ob unam Dei voluntatem & efficientiam, quia repudiato physico influxu, qui rationibus adeo certis conficitur, a quolibet Philosopho eodem jure negari possunt cujuscumque effectus proximæ caussæ. Tertia ratio proponitur §. *50.* & ita se habet. Si revera aut spiritus in corpore, aut corpus in spiritu non operaretur, tametsi contrarium evidenter appareat, Deus continuate nos deciperet, quemadmodum, si nulla forent in Eucharistico Sacramento accidentia, nos falleret in D. Thomæ sententia, qui opusc. 13. hæc habet. *Accidentia autem sine subjecto in eodem subsistunt, ut fides locum habeat... & sensus a deceptione reddantur immunes qui de accidentibus judicant sibi notis*; & in sententia S. Augustini lib. 83. Qq. quæst. 13. pariter fefellisset, si Corpus Christi solum phantasma fuisset. Ibidem quarta proponitur in eo posita, quod cum Deus potuerit infinitas alias procreare res, quarum effectus orirentur a suis proximis caussis,

quemadmodum oriri videntur mutationes animæ & corporis, in ipsius sapientiam essemus injurii, si eum scivisse negaremus formare hominem tali ratione, ut anima in corpore, & corpus in anima proxime operaretur.

14. Verum etsi concedam has rationes aliquid habere momenti adversus Genuensem aliosque Philosophos, qui nullis ajentibus argumentis possibilitatem physici influxus profligarunt, tamen nego eas quidpiam valere contra me, qui non eam protuli contra Logicæ regulas nimis frequenter usurpatam rationem impossibilitatis intelligendi modum, quo physicus influxus perfici queat; sed ajentes atque, ut mihi quidem videtur, perspicuas, quibus eumdem explosi non solum in substantiis diversæ speciei, verum etiam in substantiis ejusdem, uti sunt duo corpora quorum alterum in alterum incurrit. §. 237. 254. Ont. Quare do auctori id quod intimo sensu & experientia apparet esse alicuimodi, nec certa ratione contrarium efficitur, esse pro vero admittendum ob eas ratione, quas ex divina bonitate petitas supra in medium adduxi §. 144. & in Logicas §. 233. quod pertinet ad corporum exsistentiam. Hac de caussa admittenda sunt pro certis rebus & exploratis æstus maris, mundi exsistentia, aliaque permulta, in quibus experientia certis etsi non cognoscamus quo modo esse possint, nec tamen habemus evidentes rationes quibus esse nequire ostendantur. At si evidenti ratione id esse impossibile efficiatur, quemadmodum conficitur esse impossibilem veram actionem aut animæ in corpore, aut corporis in anima, aut corporis in altero corpore, tunc ob eas rationes quas in Logica protuli §. citato, nullus hæreo in assensu negando sensuum apparentiæ. Qua posita ratione, quæ id quod apparet, impossibile ostendit, divina bonitas nihil capit detrimenti, nec Deus homines fallit, quibus dedit rationem, qua falsas aliquas sensuum apparentias internoscerent, ut citato Logicæ loco pluribus declaravi. Ex quibus fit cadere non solum primam, sed etiam tertiam Pini rationem. Nam quod is addit de Eucharisticis accidentibus, vera & genuina ratio cur Deus in hoc Sacramento nos minime decipiat, in eo posita est quod monuimus citato loco num. 8. quia Deus nos admonuit non esse in eodem panis & vini substantiam. Cum vero ex altera parte potuerit corpus Christi esse verum, & ex altera nos non monuerit illud esse solum apparens, Deus quidem fefellisset, si tale corpus phantasma fuisset, sed id non convenit in physicum influxum, quem esse prorsus impossibilem docuimus. Nam quod is observat in quarta ratione potuisse Deum condere alias res, quarum aliæ in aliis proxime agerent, nihil est, nisi prius doceat non esse perspicuas eas rationes, quibus docuimus §. §. cit. Ont., creatam substantiam posse tamquam efficientem caussam quidpiam in alia progignere.

15. Restat secunda ratio, quam alias præoccupavimus ea doctrina & distinctione eorum, quorum alia sunt absoluta & a solo Deo creari possunt, qualia sunt substantiæ & vires ad statum mutandum necessariæ quæ in substantiis a solo Deo creari possunt §. 43. Ont., alia vero sunt relativa quæ creari non possunt, sed proxime exsistunt ex viribus a Deo creatis, uti sunt motus in corporibus & situs eorum inde pendens, ac cognitiones & appetitiones in anima, quæ suas actiones a Deo genitas libertate qua pollet dirigere potest. Qua doctrina posita, ajo, si negatur ant actio animæ in corpore aut corporis in anima, non continuo negari quemlibet effectum, cujus caussa proxima sit

ali-

aliquod creatum, nec sequi corpora non delabi ob internam gravitatem, cum potius ex nostro systemate consequatur nec Deum ipsum posse tamquam caussam proximam gignere purum motum, sed debere creare vim motricem absolutam, ex qua motus exsistat §. 42. & seq. Ont. Ergo nec hac Pini ratione, nec aliis jam refutatis conficitur physicum influxum inter animam & corpus intercedere.

16. Restant etiam examinandæ rationes, quas advesus systema caussarum occasionalium protulit Cl. Wolphius in Psyc. Rat. §. 606. Harum prima in eo posita est quod hujusmodi systema principio adversetur sufficientis rationis, quia nec in animæ viribus & actionibus est ratio sufficiens, per quam intelligi possit cur motus corporis exsistant, & cur tales potius quam alii quicumque; nec in corporis & cerebri motionibus, cur in anima sensationes & appetitus excitentur, & cur tales potius quam alii quicumque; & Deus ipse per se motus in corpore & sensationes in anima gignit prorsus nullam in alterutra substantia offendens rationem, per quam intelligi queat cur has in altera potius gignat, quam secus, & cur tales potius quam quaslibet alias.

17. Antequam alias auctoris rationes in medium producam, huic primæ satisfacere conabor. Tot autem sunt quæ responderi possunt ut inopem me copia faciat. Nam primo valde incertum est, ut levissime dicam, hoc principium pertinere ad Deum in rebus creandis, atque in Theologia Naturali nonnullas atque, ut mihi videtur, perspicuas rationes afferam quibus ostendam nullam fuisse rationem cur Deus has potius res quam alias quascumque majores & perfectiores crearit. Qua in sententia nulla est quærenda ratio sufficiens per quam intelligi possit, cur positis talibus in cerebro motionibus tales potius quam alias sensationes Deus in anima gignat, & cur positis talibus in anima appetitibus tales potius quam alios in corpore motus efficiat. Deinde ut principium rationis sufficientis adhibere possimus, jam §. 78. n. 5. Log. docuimus satis con esse argumenta negantia in eo posita, quod hanc rationem minime intelligamus, quia si hæc sufficerent, negare deberemus tres esse in Deo Personas, num nullam intelligamus majorem rationem cur potius tres sint, quam alio quocumque numero definitæ: sed opus esse ajentibns, quibus ostendatur omnia ex utraque parte esse prorsus æqualia, ut contingit in corpore, quod viribus prorsus æqualibus in contrarias partes impellitur. Hoc posito primum ajo rationem quæ Deum movet ad hasce mutationes ipsum per se efficiendum, esse hanc, quia ex altera parte ob sapientissimos fines sibi cognitos voluit creare substantiam constantem ex anima immateriali & ex corpore materiali, ita aptis atque connexis ut altera in altero, & vicissim operari viderentur, & ex altera ob rationes in antecessum expositas impossibile est aut animam in corpore, aut corpus in anima tamquam effectrices caussas operari. Doceat nunc Wolphius nullam Deo fuisse rationem, cur cum talibus animæ appetitibus tales in corpore motus conjungeret & cum talibus corporis motibus tales in anima sensationes. Non puto Cl. Virum id esse præstiturum nisi omnia divinæ sapientiæ arcana penetravit, præsertim cum saltem universe nobis constet ratio cur cum talibus corporis motibus sensationes gratas atque jucundas, cum talibus aliis molestas & dolorem afferentes conjunxerit, extrinsecus adscita quam §. 55. num. 2. exposuimus, quamque satis esse docuimus exemplo corporum, quæ Christus in gratia conferenda usurpari voluit, & confirmare pote-

teramus iis, quæ Wolphius ipse in medium produxit, cum in Ontologia de ratione sufficiente ordinis disputaret. Immo ex his conjicere possumus Deo non solum aliquam esse, verum etiam in singulis prorsus eventibus, cur tales potius notiones & sensationes excitet quam alias quascumque, fortasse ab ea quam haberi in virium communicatione inter corpora tom. III. Phy. Gen. §. 201. documus non dissimilem, propterea quod legem commercii inter animam & corpus esse similem legi attractionis in distantia & repulsionis in contactu jam supra observavimus §. 172. n. 2. Ergo ex principio rationis sufficientis nihil colligi potest, quod labefactet systema caussarum occasionalium.

18. Alteram Wolphius ducit rationem §. 607. Psyc. Rat. ex legibus motus; arbitratur enim hoc systema esse contrarium ordini naturæ, idque conficit ex eo, quod cum in ipso quasdam Deus excitet in corpore vires ad animæ nutum, quin illarum ratio sit in legibus communicationis motuum inter corpora, sequitur nec semper eamdem virium summam secundum illud ab omnibus Recentioribus admissum virium vivarum principium in hac rerum universitate manere, nec veram esse alteram legem quod ex actione plurium corporum centrum virium non mutatur, sed semper in eadem directione procedit.

19. Huic difficultati jam fecimus satis, cum Genuensi responderemus. Nihilominus proprias etiam ad hanc Wolphii difficultatem responsiones accommodabimus. Tantum abest ut certum sit eandem virium summam in hac rerum universitate constare, ut easdem vires ob varias earumdem creationes & corruptiones perpetuo variari, & idcirco aut augeri, aut deminui tom. III. Phy. Gen. §. 240. perspicuum fecerimus, ubi etiam docuimus principium virium vivarum a Recentioribus in multis Physicæ capitibus demonstrandis feliciter usurpatum non intelligi in eo sensu, ut ante & post conflictum corporum eadem sit in omni eventu virium summa, sed solum in eo, ut quæcumque sint residuæ vires, eæ sint æquales producto ex massa in quadratum velocitatis, quo posito difficillima theoremata nullo negotio monstrari ibidem declaravimus. Quod attinet ad alias leges motuum, do Cl. Auctori quasdam in iis fieri mutationes, quarum ratio in ipsismet corporibus non reperitur. Verum id officit quidem particularibus communicationis motuum legibus inter sola corpora, non autem generalibus, quæ communicationem motuum inter animas etiam & corpora complectuntur. Nam ut supra monui num. 17. non minus ab ipsomet Deo proxime creantur vires in corpore animalium posita occasione appetitus animæ, quam creentur vires in aliquo corpore posita occasione alterius corporis & ejusdem vis aut attractricis in distantia, aut expultricis in contactu. Quare non video cur id sit contrarium ordini naturæ saltem universæ, quam Deus ex corporibus atque ex animabus, & ex utriusque generis substantiis & ex apparentibus mutuis ipsarum actionibus conflatum voluit.

20. Sed instat Wolphius §. 608. probabile non esse illud systema, in quo Deus in gratiam animæ naturæ ordinem & leges in motu corporum a se ipso statutas perpetuo turbare debet; præsertim cum præsto sit harmoniæ præstabilitæ systema, in quo idem ordo & leges motuum omnino servantur. Si dum corpora invicem confligantur, alia in aliis tamquam efficientes caussæ operarentur, aliquid esse momenti putarem in hac difficultate, quia natura corporum confligentium tales motus requireret, & Deus hunc naturalem ordinem perpetuo variaret. At cum motuum inter corpora communicatio a divina vo-

lun-

luntate tamquam ab una & vera caussa efficiente proficiscatur non minus, quam virium inter animam & corpus, non video, quid habeat peculiare hic corporum naturalium ordo, ut eum non debeat aliqua ex parte turbare ordo corporum & animarum: præsertim cum jam docuerimus tot tamque subitas & varias in anima & corpore fieri sensationum & motuum mutationes, ut nec primarum ratio in antegressis, nec secundorum in antecedentibus motibus, & in viribus corporum circumfusorum inveniri queat num. 1. Quibus systema Leibnitii & Wolphii quamtumcumque possibile sit & conveniens, ostenditur reipsa non obtinere, atque idcirco ob ea quæ in anteceffum disseruimus, ad systema caussarum occasionalium esse confugiendum.

21. Commercium inter animam & corpus, quemadmodum & motus inter corpora communicationem, futura esse miracula in systemate caussarum occasionalium olim Cartesianis objecit Leibnitius. Non diffiteor, si modo & Leibnitius concedat esse miracula, uti est creatio, uti est conservatio §. 201. Ont. & uti sunt alia multa quæ a solo Deo proxime originem habere possunt, nempe hujusmodi ut necessaria sint ordini & conservationi naturæ, quæ Deus sibi in mundi molitione proposuit, & idcirco diversa ab iis, quæ identidem patrat ad confirmandam veritatem & ad suas perfectiones hominibus patefaciendas. Quæ certe miracula tantum abest ut in statu naturali non sint admittenda, ut sine iis nec hujus mundi materialis ordinem posse servari §. 182. tom. III. Phy. Gen. & in prima Ontologiæ Appendice monstraverimus. Sed de hisce miraculis uberius in Theologia Nat. disputabimus.

§. 175. SCHOLION XIV.

Sunt alia quædam hac in re systemata, quæ si ad vivum resecentur, ad aliquod ex iis, quæ fuerunt exposita, rediguntur. Cujusmodi sunt systema Cl. Marchionis Gorini & alterum Cl. Tourneminii. Primus in Opere inscripto *L' Uomo Trattato Fisico Morale* editoque Lucæ an. 1756. omnia repetit a motu quodam spontaneo, cujus vim a Deo additam cuidam subtilissimæ corporis materiæ docet, itaque rationem concludit sub finem libri I. pag. 188. „Posteaquam spiritus animales ideas exceperunt, in illa imprimunt subtilissima materie, cui virtus spontanei motus (quam auctor vocat *spontaneità*) addita fuit. Hæc illas sentit atque animam participem facit. Si res sit dolorem afferens, anima cruciatur, ideæ spirituales in ipsa coeunt, atque turbantur, libere se determinat, & cum virtute motus spontanei suas deliberationes communicat, suumque dolorem; hæc nequaquam libera easdem sentit, ut canis eadem virtute sentit amissionem filiorum atque heri; & ecce dolorem jam ad materiam translatum, spiritusque animales turbatos diffluere per sensus eosque agitare.

2. Sed quamcumque Deus subtili materiæ addiderit motus spontanei virtutem, quæ non potest esse nisi vis motrix, ut constat ex iis, quæ adversus Lochium, immo adversus ipsum Auctorem §. 123. num. 22. & seq. disputavimus, difficultas in eo est posita, qui fieri possit ut materia tamquam efficiens caussa facere possit ut anima ejusdem virtutis & mutationis in ea genitæ sit conscia. Quod si ob rationes a nobis allatas confugiat ad legem a Deo statutam, tunc in nostrum revolvetur caussarum occasionalium systema, quod tantum abest ut has leges a Deo præscriptas explodat, ut potius easdem valde requirat §. 172. n. 2.

3.

3. Alter autem tom. IV. Diarii Trevoltiensis part. 4. art. 4. primum ex Leibnitio hanc excerpsit difficultatem adversus caussarum occasionalium systema. Nec lex, quam sibi Deus fixit respondentes inter se mutationes in anima & corpore gignendi, nec earumdem mutationum convenientia inter animam & corpus veram conjunctionem efficiunt. Est quidem perfecta convenientia, sed realis connexio non est, uti non foret inter duo horologia, quorum alterum easdem indicaret horas, quas alterum pulsaret. Est enim opus principio (pergit Tourneminius) quod perspicuum faciat esse inter tale corpus & talem animam adeo naturalem, adeoque essentialem & necessariam convenientiam, ut alia nulla anima præter meam hoc meum corpus informare possit, & aliud nullum corpus præter meum ab anima mea possit informari. Quo constituto ponit corpora ob variam ipsorum structuram apta esse alia aliis mutationibus accipiendis vel a rebus externis, vel a spiritibus, qui suam in ipsis vim explicare possunt. Tum ponit inter varias dispositiones, in quibus humanum corpus esse potest, aliquam reperiri omnium suarum partium, sive solidæ sint sive fluidæ, quæ animæ humanæ functionibus est accommodatissima: deinde animam accepisse a Deo naturalem vim continendi corpus, cui destinata fuit, in hac convenienti dispositione; hanc vim relatam fuisse ad corpus, quod anima debet informare; cumque ex altera parte hæc vis sit idem ac anima, atque ex altera corpora diversa sint, inde consequi tot esse diversas animas, quot sunt corpora, quibus informandis sunt destinatæ. Demum statuit animam operari in corpore adminiculo hujus naturalis vis, ipsamque animam esse naturaliter determinatam ad hujusmodi actionem, & gignere eamdem actionem naturaliter & necessario: atque hanc vim non esse effectum cognitionis animæ, aut operationum suæ voluntatis, propterea quod proxime agit in spiritus animales, & eorum ope in ceteras corporis partes. Tandem concludit in hac vi idonea continendi corpus quod ab anima informatur, in dispositione humanis functionibus convenienti, positam esse conjunctionem animam inter & corpus, quæ conjunctio est proprietatis ac possessionis, & uno verbo essentialis & necessaria, eoquod tale corpus tali anima opus habet, ut in tali dispositione cum functionibus humanis congruente contineatur.

4. Antequam propius accedam ad meam proferendam circa hoc systema sententiam, adverto non posse inter duas distinctas substantias illam poni conjunctionem, quæ sit impossibilis. Jam vero inter Deum & res creatas talis est, ut ex altera Deus in rebus a se creatis operetur non solum conservando easdam quod attinet ad substantiam, sed etiam creando & conservando vires, quibus substantiæ creatæ suum statum mutare possunt §. 42. Ont., & ex altera hæ substantiæ sine continua actione Dei permanere & operari non possint §. 201. Ont. At inter duas substantias creatas talem conjunctionem, ut altera in altera mutationem aliquam sua vi gignat, esse non posse jam docuimus §. 160. & seq. & in Ont. §. 237. 254. Quare inter animam & corpus hujusmodi conjunctio quærenda non est, sed acquiescendum in ea, quæ posita est in utriusque substantiæ mutationum convenientia, quæ proximam a Deo ducat originem, eo quod a rebus creatis ducere nequit. Ex quo colligitur systema Tourneminii primum in eo peccare, quod contendit animam a Deo fuisse donatam naturali vi continendi corpus in ea dispositione, quæ humanis functionibus sit accommodata. Ad hoc enim necesse est ut anima quasdam in cor-

corpore gignat mutationes, quod non posse fieri jam docuimus.

5. Deinde hæc mutationum convenientia talis esse debet, ut saltem quod attinet ad aliquos corporis motus, qui voluntarii dicuntur §.63. & seq. eadem non oriatur a vi quæ prævertat liberam voluntatis electionem, & necessario operetur. Tam enim certum est eos a voluntate aliquo modo pendere, quam certum est animam in appetendo esse liberam. Quamobrem etsi Tourneminio dare possumus animam dicta vi naturaliter & necessario efficere motum cordis & arteriarum, aliosque similes corporis motus, qui a voluntate nostra non pendent, assentiri tamen nec possumus, nec debemus eamdem vim omnino prævertere voluntatem, & appetituum ejusdem effectum non esse saltem in eo sensu, ut mens libero arbitrio qua donata est, hanc animæ vim dirigat ad eos commovendos spiritus animales, quibus spontanei motus perficiantur. Quod additur de necessaria hujusce vis connexione cum animæ essentia, prorsus negamus ob ea, quæ §. 42. Ont. & supra §. 91. & seq. disseruimus, ut quamlibet vim agendi in substantiis creatis sive extensis, sive extensionis expertibus esse accidentalem, & salva substantia separabilem ostenderemus. Unde ruit illa animarum differentia, quam auctor inde colligit. Inficias tamen non ierim animas ipsas inter se discrepare posse in iis determinationibus, quæ pertinent ad substantiam, & cum ea necessario copulatæ sunt. Nam si corpuscula primitiva tres illas de quibus egimus in Ont. §. 235. substantiales differentias habere possunt, ut alia sint aliis majora, & densiora, & alia aliis figuris donata sint, quis jure ac merito negare poterit aliquam substantialem differentiam etiam inter animas posse intercedere? §. 110.

6. Ex quo colligere quibo in systemate caussarum occasionalium posse obtineri id, quod Tourneminius contendit esse necessarium in conjunctione corporis & animæ explicanda. Nam ex eo quod singula corpuscula in iis tribus diversa ponuntur, sequitur in iisdem multimodis variari Newtonianam illam legem attractionis, quæ est in ratione simplici directa massarum, & in duplicata inversa distantiarum, eo quod pro ratione magnitudinis & densitatis aliæ atque aliæ sunt massæ corporum, & pro qualitate figuræ, qua terminantur, alia atque alia est aliterque disposita particularum se attrahentium distantia. Jam vero lex commercii inter animam & corpus est similis legi conjunctionis inter ipsa corpora ope attractionis, ut §. 172. n. 2. observavimus. Ergo si animæ ipsæ sunt inter se diversæ, quod attinet ad substantiam, & ideo aliæ aliis perfectiores, uti corpuscula majora & densiora sunt perfectiora minoribus atque rarioribus, inde consequitur aliam ex aliqua parte esse debere legem commercii inter meam animam & meum corpus, aliam vero inter animam aliorum hominum interque corpus ipsorum. Atque ut rem magis declarem, uti ex universali lege attractionis sequitur Deum in præsentia corporis A massæ $= 2$ gignere debere duplo majorem velocitatem in corpore C, quam in præsentia corporis B $= 1$; ita ex lege commercii inter animam & corpus consequens est Deum eo promtiores ac velociores motus in humano corpore creare debere, quo perfectior est anima, quæ ad illud corpus informandum est destinata. Ex his autem promtioribus ac velocioribus spirituum præsertim animalium motibus magna oritur in ipsismet corporibus differentia pro ratione animæ, a qua informantur. Ergo in systemate occasionalium caussarum est adeo propria cujuslibet animæ cum quolibet corpore conjunctio, sive mutationum utriusque

que convenientia, ut aliæ in aliarum locum substitui & in aliarum domicilia migrare sine magna totius commercii perturbatione non possint, præsertim ubi corpora adoleverunt, & eorum cerebrum, uti & aliæ corporis partes, multos habitus acquisierunt, quibus esse in animæ substantia alios respondentes §. 37. docuimus: quæ convenientia certe non foret, si mea anima in corpus Petri, & anima Petri in meum corpus migraret. Quo satisfit difficultati Tourneminii, & multo luculentius solvitur ea quam §. superiori num. 2. diluimus.

7. Ex quibus apparet non unius harmoniæ præstabilitæ systematis esse privilegium, quemadmodum Cl. Wolphius contendit §. 222. Phych. Ration. ut hæc anima huic soli corpori & in hac rerum serie conjungi posset; nam ex dictis colligitur quamlibet animam etiam in systemate caussarum occasionalium, prout est perfectior, cum perfectiore corpore fuisse copulatam, aut saltem potuisse conjungi, si, quemadmodum Wolphio & Tourneminio videtur, id postulet ratio, itaque fieri ut quælibet anima cum hoc corpore sibi proportione respondenti, non cum alio quocumque copulari debuerit. Quo magis magisque satisfit Wolphio putanti systema caussarum occasionalium adversari principio sufficientis rationis §. 174. n. 6.

CAPUT QUINTUM.

De natura & origine idearum.

ARTICULUS I.

De natura idearum.

§. 176. Propositio

IDea est aliquod internum animæ accidens absolutum quod objecta externa repræsentat. Prob. 1. pars. Dum anima acquirit ideas quas ante non habebat, ut continuata docet experientia, intrinsecus mutat statum; atqui nulla interior nova mutatio esse potest, quin de novo sit aliquod absolutum, quod sit illius proxima caussa §. 42. Ont. hocque absolutum non potest esse animæ essentia §. 91. Ergo idea est aliquod internum animæ accidens absolutum.

2. Prob. 2. pars. Anima per hujusmodi accidens absolutum, quod dicitur idea, videt res extra ipsam positas, tamquam in imagine ipsis rebus simili; atqui non potest videre res extra ipsam positas, nisi per id, quod ipsi animæ easdem repræsentat. Ergo hoc accidens absolutum externa objecta repræsentat.

§. 172. Propositio

Anima opus habet ideis ut cognoscat res. Prob. Anima dum res cognoscit, intrinsecus mutat statum; non potest autem intrinse-

se-

ſecus mutare ſtatum ſine novo interno accidenti abſoluto, quod objecta externa repræſentet quodque dicitur idea §. *176*. Ergo anima opus habet ideis ut cognoſcat res.

§. 178. Objectio

Si poteſt anima videre res in ſe ipſis, non habet opus idea illas repræſentante; atqui anima poteſt videre res in ſe ipſis. Ergo &c. Prob. maj. Si ego video Petrum in ſe ipſo facie ad faciem, opus non habeo imagine ipſius in ſpeculo delineata. Ergo ſi poteſt anima videre res in ſe ipſis, non habet opus idea illas repræſentante.

§. *179*. Reſponſio

Diſt. ant. opus non habeo imagine externa co. interna ne. Nam illa imago Petri in ſpeculo ope radiorum delineata eſt res extra mentem poſita, ut aliæ res. Quamobrem illa non eſt neceſſaria, eo quod radii ab ipſa Petri facie reflexi, quin perveniant ad ſpeculum & ab eo reflectantur, ad meum oculum recta pervenire poſſunt, eamque in retima & in cerebro facere impreſſionem, quæ eſt cauſſa occaſionalis cur in anima excitetur imago Petrum repræſentans, ſine qua interiori imagine Petrum ob allatas rationes videre non poſſum.

§. 180. Inſtantia

Atqui ſi res in ſe ipſis quis videat, opus non habet neque idea & imagine interna illas repræſentante. Ergo nulla diſt. Prob. min. ſub. Qui videt res in ſe ipſis, videt proxime & immediate; ſed qui videt res proxime & immediate, opus non habet idea illas repræſentante. Ergo &c. Prob. min. Si opus haberet idea, non videret proxime & immediate, ſed remote & interpoſitione ideæ repræſentantis. Ergo &c.

§. 181. Reſponſio

Diſt. ant. Si opus haberet idea, videret res remote & interpoſitione ideæ quæ ſit aliquod internum animæ co. quæ ſit aliquod externum ne. Cum anima dicitur res in ſe ipſis proxime & immediate cognoſcere, non ita eſt intelligendum, ut poſſit eas ſine ulla interna idea percipere, quia cum aliæ res ſint ſubſtantiæ ab ipſa diſtinctæ, non poteſt eas de novo cognoſcere niſi ipſa intrinſecus mutetur, atque ob rationes ſupra allatas niſi recipiat aliquod accidens abſolutum, quod res eidem repræſentet, quodque dicitur idea. Sed ita intelligi oportet, ut opus non habeat aliquo externo medio ſive inſtrumento, in quo res ipſas cognoſcat, ſicuti qui ore ad os aliquem alloquitur, opus non habet ſpeculo, in quo eum videat.

§. 182. Instantia

Sed qui res in se ipsis videt, opus non habet neque medio interno ideæ repræsentantis; ergo nulla distinctio. Prob. min. sub. Qui res in se ipsis videt, cum iisdem intime conjungitur, & est iisdem intime præsens; sed qui cum rebus intime conjungitur, & est iisdem intime præsens, opus non habet medio interno ideæ repræsentantis. Ergo &c. Prob. min. Res intime animæ præsentes agunt in eadem per se ipsas. Ergo &c. Confirmatur ex eo quia Sancti in Cœlesti Patria Deum vident sine ulla idea: ait enim Apostolus Paulus *videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: at si Deum viderent in suis ideis, viderent per speculum & in ænigmate, uti in hoc mundo. Idcirco autem sine ulla idea vident Deum in se ipso, sicuti est, quia Deus intime illis conjungitur, & est iisdem intime præsens, atque per se ipsum in ipsis operatur. Ergo manet eum qui res in se ipsis videt, medio interno ideæ repræsentantis non indigere.

§. 183. Responsio

Dist. ant. Res intime animæ præsentes per se ipsas agunt in anima gignendo in anima illud accidens, quod se ipsas repræsentet co. nullum gignendo accidens in eadem ne. Quantumcumque substantia cum alia substantia intime conjungatur, sitque illi præsens, non potest in illa agere, nisi generando in ipsa mutationem internam, & hanc efficere nequit nisi efficiendo in eadem accidens aliquod absolutum quod dicitur vis, quodque sit caussa mutationis, eoquod mutatio ipsa per se gigni nequit §. 42. & seq. Ont. Non enim substantia mutare potest statum per vim quæ sit in altera substantia, sed per vim quæ in ipsamet reperiatur. Hoc posito etsi res externæ & Deus præsertim sit intime præsens animæ non, solum in futura vita, sed etiam in præsenti, tamen non potest nec se ipsum nec alias res ab anima distinctas eidem animæ repræsentare ita ut ab eadem cognoscantur, nisi per absolutum aliquod accidens, quod in anima creetur, quodque efficiat ut anima res, sicuti sunt, cognoscat, quodque idcirco dicatur idea. Ergo intima rerum in anima præsentia idonea ad eum finem ut anima res cognoscat, non potest haberi nisi ope ideæ, quæ in ipsamet anima producatur.

2. Ad Apostoli sententiam respondeo nos in hac vita videre Deum per speculum & in ænigmate, quia cognoscimus Deum ope ideæ claræ quidem quod attinet ad ipsius exsistentiam & ad aliqua ipsius attributa §. 175. & seq. Ontol. sed obscuræ quod attinet ad

in-

infinitatem attributorum §. 125. Log. & ad tres in Deo Personas: in futura vero visuros esse Deum facie ad faciem, & sicuti est, quia noscemus eumdem Deum adminiculo ideæ omni ex parte claræ, quam Deus in anima nostra creabit, quæque a Theologis dicitur lumen gloriæ. Ergo ex hoc textu nihil colligitur adversus nostram sententiam.

§. 184. Propositio.

Quæritur hic inter Philosophos an idea distinguatur a perceptione; cui quæstioni sic respondeo. Si nomine perceptionis intelligatur perceptio directa objecti quod menti repræsentatur, idea non est a perceptione distincta; 2 si vero intelligatur perceptio reflexa, tunc idea est distincta a perceptione. Prob. I. pars. Idea est illud accidens in anima genitum, quo anima cognoscit objecta; atqui ad hoc ut anima cognoscat objecta, & ideo hanc subeat mutationem, opus non habet nisi uno tantum accidenti, quod si referatur ad objectum quod eadem repræsentat, dicitur idea; si ad mentem, in qua creatur, dicitur perceptio: uti corpus ut statum mutet, opus non habet nisi uno accidenti, quod si consideretur in corpore, dicitur vis insita motrix; si ad spatium peragratum, dicitur motus. Ergo si nomine perceptionis intelligatur perceptio directa objecti, idea non est a perceptione distincta.

2. Prob. 2. pars. Quarum idearum & perceptionum objecta sunt diversa, etiam tales ideæ & perceptiones diversæ sunt, quia cum ideæ & perceptiones sint similes rebus, rerum diversarum dissimiles imagines atque idcirco diversæ esse debent; atqui objectum ideæ directæ objecti, ex. gr. talis corporis, est corpus; ideæ vero reflexæ non est corpus, sed idea corporis §. 121. Log. idea vero corporis est objectum valde diversum a corpore. Ergo si nomine perceptionis intelligatur perceptio reflexa, idea a perceptione distincta est.

§. 185. Objecto contra 1. partem.

Anima est substantia vere agens; atqui si idea non foret distincta a perceptione directa, anima non foret substantia vere agens. Ergo &c. Prob. min. In recipiendis ideis, ut pote accidentibus a caussa externa genitis, ut §. 91. & seq. monstratum est, anima patitur. Ergo si idea non foret a perceptione directa distincta, anima non foret substantia vere agens, sed solum patiens.

§. 186. Responsio.

Dist. con. Si idea non foret distincta a perceptione directa, anima foret substantia agens in ideis partis inferioris co. in ideis partis superioris ne. Nam duæ sunt in anima facultates intelligendi, altera

ra

ra partis inferioris, altera vero superioris, quarum discrimen §. 9. explicavimus. Jam vero si anima patiatur in recipiendis ideis partis inferioris, singularibus nempe & rerum corporearum, quæ ideæ per sensus in animam illabuntur, quemadmodum §. 43. docuimus; non continuo sequitur eam esse patientem etiam in ideis superioris, universalibus scilicet, & rerum spiritalium. Dicimus ergo in his animam vere agere.

§. 187. Instantia.

Atqui si perceptio directa ab idea distincta non est, anima est patiens, non agens etiam in ideis partis superioris. Ergo nulla distinctio. Prob. min. subs. Etiam ideæ partis superioris sunt accidentia absoluta a Deo in anima creata ob eamdem rationem, ac ideæ inferioris; ut idea qua ego cognosco meam alicujus corporis ideam, debet tamquam accidens absolutum a Deo creari. Ergo si neque in his ideis perceptio directa ab idea distincta est, anima erit patiens etiam in ideis partis superioris.

§. 188. Responsio.

Dist. cons. Ergo si neque &c. anima erit patiens in ideis parpartis superioris quod attinet ad absolutum ideæ actum. co. quod attinet ad directionem suæ attentionis ad hoc potius objectum quam ad aliud ne. Quilibet animæ actus absolute consideratus, ut pote requirens vim absolutam, ex nostro systemate quod in Ontologia statuimus §. 42. & seq. a Deo in anima creatur; unde & quælibet idea & animæ actus in vero cognoscendo est accidens a Deo creatum. Sed in animæ libertate est libera qua pollet voluntate suam attentionem in hoc potius objectum menti repræsentatum, quam in aliud dirigere. Attendendi actus creaiur a Deo, directio ejusdem pendet a libera animæ electione. Quod attinet ad primum, est patiens, non agens; quod ad secundum, est agens, non patiens §. Ergo etsi perceptio directa objecti distincta non sit ab idea, quæ illud repræsentat, tamen anima est substantia vere agens.

ARTICULUS II.

De caussa proxima efficiente ideas.

§. 189. Propositio.

Exposita natura idearum videndum est quænam sit caussa proxima illas efficiens. Qua in re tria distingui possunt systemata; alii volunt ideas effici a corpore humano, sive a cerebri impressionibus; alii eas elici ab ipsamet anima tamquam a caussa efficien-

ficiente ; alii vero a solo Deo in anima creari.

2. Primorum sententia falsa jam monstrata est in superioribus §. 260. cum ostendimus corpus in anima non posse tamquam efficientem caussam aliquid gignere.

3. Falsitas sententiæ secundorum ex eo deducitur quod supra ostendimus §. 91. vim cogitandi esse accidens animæ, cujus ratio in anima esse non potest §. 106. Log. sed in substantia externa illud creante quæ solus Deus esse potest §. 42. & seq. Ont. Alii hac etiam particulari ratione id suadere conantur. Si anima sua vi, tamquam caussa efficiens, elicit ideas rebus repræsentandis idoneas, vel res illas ante cognoscit, vel ignorat; si noscit, non habet opus alia idea, quæ res exhibeat; nam cum noscere res sit aliqua ipsius mutatio, non potest hanc subire mutationem nisi extrinsecus in illa creetur absolutum accidens, quod sit interna caussa cur noscat, quodque idcirco erit idea quæ res repræsentat §. 177. Si vero ignorat, non poterit ex seipsa elicere ideas rebus similes iisque repræsentandis idoneas; quis enim pictor potest imaginem rei quam prorsus ignorat, similem formare?

4. Verum hæc ratio ipsa per se sine meis principiis mihi videtur esse nullius momenti. Hic enim quæritur proxima efficiens caussa idearum; si hæc sit substantia creata, scilicet anima, non est actio excludenda Dei, qui ad omnes rerum creatarum actiones concurrit. Hoc posito dici potest animam, antequam ideas ex suo veluti penu eliciat, ignorare res quæ illis ideis exhibentur, sed nihilotamen minus posse formare ideas rebus similes, eoquod occasione quarumdem cerebri impressionum, quæ ad præsentiam cujusdam rei efficiuntur, Deus animam movet ad ideam illi rei similem formandam, uti pictor ignorans Cesaris vultum posset imaginem illi similem formare, si quis Cesarem noscens in coloribus inducendis hominem dirigeret.

5. Verum ex meis principiis hæc idea est aliquod absolutum, quod antea in anima non reperiebatur. Ergo ex iis quæ in Log. §. 106. & in Ont. §. 42. disseruimus, illius productio est vera creatio quæ soli caussæ infinitæ qualis est Deus, convenire potest. Ergo Deus animæ non potest tribuere vim, qua ideas ex suo penu eliciat. Deinde cum virtute cogitandi objecta & formandi ideas iis repræsentandis idoneas est intrinsecus conjuncta, tamquam aliquod essentiale, ipsa cogitatio & idea, quæ sine cogitatione esse nequit; sicuti cum vi motrice sunt necessario conjunctæ velocitas atque directio tamquam ipsius essentiales differentiæ §. 291. & seq. Ont. Ergo jam crea-

ta

ta a Deo idea, non est opus alia idea, quam anima sua virtute formet.

5. Ex quibus elicitur veram esse tertiam sententiam, & Deum, sicuti est caussa proxima creans in corporibus vires motrices cum suis determinatis directionibus & velocitatibus §. 291. Ont. ita esse caussam proximam creantem ideas omnesque alios absolutos in anima actus, cum hoc uno discrimine, quod corpora suas vires motrices in quam volunt partem dirigere nequeunt; animæ vero hos a Deo genitos actus in hanc aut illam partem dirigere queunt ea ratione, quam luculentius explicabimus in Theologia Natur.

6. Quæ objecta hic fieri possunt, in antecessum jam refutata fuerunt.

ARTICULUS III.

De ratione & ordine quem Deus tenet in ideis in animam infundendis.

§. 190. Propositio.

HOc vero posito quod Deus sit una caussa efficiens proxima idearum, restat ut explicemus rationem quam Deus tenet in hujusmodi ideis in anima creandis. Quod attinet ad ideas rerum corporearum, quæ per quinque sensus proxime in animam ingrediuntur, apud omnes certum est Deum illas non creare nisi occasione impressionum, quæ fiunt in quinque sensibus, & ope nervorum usque ad cerebrum deferuntur, ut supra ostendimus §. & ex eo maxime constat, quod si quis aliquo sensu ab ortu usque ad aliquod suæ vitæ tempus caruit, & deinceps illius usum acquisivit, & ideas qualitatum sensibilium, quæ ad illum pertinent, fassus est se nullam umquam ex hujusmodi ideis habuisse, & multis argumentis etiam ante usum receptum comprobavit. Quæstio autem vertitur circa ideas universales & abstractas, atque rerum simplicium & spiritualium, utrum scilicet Deus excitet solum occasione idearum, quas occasione motuum & impressionum quinque sensuum & cerebri creat, an vero etiam extra hanc occasionem. Atque huc reducitur etiam questio de origine idearum, deque ideis innatis, quia dubitari non potest de caussa ipsas proxime efficiente quæ est solus Deus, sed solum de ordine quem servat in iis excitandis, an scilicet omnes ideas excitet sumta occasione ab iis, quas ope sensuum sive quarumdam in cerebro impressionum in anima proxime gignit, an vero aliquas prius imprimat, nulla sumta ab ideis per sensus proxime genitis occasione.

2.

2. Dico itaque Deum excitare omnes animæ ideas ſumta occaſione ab iis quas per ſenſus proxime creat. Prob. experientia & intimo ſenſu, quibus in Logica oſtendimus vi præſcindendi animam ex ideis rerum ſingularium & extenſarum per ſenſus proxime ingreſſis elicere ideas univerſales, quæ aliud non ſint quam ideæ rerum ſingularium non conſideratis differentiis, ſed ſolum iis attentis, quæ in pluribus individuis conveniunt §. 115. ex ideis pariter corporum per ſenſus proxime excitatis vi reflectendi elicere ideam ſui tamquam ſubſtantiæ intelligentis & appetentis §. 121. & ex ideis ſuimetipſius atque ex univerſalibus eruere ideam poſitivam naturæ & attributorum Dei demta infinitate eorumdem §. 125., & hujus infinitatis negativam quam habet §. 123. Ergo Deus excitat omnes animæ ideas ſumta occaſione ab iis quas per ſenſus proxime creat.

§. 191. Objectio

Anima noſtra habet ideam rei infinitæ & ſumme perfectæ; atqui Deus excitat hanc ideam nulla ſumta occaſione ab ideis per ſenſus proxime ingreſſis. Ergo &c. Pro. min. Deus ante in nobis excitat ideam rei infinitæ & ſumme perfectæ, quam ideas rerum finitarum & imperfectarum; atqui ideæ per ſenſus proxime ingreſſæ ſunt ideæ rerum finitarum & imperfectarum. Ergo &c. Prob. maj. Si Deus ante non excitaret ideam rei infinitæ & ſumme perfectæ, quam excitet ideas rerum finitarum & imperfectarum, anima non cognoſceret res quarum ideæ per ſenſus proxime ingreſſæ ſunt, eſſe finitas & imperfectas; atqui anima cognoſcit res, quarum ideæ per ſenſus proxime ingreſſæ ſunt, eſſe finitas & imperfectas. Ergo &c. Prob. mai. Prius debet cognoſcere infinitum & ſumme perfectum quam finitum & imperfectum; ergo &c. Prob. ant. prius debet cognoſcere ens quam cognoſcat negationem entis, quæ utpote relatio requirit cognitionem entis, ad quod refertur: atqui ens infinitum & ſumme perfectum eſt ens, finitum & imperfectum eſt negatio entis. Ergo &c.

§. 192. Reſponſio

Diſt. maj. Prius debet cognoſcere illud ens cujus negationem cognoſcit co. omnia entia quorum negationes non novit ne. & diſt. min. finitum & imperfectum eſt negatio alicujus entis co. omnis entis ne. Ad eum finem ut anima cognoſcat aliquod ens uti finitum, ſatis eſt cognoſcat aliquod aliud ens illi deeſſe, non autem opus eſt ut noſcat omnia poſſibilia quæ illi deſunt; ex. g. ut noſcat corpus longitudinis unius brachii eſſe finitum, ſatis eſt eam noſcere corpus aliud cujus longitudo duo, vel tria, vel quatuor brachia exæ-

quet, non autem necesse est eam percipere corpus cujus longitudo sit infinitis brachiis æqualis. Cum vero anima ope sensuum plura noscat quorum alia aliis majora sunt & perfectiora, inde vi attendendi & reflectendi elicit hæc omnia finitis limitibus contineri, tametsi idea careat entis infiniti & summe perfecti, quod omnia possibilia infinita entia contineat.

§. 193. Instantia.

Ut anima cognoscat hæc omnia entia quorum cognitionem ope sensuum acquirit, esse finita, debet habere ideam infiniti & summe perfecti. Ergo &c. Prob. ant. Aliquod ex iis entibus quorum cognitionem ope sensuum acquirit, debet esse æquale, aut majus aliis. Atqui sive sit æquale, sive majus, non potest mens illud cognoscere, ut finitum, nisi prius cognitionem habeat infiniti & summe perfecti. Ergo &c. Prob. min. Non potest per sensus noscere aliud majus, per cujus negationem intelligat illa quæ sensibus maxima apparuerunt, esse finita. Ergo &c.

§. 194. Responsio.

Dist. ant. non potest per sensus solos co. per sensus & vim attendendi & ratiocinandi ne. Nam ut maneamus in exemplo extensionis, statim ac anima ope sensuum advertit alia corpora aliis esse majora, ratione colligit non posse dari corpus adeo magnum ut majus exsistere nequeat. Intelligit enim non esse majorem rationem cur dari possit corpus altero millecuplo ex. gr. majus, non autem corpus bis millecuplo, centum millecuplo, millemillecuplo &c. majus. Quamobrem etsi ponamus cœlum esse corpus, quo majus sensibus non cognoscit, tamen ratione colligere potest dari posse corpus cœlo majus, atque ideo cœlum ipsum finitis limitibus circumscribi; eo quod noscit in illo desiderari magnitudinem, quam in altero corpore posse exstare ratiocinando comprehendit.

§. 195. Instantia.

Non potest anima ratione comprehendere dari posse corpus majus eo quod sensibus novit, nisi prius noscat infinitum. Ergo &c. Prob. ant. Non potest mens id noscere, nisi intelligat dari posse corpus aliud alio quamtumvis magno majus; atqui nequit noscere dari posse corpus aliud alio quamtumvis magno majus, nisi intelligat infinitum. Ergo &c.

§. 196. Responsio

Dist. min. mens nequit noscere dari posse corpus aliud alio quamtumvis magno majus, nisi noscat infinitum idea positiva ne. idea negativa sub. quæ eruatur ex ideis ingressis per sensus co. quæ in

ani-

anima prius sit quam ideæ per sensus ingressæ ne. Idea positiva infiniti est illa, qua distincte noscimus omnia quæ in eo sunt, ut si possibile foret corpus infinitum, ille haberet ejusdem positivam, qui nosceret omnes infinitos palmos, qui in eo forent. Idea negativa infiniti est illa, qua licet clare non noscamus omnia quæ in eo sunt, sed aliqua tantum, novimus tamen nos non posse cognoscendo pervenire ad finem eorum quæ illi conveniunt, ut si in allato exemplo nosceremus distincte solum palmos aliquo maximo numero contentos, & simul nos numquam posse attingere finem palmorum, qui possunt in eo corpore nosci. Itaque nostra finita mens non potest omnia infinita quæ in infinito sunt, idea positiva cognoscere, sed solum neganti, quatenus noscit ad finem eorum quæ illi conveniunt, non posse perveniri. Hanc autem eruit partim ex sensibus, quatenus ope illorum alia ex. gr. corpora aliis majora novit, partim ex ratione quam paulo ante attulimus. Ergo ad hoc ut anima noscat res omnes quæ per sensus incurrunt, esse finitas, opus non habet aliqua præexsistente ideoque ingenita idea infiniti, nec positiva, nec negativa; non prima, quod hac notione caret; non altera, quia revera hanc eruit ex ideis rerum finitarum per sensus ingressis.

§. 197. Instantia

Ex concessis idea positiva infiniti ex ideis sensuum erui nequit; atqui idea quam habemus, infiniti est positiva. Ergo idea infiniti quam habemus, ex ideis sensuum, quæ res finitas repræsentant, erui nequit. Prob. min. Infinitum est negatio finiti; atqui idea negationis finiti est positiva; ergo &c. Prob. min. Idea negationis est idea positiva, quia negatio negationis est ens & affirmatio; atqui finitum continet in se negationem entis, quia ex. gr. corpus duorum palmorum continet in se negationem tertii palmi, quarti, quinti &c. Ergo idea negationis finiti est positiva.

§. 198. Responsio

Dist. maj. Idea negationis negationis est idea positiva aut distincta aut confusa co. solum distincta subd. quod attinet ad illa entia, quorum negationes in re neganti mens cognoscit co., quod attinet ad illa, quorum negationes ignorat ne. Ut rem sub oculos ponam, fac duos reperiri in cubiculo, & observare catenam cujus primus annulus est in cubiculo, in eodem non terminari, sed extra januam se ultra extendere ad eas plagas, quarum aspectum cubiculi parietes impediant; alterum vero eorum a cubiculo exire & usque ad finem catenæ omnes annulos enumerare, tumque in cu-

biculum regredi. Profecto uterque ex iis cognoscit catenam in cubiculo non terminari, nec eo numero annulorum ex. gr. decem, qui intra cubiculum sunt, sed qui exiit, distincte novit omnes alios catenæ annulos, ex. gr. 90, qui extra cubiculum reperiuntur; qui vero intra cubiculum mansit, solum obscure noscit eos 90. annulos, & veluti modo neganti, quatenus noscit annulis decem in cubiculo contentis catenam non terminari. Ita dari potest duplex idea infiniti, distincta quæ distincte repræsentat omnia quæ in infinito sunt, & confusa quæ solum aliqua repræsentat distincte, alia vero infinita confuse, quatenus intelligitur in iis, quæ distincte noscuntur, non terminari illa quæ infinito conveniunt, ad quemcumque vel maximum, sed finitum, numerum ea quæ intelliguntur, perveniant. Prima reperitur in solo Deo, qui est ens infinitum seque ipsum perfecte noscit, non autem in anima, quæ ut pote finita non potest infinitas res quæ in infinito sunt, distincte percipere; sed in eam cadit solum idea infiniti in altero sensu, quatenus distincte intelligit determinatum numerum entium, confuse vero alia infinita entia quæ in eodem infinito sunt; ad quam acquirendam non opus est ingenita infiniti notione, sed solum ut ex exsistentia alicujus entis, quam certo noscit reflectendo ad ideas suimetipsius excitatas per sensus §. 121. Log. adminiculo vis reflectendi & ope idearum universalium, quas pariter sensibus acquirit §. 112. & seq. Log. eliciat exstare ens a se, & ex natura entis a se eruat omnia entia in illo reperiri §. 200. & seq. Ont. & præsertim illud esse æternum §. 100. Log., quæ est idea infiniti in duratione, quæ pariter est confusa. Ex quibus liquet ideam infiniti, quam habemus, ex ideis rerum finitarum per sensus ingressis acquiri, & idcirco ingenitam esse non oportere.

§. 199. SCHOLION XV.

In prima quam hic tractavimus, quæstione de natura idearum Malebranchius voluit animam opus habere ideis, quæ forent exemplaria & *entia repræsentativa* rerum, non quidem in mente generata, sed illi a Deo in sui lumine participata. Arnaldus adversus hanc sententiam disputavit in libro gallice scripto *de veris & falsis ideis* quem in Logica §. 233. n. 15. citavimus, contenditque Malebranchium petere principium, & falsum esse præcipuum illius fundamentum in eo positum, quod nemo possit percipere objecta externa in se ipsis, propterea quod anima percipit res etiam valde distantes, ut solem, lunam & fixas, hasque ideas esse entitates quasdam philosophicas, obscuras & commentitias, eam in rem invectas ut systemati sustinendo insererentur, & nullius propemodum usus neque necessarias, quia non est simile vero Deum noluisse menti dare facultatem cognoscendi res, & quidem via faciliori & breviori, qualis est ea ut cognoscat sine ope idearum hujusmodi a perceptionibus distinctarum.

a.

2. Ad hæc Cl. Genuensis in altera Elem. Met. parte cap. 3. prop. 30. respondet primo nihil esse clarius Malebranchiano principio, & hæc scribit. *Enimvero cum perceptiones sint & immanentes & essentiales menti, quod re ipsa quidem refragatur Arnaldus, necesse est in se ipsa percipere quæ percipit, nec potest in se ipsis objecta alia cognoscere, nisi aut illa in mente contineantur formaliter, aut mens ipsa rebus omnibus sit intime præsens. Quæ ambo cum ne Arnaldus quidem dixerit, conficitur in seipsa mentem intelligere cuncta. Qui autem id possit, nisi expressas earum rerum aut sibi ipsa producat imagines, aut ab altero excipiat? Et sibi producere rerum ignotarum imagines nemo sobrius docuerit; quod si excipit, nequeant illæ esse perceptiones, quin mens omnis evertatur, ut demonstratum est. Nec obscura ergo hæc Malebranchiana doctrina, nec logomachia, quod Arnaldus contendit.* Hactenus Genuensis, qui cum docuisset animam in ideis recipiendis pati, inde concluserat, si perceptio ab idea distincta non sit, fore ut etiam in cognoscendo patiatur, atque ideo non sit vivens, nec principium activum, sed iners subjectum operationum alterius principii activi, quæ sunt absurda. Ad alterum Arnaldi argumentum respondet facultatem cognoscendi ad nullum in particulari objectum repræsentandum esse determinatam, hancque determinationem haberi non posse nisi idea, quæ illud repræsentet; ad tertium vero has ideas non esse commentitias ex eo quod ad res cognoscendas necessariæ sunt.

3. Ut inter hos Cl. Viros meam expromam sententiam, ajo ne fiat petitio principii, quæstionem huc revolvi, an anima ad res cognoscendas opus habeat aliquo absoluto accidente, quod in illa extrinsecus creetur. Si enim opus habet, illud voco ideam repræsentantem objectum, quia per hujusmodi accidens in anima creatum anima eadem noscit res quas antea non cognoscebat, indeque fit eamdem animam ad res noscendas indigere idea, non tamen sequitur quod contendit Genuensis, hanc ideam esse a directa objecti perceptione distinctam, quia jam satisfecimus ejusdem rationi, atque docuimus §. 188. animam ex alio capite esse substantiam agentem, tametsi inter ideam & perceptionem directam non intercedat nisi Arnaldinum discrimen, ut quæ est perceptio relata ad mentem, sit idea relata ad objectum. Jam vero ex principiis in Ontologia & supra §. 17. firmiter constitutis illud sequi jam supra monstratum est. Ergo manet animam opus habere ideis, sed in sensu a me explicato. Nam quæ Arnaldi ratio iis obesse potest ducta ex qualitate idearum, perinde ac si forent occultæ quædam & commentitiæ entitates, ea jam præoccupata fuit a nobis, cum adversus Cartesianos & præsertim Ogerium in Ont. §. 51. n. 27. docuimus in corporibus, & universe in substantiis creatis dari hæc accidentia absoluta proxime a Deo creata ut caussas mutationum, eaque non esse occultas & commentitias Peripateticorum qualitates.

4. Quod attinet ad principium quod nemo possit cognoscere res externas in se ipsis, multa mihi videntur involvere Philosophi tum ii qui astruunt, tum ii qui negant. Nam quædemumcumque sit intima mentis creatæ ratione habita alterius ab ipsa distinctæ rei præsentia, jam feci perspicuum §. 180. & seq. animam non posse res cognoscere nisi in ipsa creetur aliquod absolutum accidens, cujus ope illas noscat, quodque idcirco dicitur idea. Quo constituto pro certo etiam quod pertinet ad claram Dei visionem in Patria cœlesti, distinguo inter possibilitatem rerum interque exsistentiam, & circa primam ajo

rea

res cognosci in se ipsis, quando cognoscuntur idea propria, & reali, quam in Logica §. 258. definivi; cognosci vero non in se ipsis, sed in aliis rebus, quando solum idea imaginaria & impropria intelliguntur. Ut si quis numquam vidisset prata florentia, & alius ei diceret esse ut vultum hominis ridentis, in alia re, quicum prata florentia aliquam habent similitudinem, eadem cognosceret. Neque dicas eum qui rerum possibilitatem noscit in idea, quæ illam repræsentat, eumdem noscere possibilitatem in re quæ ab ipsa possibilitate diversa est. Nam res quidem ita se haberet, si cognitio directa objecti foret aliud, atque idea illud repræsentans, & præterea non repugnaret mentem cognitione direecta noscere externa objecta sine ulla idea repræsentante quæ ab ea cognitione internosceretur, quia tunc fieri posset ut anima res cognosceret in se ipsis sine ope repræsentantis imaginis. Nunc vero cum directa rerum cognitio distincta non sit ab idea, quæ illas exhibet, dici non potest animam cognoscere res in suis ideis, sed per suas ideas, & ideo cognoscere easdem in se ipsis, non in aliquo, ab ipsa cognitione quod distinguatur. Quod si Genuensis mordicus teneat hanc inter ideam & cognitionem directam distinctionem, peto ab homine an putet fieri posse saltem divina virtute ut anima percipiat res sine idea a perceptione distincta, an vero secus. Si primum, concedo equidem tunc futurum ut anima percipiat res in se ipsis, quando percipit sine idea repræsentante, percipiat autem non in se ipsis sed in ipsarum imagine, cum eas noscit in sua idea repræsentante, quemadmodum non videt Petrum in se ipso qui eum videt solum in imagine, quæ depicta in speculo illum exhibet. At quæ tunc erit necessitas ponendi ideas a perceptione distinctas, præsertim cum ex altera parte jam docuerimus nullam esse rationem quam Arnaldus pro idearum, quæ sint a perceptionibus distinctæ, necessitate produxit, & ex altera jam fecerimus perspicuum animam uno tantum absoluto accidenti in ea creato indigere ut res cognoscat? Et sane potest ne dari in anima accidens reipsa creatum, quod res externas iisdem repræsentet, quin anima res cognoscat absque alio actu ab ipsa eliciendo? Nonne hoc accidens sive idea est veluti imago in cera, quæ quatenus consideratur ratione ceræ in qua est, dicitur illius accidens; quatenus vero repræsentat objectum aliquod & in illius cognitionem inducit, dicitur idea & imago? Si hujusmodi ideæ in alia substantia, quam in ipsamet anima, excitarentur, ultro darem cognitionem objecti ab idea repræsentante distingui, quemadmodum imago objecti quæ in cera est, secernitur ab ea cognitione, qua objectum percipitur. Nunc vero cum accidens sive idea animæ repræsentans externa objecta sit in ipsamet anima, quod opus altero accidente quod dicatur perceptio, ut anima res ab idea repræsentatas intelligat? Nonne ipsamet idea intrinsecus est perceptio? Ergo idea repræsentans objectum ab ipsamet directa objecti perceptione nequaquam distinguitur, nisi velimus quod absurdum est, in ipsamet anima duas perceptiones distinguere, quarum altera repræsentat rem, altera vero utitur anima ad rem cognoscendam. Ita fit ut nulla sit alia inter animæ ideas & perceptiones distioctio, nisi ea quam supra exposuimus §. 184., idest ut anima una idea sive perceptione directa cognoscat res, altera reflexa suammet ideam sive perceptionem cognoscat.

5. Sin autem Cl. Vir contendat perceptionem directam esse ab idea distinctam, & nihilominus non posse fieri, ut anima res sine hisce distinctis ideis percipiat, tunc ob allatam paulo ante rationem darem res externas in se ipsis

sis cognosci nequire, verum inde colligerem nihil ab anima hoc pacto posse cognosci. Nam siquid anima posset in se ipsa cognoscere, foret vel ipsamet anima vel ipsius idea & cognitio directa. Jam vero anima se ipsa cognoscit in idea animam repræsentante tamquam substantiam cognoscentem, quæ idea profecto est distincta ab anima, utpote accidens absolutum a subjecto in quo est, distinctum. Ergo anima se ipsam cognoscens non videt animam in seipsa, sed in idea quæ ab anima distinguitur. Cum vero suammet ideam & cognitionem noscit, intelligit ope ideæ & cognitionis reflexæ quæ ab idea & cognitione directa distinguitur, ut §. 184. n. 2. confeci ex eo quod objecta harum idearum & cognitionum diversa sunt. Jam vero in hac cognitione reflexa est ne distincta idea repræsentans animæ ideam a perceptione illius ideæ, an vero sunt quid unum & idem? Si primum, tunc anima videret suam ideam & perceptionem directam non in se ipsis, sed in alio distincto, scilicet in idea reflexa; sin vero alterum, inde sequeretur nec ullam esse rationem distinguendi perceptionem ab idea directa, cum non minus necessaria sit idea repræsentans objecta externa & corporea, quam idea repræsentans objectum internum & spiritale. Ergo si hæc omnia bene perpendantur, constabit ideam & perceptionem directam non esse duo animæ distincta accidentia, sed unum & idem, quod, ut Arnaldus voluit, si referatur ad mentem in qua est, perceptio; si ad res repræsentatas, idea appellatur.

6. Quod vero pertinet ad exsistentiam rerum, rationes similiter inibimus, nisi quod sunt etiam attendenda, quæ alibi disseruimus, quod nimirum anima in suamet idea etiam singulari proxime noscit se exsistere §. 12. Log. in ideis universalibus & abstractis exstare quoque Deum, & considerata etiam idea bonitatis divinæ exstare corpora & animas a se ipsa distinctas §. 233. Log.

7. His constitutis restat altera quæstio de origine idearum, in qua duo sunt distinguenda, caussa proxima efficiens has ideas & perceptiones, & modus, quo generantur. Circa primum ex principiis a me constitutis tum in Ontologia §. 42. & seq. tum hic §. 91. & seq. in quibus docui cogitationes non esse essentiam aut attributum ab anima inseparabile, manifeste sequitur hasce ideas & cognitiones proxime a Deo creari, quin tamen aliquod inde sequatur absurdum adversus liberas animæ actiones.

8. Ex quo eruitur cadere omnia alia systemata circa efficientem idearum proximam caussam. Primo Scholastici ponunt dari duplicem intellectum, agentem & patientem, docentque intellectum agentem illuminare phantasmata quæ in cerebro impressa fuerunt, & facere actu intelligibilia; atque ut videre licet apud Genuensem loco citato, ex hac secta alii aliter explicant. Thomistæ duplex tribuunt munus huic intellectui, ut illuminet phantasmata, & ut inde expressas intelligibiles species imprimat passivo. Qui Aphrodiseum Alexandrum sequuntur, contendunt, intellectum agentem non solum illuminare phantasmata, sed etiam illis imprimere spiritualem quamdam formam & speciem qua intelligi possint. Scotus vero docet munus intellectus agentis esse duplex, *abstrahere a phantasmatibus species intelligibiles*, & *producere active actum intelligendi*.

9. Multa ad hæc responderi possunt; primum hoc systema in eo peccat, quod ponit influxum physicum saltem habita ratione animæ in corpus, quod nulla ratione posse defendi supra docuimus. Deinde tribuit animæ vim illuminan-

minandi phantaſmata cerebri ſive impreſſiones quæ in eodem cerebro fiunt, & ea facere intelligibilia aliqua ex rationibus explicatis, quæ cum ſit accidens abſolutum, in ea generari non poteſt niſi a Deo tamquam a cauſſa, quæ omnes corporum & animarum vires proxime creare & conſervare debet §. 42. & ſeq. Ont., quod profecto aliud non eſt quam Deum ex occaſione phantaſmatum corporis creare in anima vim percipiendi & ideas. Nam hujuſmodi ideæ non repræſentant ipſa phantaſmata, quæ quocumque modo corporibus convenienti explicentur, ſunt tamen valde diverſa a corporibus, & ab eorum qualitatibus, quas ideæ repræſentant. Unde intelligitur non ipſa phantaſmata, ſed occaſione ipſorum corpora mundi eorumque qualitates ab ideis repræſentari, atque conficitur cerebri impreſſiones ſolum munere cauſſæ occaſionalis fungi in ideis excitandis. Demum animæ concedit facultatem illuminandi phantaſmata, quod facere nequit, niſi cognoſcat eadem in cerebro fuiſſe impreſſa. Unde vero poteſt hanc cognitionem habere niſi a Deo ob ſupra allatas rationes? Quamobrem ſemper ad Deum revolvimur tamquam ad cauſſam proximam efficientem idearum.

10. Succedit Demouriteorum & Epicureorum ſyſtema, qui ut diſcimus ex Lucretio l. 4. de Nat. Rer. v. 726. & ſeq. volebant ex corporum extenſionis libramentis avolare leves quaſdam & tenuiſſimas corporeas exuvias, quas ſimulacra vocabant, quæque per ſenſus cerebrum ſubeuntes forent cauſſa omnium ſenſationum atque cogitationum. Verum hoc ſyſtema ipſum per ſe ruit præſertim ob hæc tria 1. ut aliquam habeat vim, deſiderat animam eſſe corpoream & extenſam quod a veritate aberrare luculenter docuimus §. 110. & ſeq., 2. etſi daremus eſſe corpoream, tamen requirit ut corpora in aliis corporibus tamquam efficientes cauſſæ aliquid gignere poſſint, quod pariter a vero abeſſe monſtravimus §. 237. & ſeq. Ont. 3. ſi anima corporea ſit, ad ſummum eſſe debere unam tantum ſubſtantiam extenſam, ſive unum corpuſculum primitivum omino durum, quod nullis inteſtinis motibus recipiendis idoneum ſit §. 235. Ont. evidenter confecimus §. 75. & ſeq. Ex quo ſequitur hæc democritea ſimulacra corporea nullum in anima gignere poſſe motum inteſtinum, qui ad ideas explicandas neceſſarius eſt, ſi ideæ ſunt corporeæ motiones, quemadmodum ſint oportet in hoc ſyſtemate. Quibus idem ſyſtema prorſus labefactatur.

11. Reſtat ſententia Cl. Malebranchii, qui lib. 3. de inquirenda veritate primum confutat alia ſyſtemata atque etiam noſtrum, eoquod eſt indignum Deo, qui non longiori & difficiliori via, ſed breviori & faciliori ſemper operatur. Is enim contendit animam nullis indigere ideis quæ in anima a Deo creentur, quia putat ſine hujuſmodi ideis animam omnia in Deo videre. *Atque ut hæc confirmet* (ſcribit Genuenſis loco citato) *animadvertit eſſe in Deo mundum intelligibilem, in quo rationes omnium & notiones contineantur, & ut Seneca loquitur, formæ, quibus Deus eſt plenus, quaſque ideas appellat Plato. Quocirca ſi mens* ἀμέσως *cum Deo uniatur, fieri nequit, quin in illo videat, quæcumque intelligit. Conjunctam autem eſſe mentem cum Deo, & quidem arctius quam cum corpore, non eſt quod dubitare poſſimus. Nam cum Deus ſit infinita extenſio ſpiritualis, non poteſt non eſſe ſpirituum locus, quemadmodum ſpatium locus eſt corporum: ita arctius mentes Deo immenſo, quam corpora ſpatio, copulantur. Præterea unio mentis cum corpore neque menti eſſentialis eſt neque*

que corpori; sed essentialis est unio mentis cum Deo; cujus rei argumentum est quod si priorem unionem recidas, nihil menti retrahes. At non potest posterior abrumpi, quin mens in nihilum redigatur. Hactenus Genuensis, qui deinde refert S. S. L. L. testimonia, quibus Malebranchius innititur.

12. Ut hanc aggrediar refellere sententiam, principii loco statuo conjunctionem animæ cum Deo ex illo proficisci, quod anima non solum a Deo creari debuit, verum etiam quo permaneret, continuate conservari duratione illius divinæ actionis, qua primum e nihilo fuit educta. §. 201. Ont. Quo posito vel cogitationes & ideæ sunt animæ essentiales & ab eadem inseparabiles, vel accidentia. Si primum, qua actione creatur conservaturque substantia ipsius animæ, eadem crearentur, & conservarentur ideæ cum eadem necessario conjunctæ. Ex quo consequeretur ideas a Deo creari in anima & conservari, sed actione, quæ nullo pacto ab actione creandi & conservandi substantiam animæ distingueretur. Sin autem secundum, quod revera esse jam docuimus §. *91*. & seq. inde sequitur alia Dei actione opus esse, qua creet in anima ideas atque cogitationes; quia forent absolutum accidens, quod a solo Deo creari potest §. 177. & §. 42. Ontol. Quamobrem si anima sit substantia distincta a substantia divina, quemadmodum esse concedit ipse Malebranchius, & contra Spinosam in Theol. Nat. accurate monstrabimus, ipsa non potest ullam interiorem accipere mutationem, quam revera habet, dum a statu non ideæ ad statum ideæ & ab aliis ad alias transit, nisi Deus in ipsa creet, & conservet aliquod absolutum quod sit illius mutationis proxima caussa, quodque dicitur vis cogitandi §. 177. & §. 42. Ont. quia mutatio ipsa per se gigni & variari nequit. Igitur quamtumcumque anima cum Deo arctissime juncta sit, non potest in Deo aliquid videre & cognoscere, nisi Deus in ipsa creet vim cogitandi & ideas, quibus ipsemet Deus & alia objecta repræsententur §. 177. & seq.

13. Ex his colligo solutionem difficultatis quam adversus meam sententiam proposuit. Ut silentio præteream quod is differit de breviori & faciliori via, quam Deus eligit in suis operationibus, quod quatenus intelligendum sit, alibi docuimus §.241. n.*6*. tom. III. Phy. Gen. & in posterum etiam docebimus, advertendum est eam dici brevissimam atque facillimam, quæ est hujusmodi ratione habita earum, quæ esse possunt, non ratione earum quæ esse nequeunt. Hac de caussa triangulum est simplicissima omnium figurarum, quæ rectis lineis concluduntur, quia duæ lineæ rectæ spatium undique claudere nequeunt. Jam vero ex iis quæ disputata sunt, manifeste colligitur fieri non posse, ut Deus animam in rerum cognitionem inducat, nisi creet in ipsa & conservet illud absolutum accidens, quod dicitur idea, cujusque adminiculo res anima noscit. Ergo cum res aliter esse nequeat, hæc via est omnium, quas Deus inire potest, maxime simplex, brevis ac facilis. Hac ergo Malebranchii ratione tantum abest ut meum systema labefactetur, ut etiam mirifice confirmetur.

14. Sed ut ad systema Malebranchianum regrediar, illud solum quærere potest Malebranchius, utrum Deus prius in anima excitet ideam sui & eorum quæ in ipso continentur, & ope hujus ideæ efficiat ut anima res in Deo cognoscat, tamquam in speculo, instar ejus, qui res in imagine in speculo depicta videt. At neque hoc pacto animam videre res in Deo colligi potest ex

iis quæ supra disseruimus §. 190. & seq. cum ostendimus ideam infiniti, quæ eadem est ac idea Dei, esse negantem & imperfectam in sensu, quem ibi explicavimus, & hanc ab ideis per sensus illapsis eductam. Ex hoc enim eruitur nos potius in rebus creatis cognoscere Deum, non res creatas in Deo, quia cum idea infiniti negans & imperfecta sit idea res tantum finitas saltem clare repræsentans, id argumento est ab ideis rerum creatarum, quæ finitæ sunt, esse argumentando deductam.

15. In his vero tractandis jam ingressi sumus in quæstionem de modo & ordine quem Deus tenet in ideis infundendis. Qua in re primo evellenda est ab aliquorum animis præjudicata quædam opinio, qua putant esse aliquas spirituales ideas ab actualibus cognitionibus & appetitionibus distinctas quas Deus animis imprimere possit, tamquam figuras quæ in cera imprimuntur, quæque sine ullo motu in eadem permanere possunt. Verum hac ratione id universe refellitur. Quidquid uni substantiæ eique simplici, uti unam esse debere animam jam ostendimus §. 75. & seq. denuo accedit, non potest esse nisi accidens absolutum, cujus virtute substantia mutat statum, cum transeat a carentia illius accidentis ad ejusdem susceptionem. Hoc vero accidens non solum debet a Deo creari, verum etiam conservari num. 12.; ex quo fit ut per illud accidens non solum incipiat mutare statum cum a primo recipit, verum etiam debeat continuate mutare, præsertim cum jam ostenderimus initia rerum exstare posse, sed non per se sola, verum una cum rebus ipsis §. 123. Ont. Ergo in substantia nihil novi gigni potest, nisi creetur & conservetur hoc absolutum, quod sit caussa mutationis ejusque continuatæ. Quare si mutatio aut varietur, aut tollatur, illud etiam absolutum aut variari aut in nihilum redigi oportebit. Hæc illustrantur atque confirmantur iis, quæ de primitivo corpusculo ejusque viribus disseruimus. Primitivum corpusculum alterius nullius interioris mutationis est capax, quam vis motricis quæ est absolutum accidens quod a Deo in ipso creatur & conservatur. §. 42. & seq. Ont. ex qua sequitur relativa & exterior mutatio externi loci, si revera sit, idest si corpus vi percitum aliis corporibus circumdetur. §. 99. Ont. Jam vero rationibus omnino evidentibus adversus communem sententiam docuimus §. 259. & seq. Ont. vires motrices sine motu permanere non posse, nec dari vires mortuas, quas Philosophi Recentiores communi consensu fuere commenti. Immo etiam fecimus planum, variato motu, vires nequaquam proprie variari, sed primis in nihilum redactis, alias de novo creari, eo quod directio & celeritas virium sunt ipsarum substantiales & inseparabiles differentiæ §. 291. & seq. Ont. Quod si in corporibus, corrupta omni vi, quidpiam residuum est, id non est aliquod ipsis internum, uti est vis motrix, sed solum est aliquod externum, sive pura situs ad alia corpora relatio, qualis est etiam figura quam in cera impressit sigilli vis, propterea quod cera est corpus ex pluribus constans corpusculis primitivis, quæ propter hujusmodi vim ante impressam & deinceps cessantem aliter inter se disponuntur. Et revera in uno tantum corpusculo primitivo hæc nova partium quæ actu in ipso non sunt, dispositio esse nequit §. 235. Ont. Quamobrem constat in uno corpusculo aliud nihil novi in ipso reperiri posse, nisi accidens absolutum quod dicitur vis motrix, & motus ab eadem inseparabilis.

16. Hæc vero utpote innixa rationibus, quæ in omnes substantias creatas ca-

cadunt, in animam quoque, quod attinet ad ipsius mutationes, conveniunt: quæ intimo sensu intelligitur capax solius interioris mutationis, quæ est in cognoscendo & appetendo. Ergo si aliquid novi in ipsa exsistit, esse non potest nisi vis cogitandi, & appetendi, ipsæque cogitationes & appetitiones, quæ ob rationes allatas pro motu ratione habita vis motricis non possunt ab hisce viribus separari. Quare cessantibus cognitionibus & appetitionibus cessat quoque illud absolutum, quod eorum est proxima caussa, viresque intelligendi & appetendi, iisque cessantibus, siquid in anima restat, aliud nihil restat quam aliquid relativum ab ipsis viribus genitum.

17. Verum hæc cum sacra doctrina conciliari non posse videntur. Est enim in anima justi gratia habitualis permanenter inhærens, quam Theologi volunt esse qualitatem a Spiritu S. in anima creatam. Illa vero cum reperiatur etiam in dormientibus, & in iis, qui nullum actum ei respondentem eliciunt, & ideo nullam subeunt actualem mutationem, satis evincit in anima generari posse accidentia, quæ sint distincta a viribus cogitandi atque appetendi, quæque sine ulla cogitatione aut appetitione permaneant.

18. Ad hæc declaranda afferam integrum Cl. Theologi Berti locum, qui exstat tom. III. Operis de Theologicis Disciplinis pag. 471. edit. Rom. an. 1739. *Investigandum modo quid sit hæc inhærens justitia. Quidam Theologi, inter quos Dominicus Soto* l. 2. de Nat. & Grat. cap. 17. & Bartholomæus Medina 1. 2. q. 100. *art.* 2. *tradunt definitum hoc unum a Tridentina Synodo, quod justificatio non in sola remissione, aut imputatione peccatorum statuenda sit, sed in interna renovatione, quæ num fiat per qualitatem inhærentem, num per actualem motionem, minime constet. Et quamquam Vega in citatum Tridentini locum asserit spectare ad fidem, quod justificatio fiat per habitualem, non per solam actualem gratiam, negant viri docti cum Estio in distinct. XXVI. lib. 2. esse id a Synodo definitum, cum potius a nomine habitus consulto Patres Tridentini abstinuerint, ne opinionibus scholæ aliquod afferrent præjudicium. Verum etsi opinio in quam protendit Medina, non sit a Tridentino proscripta, falsum omnino est fieri justificationem dumtaxat per motionem actualem; quoniam hæc perperam fingitur in parvulis nondum ad percipiendam sanctam excitationem idoneis, qui tamen dum abluuntur baptismo, sancti & justi efficiuntur: ac præterea justitia dicitur animæ stola & quasi spirituale indumentum, nec non exprimitur certis caracteribus, quibus ab actuali & transeunte gratia secernitur; ideoque firmissime tenemus fieri justificationem per gratiam non solum interius inspiratam, sed permanentem, sive, ut appellant, habitualem.*

Jam vero cum certum nobis sit eam gratiam per quam formaliter justificamur, permanentem esse atque inhærentem; in quo autem sita sit natura illius, Theologi nequaquam conveniant: poterit quisque ex his quæ de actuali Gratia disputavimus, inferre quid de habituali dicendum sit. Actualem ergo quidam Deum divinamque potentiam atque misericordiam nobis intime præsentem dixerunt; alii qualitatem physicam sive actuosam, ut inquiunt, entitatem; complures divinam motionem, permulti illustrationem mentis & charitatis inspirationem. Inter istas autem sententias nos medium iter arripientes diximus, actualem gratiam, si consideretur ex parte Dei, esse Deum ipsum inspirantem nobis bonam voluntatem; si ex parte nostra, esse pium animi motum. Hoc sane pacto gratiam habitualem plures Theologi esse putant Deum ac Spiritum Sanctum nobis inhabitantem, multi

 qua-

qualitatem inhaerentem realiter distinctam ab anima, nonnulli habitum adhuc incompertum & ab anima nequaquam distinctum, plurimi denique ipsum habitum charitatis. Itaque medium in hac etiam quaestione tenentes, dicimus gratiam habitualem consideratam ex parte Dei esse Spiritum S. in nobis inhabitantem; & si consideretur ex parte nostri, esse charitatem per Spiritum S. in cordibus nostris diffusam, non charitatem illam quae est a Spiritu S. solum movente, & quae est sanctae dilectionis inspiratio; sed charitatem quae est a Spiritu S. inhabitante, & quae est animae habitudo, & quasi impressa divinitatis imago, renovatio spiritus & pulchritudo justitiae, & per quam Deo cari & Dei amici vere nominamur & sumus .... Inhaerentem ergo justitiam nos quidem charitatem appellamus, quam etiam habitum recte dicimus, in quantum est permanens in anima decor, spiritualis vita, & justitiae indumentum, consulto abstinentes ab ea quaestione mere philosophica an habitus sit res quaedam naturae superaddita; an quod probabilius censemus, ipsa natura tali habitudine affecta, & quasi materies signata impressione sigilli, signaculo S. Spiritus condecorata. Fuit enim mens Concilii, ut inquit Pallavicinus lib. VIII. Hist. cap. 14. statuere speciatim habitum infusum justitiae, & non generatim meram interiorem justitiam, nihil definiendo an sit actus, an habitus, uti placuit Gabrieli Vasquez.

19. Hactenus Berti, qui eum multis Theologis contendit & suadet eumdem habitum esse charitatis & gratiae. Ex quibus primum eruo meo systemati convenire cum illa hujus disputationis parte, quae a Concilio definita fuit. Nam ex meis principiis manifeste sequitur nihil novi Deum posse per gratiam in anima efficere nisi in ipsa creando aliquod absolutum accidens, quod mutationis ipsius sit proxima caussa. Ergo ex principiis etiam Philosophiae adversus Luteranos fit manifestum gratiam, dum infunditur in anima, esse aliquod in ipsa genitum, immo creatum, ab ipsomet Deo creante tamquam effectum a caussa distinctum, proptereaquod ex altera parte animae mutationes in cognitionibus & appetitionibus positae nedum supernaturales & extraordinariae per gratiam, verum nec naturales sunt cum animae essentia necessario conjunctae, & ex altera puras mutationes sine ullo accidente absoluto quod eas exigat, nec Deus facere potest §. 42. Ont. Hoc autem accidens absolutum in infundenda gratia a Deo creatum est vis quaedam superioris ordinis quam naturalis, qua reipsa cognoscitur Deus, & amatur. Hae vires tamdiu in anima durant, quamdiu anima reipsa cognoscit & amat; & in iis posita est gratia actualis: cessantibus cognitione & amore in nihilum abeunt etiam vires, quae cum iisdem sunt copulatae, ideoque cessat etiam gratia actualis. Quia vero ab his viribus fuit in anima genita nova quaedam dispositio & veluti forma, quemadmodum impressione sigilli in cera quaedam nova forma & figura illi respondens efficitur, idcirco illa in anima perstat etiam in nihilum redactis cognoscendi & appetendi viribus, quemadmodum in cera permanet figura, tametsi desierit sigilli vis qua fuit impressa. Cujus ratio est quia dispositio haec & forma non est continuata mutatio, quae ex nostris principiis postulat continuatam vim, sed modus animae internus quidem, at relativus ex mutatione a vi genita exsistens, quemadmodum ob motum in corpore impressum restat in eodem figura illo genita, quia est tantum nova relatio situs inter corpora quae mota fuerunt, non continuata mutatio. Nec ajas in primitivo corpusculo, sublatis motu & vi motrice, aliud nihil esse residui quam exter-

ter-

ternam novam situs relationem ad alia corpuscula, a quibus vel motu recessit, vel ad quæ accessit. Est enim hoc inter animam interque primitivum corpusculum a nobis etiam alias observatum §. 89. discrimen, quod mutatio genita a vi motrice in corpusculo est pura ad alia corpora quæ gradatim contingit, externa relatio, adeout si præter unum motu percitum corpus nulla sint alia, actualis illa relatio amplius non sit, sed una proxima relationis potentia. §. 99. Ont. At mutationes a viribus cognoscendi & appetendi in anima generatæ sunt illi interiores & in eadem manent, nec extra procedunt, adeout vere in ipsa actu forent, etiam si una tantum anima reperiretur. Ergo quemadmodum ex vi motrice solum in corpore residua est aliqua exterior relatio & dispositio, quia vis motrix solam mutationem in externa ad alia corpora relatione positam gignit; ita in anima ex viribus cogitandi & appetendi restat nova interior relatio & dispositio, quia hæ vires mutationem animæ internam, & in illa manentem progignunt. Ergo in anima admittenda sunt gratia habitualis, habitus virtutum Theologalium, aliique habitus, sed solum tamquam animæ dispositiones & veluti formæ a gratia actuali relictæ, sive a viribus cognoscendi & appetendi, quas Deus ut auctor Gratiæ in infundenda gratia de novo creat. In quo nihil est dissentanei a nostris principiis.

20. At enim qui explicabis gratiam, quæ infunditur infantibus baptismo regeneratis, in quibus utpote minime aptis & usu rationis carentibus sine ratione finguntur internæ illustrationes atque motiones, ut supra vidimus animadvertere Bertium adversus Medinam? Verum do Bertio neminem posse cum ratione ponere in infantibus illustrationes atque motiones quibus ipsi libere assentiantur, ut faciunt adulti rationis usu pollentes. At ponere Deum ut gratiæ auctorem in justificatione infantis reipsa illuminare & movere ipsius animam, quin tamen ea liberam aliquam actionem exerceat, ab ratione alienum non est. Auctor libri inscripti *Traitè de la nature de l' Ame tom.* 2. pag. 10. diserte scribit infantibus, in quibus aliqua potest esse difficultas, esse insitam & actualem infiniti & ideo Dei cognitionem; idque suadet duabus rationibus, altera ducta ex eo, quod ab ortu habemus invincibilem propensionem erga summum Bonum, quæ sine cognitione esse non potest; altera quod infantes habent ideas rerum finitarum, quæ tales cognosci nequeunt, nisi anima cognitione donata sit infiniti, cujus habita ratione res per sensus ingressas finitis limitibus contineri cognoscat. Quamvis autem id supra refutaverimus §. 190. & seq. atque Deum, ut auctorem Naturæ, hanc infiniti ideam ante ideas rerum finitarum per sensus illapsas non insculpere docuerimus, tamen nihil vetat, quominus asseramus Deum, ut gratiæ auctorem, dum in baptismo justos efficit infantes, hanc sui ideam & appetitionem minime liberam indere. Ex quibus omnibus fit manifestum cum sacra doctrina fideique decretis convenire nostro systemati, quo volumus atque suademus nihil novi in anima gigni nisi vires cogitandi, ipsasque cogitationes & appetitiones, & ope illarum eas dispositiones & formas, quæ primis sublatis restant in anima, atque habitus a scholasticis appellantur.

21. His constitutis propius accedo ad modum & ordinem, quem Deus servat in ideis in anima creandis, quem ad finem in hunc locum excurri, & primum ajo Deum, antequam in anima creet vires cogitandi & appetendi ipsasque cogitationes, non posse ullam in anima formam & dispositionem ad ideas

im-

imprimere, eoquod hæc, utpote aliquod relativum, ipsa per se fieri nequit §. 42. Ont. & fit solum ea vi cogitandi & appetendi quam Deus in anima creat. Quamobrem ii qui defendunt ideas innatas exsistere, nequeunt, quemadmodum multi defectu claritatis idearum faciunt, id eo sensu explicare, ut ante ullas actuales ideas & cognitiones Deus formas aliquas & dispositiones animæ indat ab ipsius ortu. Ita fit ut hæc de ideis innatis quæstio eo revolvatur, ut videamus, utrum Deus aliquas in anima nostra prius crearit ideas, quam aliquam ex iis, quæ per sensus ingrediuntur, quarum is quoque est caussa efficiens, sed occasione sumta ab impressionibus in corpore genitis, procrearit; an vero omnes post ideas sensuum genuerit. Alteram partem amplexi sumus ob rationes expositas partim in Logica §. 115. & seq. partim hic §. 190. & seq. quas certe non infirmant multa ex iis quæ ab auctore libri supra laudati afferuntur, & præsertim illud, quod notiones quas habemus Dei, summi boni, virtutum & principiorum moralium, nimis informes & viles forent & longissime a suis objectis distantes, si a sensibus haurirentur. Etsi enim id aliquam haberet vim adversus eos, qui ponerent ideas omnes ad ideis sensuum pendere, & simul a corporeis impressionibus, tamquam a caussis efficientibus, gigni affirmarent; tamen nullam habere potest contra me, qui omnes ideas a sensibus pendentes tum proxime, tum remote ope attentionis, reflexionis, & vis præscindendi, a Deo proxime creari contendo, & rationibus in antecessum allatis confeci. Quam meam sententiam circa idearum originem nec postulare physicum influxum, nec animi naturam qualem Dicaearchus & Hobbes volunt, nec universe favere Materialistis, quemadmodum Lochianam circa eamdem quæstionem desiderare alterutrum ex primis duobus, & iis suffragari contendit Genuensis, ex dictis clarius est quam ut in his refutandis diutius versari debeamus.

CAPUT SEXTUM.

De libro Helvetii inscripto L' Esprit.

§. 200. SCHOLION XVI.

IN fine scholii 11. §. 27. polliciti sumus nos fore accuratius examinaturos Helvetii librum de spiritu. In præsenti datam liberamus fidem, ipsiusque sententiam exponemus iis, quæ ad eumdem refutandum exscripsit Abramus Josephus de Chaumeix tom. III. libri inscripti *Préjugés legitimes contre* l' Encyclopedie, in quo tomo tertio auctor expendit Helvetii librum ea de caussa, quod Helvetius Principia auctorum Encyclopædiæ secutus est, & in majori posuit luce. Primum itaque Helvetius hoc statuit fundamentum sermone 1. pag. 7. & seq. hisque verbis e gallica in latinam linguam translatis „ Ajo physicam sensibilitatem, atque memoriam, sive ut accuratius loquamur, solam sensibilitatem esse caussam nostrarum omnium idearum. Revera memoria esse non potest, nisi unum ex organis physicæ sensibilitatis. Quod principium in nobis sentit, idem reminisci debet; quia reminisci proprie aliud non est quam sentire, ut mox docebo, cum ob idearum sibi succedentium seriem, aut propter succussionem, quam certi soni efficiunt in organo aurium, imaginem re-

vo-

voco quercus; tunc interiora mea organa fere ita disposita esse debent, ut disposita erant ad visionem. Hæc autem organorum dispositio certo certius sensationem gignere debet. Planum igitur est reminisci esse idem atque sentire.

Hoc statuto principio illud quoque affirmo in potentia & facultate, quæ nobis inest, percipiendi similitudines inter res atque dissimilitudines, convenientias & discrepantias positas esse spiritus operationes. Hæc autem facultas aliud est nihil, quam physica sensibilitas. Ergo omnia ad sensationem revolvuntur.

Ut hujus veritatis certiores fiamus, inspiciamus naturam. Hæc nobis offert res contemplandas, quæ relationes habent erga nos & erga se mutuo. Harum cognitio relationum efficit id, quod spiritus appellatur: qui eo major, aut minor est, quo ipsius in hoc genere cognitiones longius latiusque pertinent. Spiritus hominis se extollit usque ad hujusmodi relationum cognitionem, sed hisce limitibus ita coercetur, ut eos numquam migret. Quamobrem omnia omnium linguarum vocabula, quæ linguæ haberi possunt pro summa signorum omnium hominis perceptionum, aut in nobis excitant imagines, cujusmodi sunt hæc *quercus*, *oceanus*, *sol*, aut ideas, idest diversas, quæ inter res intercedunt, relationes. Hæc autem relationum vocabula sunt aut simplicia, ut *magnitudo*, *exiguitas*; aut composita, ut *vitium*, *virtus*; aut tandem significant relationes inter nos & res alias, sive nostras in iisdem actiones, ut accidit in hisce vocabulis, *frango*, *excavo*, *sublevo*, sive earum in nobis impressiones, ut in his aliis *ferior*, *nimia luce perstringor*, *terrore corripior*.

Ex his consequitur, si omnia omnium linguarum vocabula aliud nihil umquam significant nisi aut res, aut relationes inter easdem interque nos, spiritum omnino positum esse in sensationibus atque ideis inter se comparandis, idest in percipiendis rerum similitudinibus & differentiis, convenientiis & discrepantiis. Quoniam vero judicium aliud non est, quam hæc ipsa perceptio, aut saltem ejusdem enunciatio, consequens est omnes spiritus operationes judiciis contineri.

Hisce limitibus circumscripta quæstione, nunc expendendum suscipio an judicare sit idem ac sentire. Cum judicium profero de magnitudine, aut colore rerum, quæ mihi objiciuntur, perspicuum est judicium de variis prolatum impressionibus, quas hujusmodi res meis in sensibus efficiunt, aliud proprie non esse, quam sensationem, meque indifferenter posse dicere: judico aut sentio ex duabus rebus alteram, quam appello hexapedam, excitare in me sensationem aliam, atque excitat altera, quam pedem voco: & colorem, quem nomino rubrum, aliter meos afficere oculos, quam alterum, quem flavum; atque inde colligo in hisce eventibus judicare idem omnino esse atque sentire. At enim fac nos velle scire utrum vires corporum sint eorum magnitudini anteponendæ, nec ne. Num certo affirmare possumus tunc judicare & sentire eadem esse? Ita sane, quia ut hac de re judicium pronunciem, memoria mihi debet repræsentare tabulas diversarum positionum, in quibus dum vivo, usitatius & facilius versari possum. Jam vero judicare est in hisce tabulis videre corporis vires mihi sæpius futuras esse utiliores præ magnitudine. Urgebit aliquis; cum agitur de judicando, an in Rege justitia sit præferenda clementiæ, qui poterit affirmari tale judicium esse idem atque sensationem?

Hæc opinio aliquibus proculdubio paradoxum videbitur. Sed ut eam monstremus,

mus, in homine ponamus esse cognitionem ejus, quod *bonum* & *malum* appellatur, & hujusmodi hominem scire quamque actionem eo esse magis aut minus malam, quo plus aut minus nocet bono societatis. Hac in hypothesi qua debet arte Poeta vel Orator sub oculos ponere justitiam in Rege clementiæ anteponendam conservare & tueri plus civium in Regno? Orator tres tabulas hujus hominis oculis subjiciet; in prima repræsentabit Regem justum, qui reum condemnat & plectit, in altera Regem clementem, qui eidem reo carcerem aperit, & vincula solvit; in tertia hunc eumdem reum, qui e carcere exiens ense districto obvium quemque invadit, & quinquaginta interficit homines. Jam vero quis hujusmodi tres tabulas intuitus, non sentiet justitiam, quæ unius morte quinquaginta hominum redimit vitam, esse in Rege clementiæ anteponendam? Nihilotamen minus hoc judicium aliud reipsa non est quam sensatio. Revera si propter acquisitum a nobis habitum certas cum certis vocabulis ideas conjungendi fieri potest, ut quod experientia comprobatur, ad tremorem in auribus ex quibusdam genitum sonis in nobis excitentur eædem fere sensationes, quas rebus præsentibus experimur; perspicuum est ad harum trium repræsentationem tabularum hoc proferre judicium, quod in Rege justitia est præferenda clementiæ, idem esse ac sentire & videre in prima tabula unius civis vitam immolari, in tertia vero quinquaginta. Ex quo concludo omne judicium aliud non esse quam sensationem „.

Hactenus Helvetius, qui deinde sibi objicit judicia de præstantia alicujus methodi, an scilicet methodus abstractionum sit præferenda analyticæ, contenditque etiam in hisce judicare esse idem ac sentire, eoquod alteram methodum alteri in investiganda veritate præstare idem est ac recordari, se dum ad veritatem priori methodo pervenit, minus adhibuisse attentionis, minusque molestam expertum esse sensationem, quam cum altera via processit. Quia vero sunt aliqui errores, quos etiamnum creditum est non posse explicari, nisi judicium sit actio mentis a sensatione distincta, ad hanc quoque difficultatem de medio tollendam primum referat duos omnium errorum fontes, passiones, atque ignorantiam aut aliquarum rerum, aut significationis quorumdam vocabulorum; tum respondet errores esse accidentia humani spiritus, non vero cum ipsius essentia necessario cohærere; indeque concludit omnes homines recto spiritu esse donatos.

2. Quod attinet ad animam belluarum is putat eam esse ejusdem naturæ, atque humanam, eo quod habet easdem facultates, physicam sensibilitatem atque memoriam, quæ omnes ideas & omnia judicia in hominibus gignunt. Ut vero explicet, cur in belluis sint adeo steriles, ut experientia docet, in hominibus vero adeo fertiles, has affert inter bestias & homines differentias. Primum belluæ, quarum extremæ partes terminantur aut carnibus, aut ungulibus, carent manibus, flexilibusque digitis, quibus homines donati sunt, atque idcirco non solum fere omni tactus sensu, verum etiam ea dexteritate, quæ necessaria est ad contrectanda instrumenta, & ad illa investiganda, quæ ministerio manuum opus habent. Tum belluarum vita universe humana brevior non sinit eas dare operam observationibus, atque tot inde haurire ideas, quot homines vivaciores hauriunt. Deinde belluæ magis a natura armatæ & vestitæ, quam homines, opus habent paucioribus rebus, & idcirco esse debent minus deditæ inventionibus, quibus quamplurimæ hominum ideæ sunt ac-

acceptæ ferendæ. Postea feræ non efficiunt nisi societatem fugacem in conspectu hominis, qui armorum inventione easdem terrore afficit. Demum homines per universam terram multiplicati sunt longius latiusque, quam belluæ, hacque majori multiplicatione speciei observandi capacis idearum penu in hominibus mirum in modum excrevit. Cum autem sibi objecisset simios, qui tametsi eadem, ac homines, dexteritate manibus utantur, iisque multa perpetrent actionum hominis similia, tamen eos, quos homines, in ideis colligendis progressus nequaquam fecerunt: tum inculcat allata præter primum communia, tum hoc ipsis proprium producit „ quia cum (pag. 3. & seq. *L' Esprit*) organica ipsorum corporum dispositio eos, veluti infantes, perpetuo agitet motu, etiam posteaquam eorumdem necessitatibus satis est factum, simul capaces non sunt illius fastidii, quod ut in tertio sermone docebo, est veluti unum ex principiis, quibus humani spiritus perfectio debetur „. Quibus disputatis ita concludit. „ Si has inter naturam hominis & belluarum differentias comparemus, explicari poterit, cur sensibilitas physica atque memoria, quæ sunt facultates hominibus cum belluis communes, in hisce ultimis non fiat, nisi infœcundæ & steriles facultates „.

3. In quæstione vero de animæ immaterialitate diserte negat pag. 5. serm. 1. eam posse certis rationibus dijudicari, probabiles in utramque partem rationes expendi oportere, & interlocutorium veluti judicium esse ferendum pro majori in alterutram veresimilitudine. Pagina vero 32. suam expromit sententiam his verbis, ex quibus fit manifestum quid homini videatur ad verum propius accedere. „ Posteaquam est definitum quænam sit vocabulo materiæ subjecta potestas, in hoc versabatur cardo quæstionis in definiendo, utrum extensio, soliditas atque impenetrabilitas forent solæ proprietates omnibus communes corporibus, & utrum inventio talis vis, qualis ex. g. est attractio, posset suspicionem movere, quod in corporibus sunt aliæ incognitæ proprietates, qualis est sentiendi facultas, quæ tametsi in solis animalium organicis corporibus appareat, tamen omnibus individuis communis esse posset. Quæstione his terminis circumscripta, tum quisque manu tetigisset, si proprie fieri nequit ut omne corpus esse absolute insensibile conficiatur, neminem, cui hac in re revelationis non affulserit lumen, aliter posse quæstionem dijudicare, quam subducendo rationes, & hujus opinionis verisimilitudinem cum verisimilitudine contrariæ comparando. „

4. Ut autem quæstionem hanc & etiam alteram de animæ immortalitate non posse nisi ex virisimilibus conjecturis decidi, & rationes etiamnum allatas intra verisimilitudinis fines consistere Helvetius significaret, si audiamus auctorem libri supra citati tom. 3. pag. 84, in adnotatione ad ea, quæ de animæ immaterialitate & immortalitate pag. 5. ser. 1. primus disseruerat, in celebrem principiorum certitudinis locum idem orationem induxit, & hæc litteris consignavit. „ Impossibile foret ad axioma Cartesii adhærescere, neque assensum præbere nisi evidentiæ. Si hoc axioma in scholis quotidie repetitur & inculcatur, id caussæ fuit, quod illud funditus intellectum non est, quodque cum Cartesius, si ita loqui fas est, diversorio evidentiæ insigne non apposuerit, quisque jure ac merito contendit se in eodem posse suam opinationem collocare. Quicumque reipsa manus non daret nisi evidentiæ, fere certus non foret nisi exsistentiæ suimetipsius. Qui enim foret ex. gr. corporum exsistentiæ?

tiæ? Nonne Deus qua præditus est omnipotentia, easdem in nostris sensibus facere posset impressiones, quæ a presentibus rebus excitantur? Quod si Dei potentiam id non excedit, quotusquisque certum & exploratum habere potest, Deum non uti eadem hoc in negotio, atque rerum universitatem non esse nisi apparentem? Ceterum si in somniis iisdem afficimur sensationibus, quibus pellimur in corporum præsentia, qui suadere possumus nostram vitam non esse perpetuum somnium? Quæ non eo dico, ut negem corpora exstare, sed ut planum faciam nos de ipsorum exsistentia minus esse certos quam de nostra. Quoniam vero veritas est individua, nec de quadam veritate pronuntiari potest eam esse magis aut minus veram, perspicuum est, si magis certi sumus de nostra exsistentia quam de corporum, exsistentiam corporum non esse nisi verisimilem; quæ tamen verisimilitudo maxima est, & in vita degenda idem valet ac evidentia, quamvis ab ea longe absit. Jam vero si omnes fere nobis cognitæ veritates non sunt nisi verisimilitudines, quæ gratia esset referenda illi sublimis ingenii viro, qui munus susciperet construendi tabulas Physicas, Metaphysicas, Morales atque Politicas, in quibus accurate signati forent varii probabilitatis gradus, atque idcirco assensus, quem cuique opinioni præbere debemus? „

5. Mitto illa omnia, quæ congruentia quidem principiis a se constitutis, sed aliena prorsus ab omni ratione, atque a revelatis mysteriis dissentanea disserit auctor, eo quod necessitudinem non habent cum iis, quæ hic disputamus, & illa tantum excerpo, quæ tractat de libertate, eo quia libertas est unus ex præcipuis locis, quos in Psychologia & in Naturali Theologia tractamus. Is itaque p. 36. hæc litteris consignavit. „ Quibus etiam gravioribus disputationibus occasionem dedit vocabulum libertatis? Iis profecto finis fuisset impositus, si inter homines ita veritatis amicos, quemadmodum fuit Malebranchius, id convenisset, quod huic Philosopho in disputatione de Physica Præmotione placuit, libertatem esse mysterium. Cum in hac quæstione premor, is ajebat, mihi aquam hærere necesse est: non ea de caussa, quod formari nequeat perspicua notio vocabuli libertatis in significatione communi. Homo liber is est, qui nec est compedibus devinctus, nec in carcere inclusus, nec uti servus minis pœnarum & verberum perterrefactus. Hoc in sensu libertas hominis posita est in libero suæ potentiæ exercitio. Dixi potentiæ, quia ridiculum foret pro carentia libertatis ponere, quod non possumus aut findere nubes veluti aquilæ, aut sub aquis vivere quemadmodum cete, aut adipisci dignitatem Regis, S. Pontificis, Cæsaris.

Quare vocabuli libertatis in hoc communi sensu acceptæ perspicuam habemus notionem. Non similiter res contingit, cum idem vocabulum transfertur ad voluntatem. Qui demum tum esset libertas? Aliud nihil intelligi posset, quam libera appetendi aliquam rem, aut non appetendi facultas. Verum hæc potentia postularet ut esse quirent in anima appetitus sine rationibus, & idcirco effectus sine caussis. Opus ergo foret ut possemus velle bonum æque ac malum, quod prorsus esse non potest. Revera si voluptatis desiderium est omnium nostrarum cogitationum appetitionumque principium, si omnes homines perpetuo feruntur versus bonum, sive verum sit, sive apparens, omnes appetitiones sunt effectus hujus in bonum inclinationis. At enim si necesse est persequi bonum ubicumque esse percipitur, saltem liberi sumus in electione medio-

diorum, quæ in comparando bono adhibemus. Ita sane responderem; sed tunc liber idem est ac prudens, hæque duæ notiones confunduntur. Prout quis magis vel minus callebit scientiam negotiorum, atque jurisprudentiam, prout in consilium adhibebit Procuratorem & advocatum magis aut minus idoneum, inibit rationem aut magis aut minus aptam; sed quamcumque injerit, suæ desiderium felicitatis impellet ad eam seligendam, quæ ipsi videbitur maxime convenire suis rebus, suis appetitibus, suis passionibus, & demum illi, quo spectat tamquam ad suum bonum.

Qui poterit ergo libertatis problema philosophica ratione explicari? Si ut Lochius ostendit, nos sumus oexi amicorum, consanguineorum, lectionum, & tandem omnium rerum, quibus circumdamur, necesse est omnes cogitationes appetitionesque esse proximos effectus impressionum, quæ in nobis excitantur, aut ex iisdem necessario consequi.

Nulla igitur fieri potest notio hujus vocabuli libertatis ad voluntatem translatæ, atque necesse est eam tamquam mysterium habere, cum Paulo exclamare *O altitudo*, in eo convenire, quod purus Theologus de hac re nihil disserere potest, & Philosophicam de libertate disputationem aliud non esse, quam disputationem de effectibus sine caussa „ In adnotationibus vero ad hujusmodi locum hæc habet. „ Sunt qui volunt animæ suspensionem esse argumentum libertatis, nec intelliguot suspensionem esse pariter necessariam ac præcipitationem judicii, cum ob defectum in rebus examinandis homo se committit cujusdam mali periculo. Quæ mala quis alias expertus sui amore cogitur assensum suspendere. Decipimur etiam in vocabulo deliberationis. Nobis deliberare videmur, cum selecturi sumus ex. gr. alterutram ex duabus voluptatibus, fere æqualibus & veluti io æquilibrio collocatis. Nihilominus tunc pro deliberatione accipitur tarditas, qua veluti inter duo pondera fere æqualia, gravius deprimit lancem. „ In altera vero adnotatione pag. 38. hæc scibit „. Libertas, ut ajebant Stoici, est chimæra. Quia ignoramus ratiooes, & adjuncta, quæ nos ad certa ratione operandum determinant, nobis persuademus nos esse liberos. Intelligine potest homini veram inesse potentiam sese determinandi? Nonne potius externa objecta mille variis modis disposita nos pellunt atque determinant? Num hominis voluntas est facultas vaga, nulliusque subjecta imperio, quæ sine delectu & temere operetur? Eadem operatur, sive abrepta judicio & actione intellectus, qui rem aliquam illi repræsentat suis utiliorem rebus, quam aliam quamlibet, sive quia hac actione non prævertente, adjuncta in quibus homo reperitur, illius voluntatem inclinant & cogunt ut ad aliquam certam partem se vertat, sibique adulatus credit se tunc libere vertisse, tametsi aliorsum se vertere non potuerit „. Talis est species libertatis, quam Helvetius adumbrat.

6. Iisdem principiis insistere Encyclopædiæ auctores perspicuum facit tom. 2. & tertio & alibi passim & præsertim 4. pag. 16. laudatus de Chaumeix, qui rationem reddens, cur ut primum lucem vidit liber Helvetii, omnes sani Philosophi & veri catholici cohorruerint, non idem usuvenerit in Dictionario Encyclopædico, tametsi eadem prorsus principia complectatur, hanc affert, quod in Dictionario hæc principia nimium dispersa sunt, quam ut facile in oculos legentium incurrant, & ex iis non omnia, quæ necessario consequuntur, deducta fuerunt; in libro autem Helvetii in unum veluti corpus redacta le-

lectorum animos nimium offenderunt tum ipsa per se, tum ob ea, quæ adversus veram Philosophiam atque Religionem ex iisdem colligere auctor non dubitavit. Immo perspicue docet tom. 5. in Præfat. art. 2. & in Opere sect. 1. cap. 2. Helvetium & auctores Dictionarii hausisse principia ex celebri Lochii libro de humano intellectu, quem auctorem ii laudibus efferunt, ac ut veræ Metaphysicæ atque adeo Philosophiæ Parentem atque Inventorem commendant. Hac de caussa cum sibi refutationem Encyclopædiæ atque Helvetii proposuisset, id se consequi posse putavit, si eumdem librum examinasset, & quæ ab ipso statuta sunt, a fundamentis evertisset. Id quod exsequitur tom. quinto & sexto in quibus rationes Lochii refutat, & septimo, in quo etiam contrarias Lochianis enuntiationes suis rationibus confirmare conatur. Verum is mihi videtur nimis multa contra Lochium voluisse tamquam certa obtrudere, quæ nec ab ipso satis clare evincuntur, nec alioquin necessaria sunt ad animæ immaterialem atque spiritualem naturam, atque ad ejusdem libertatem, & ad alia sanæ Philosophiæ & veræ Metaphysicæ dogmata sartatecta servanda. Quod mox docere aggredior. Interim doleo Helvetium aliosque Cl. Viros in sinu Catholicæ Religionis nutritos, deque Physicis atque Mathematicis optime meritos, ut eorum opera luculenter ostendunt, ob tam leves rationes, quales sunt illæ, quas a Lochio in medium productas ad animæ spiritualitatem in dubium revocandam in antecessum refutavimus §. 123. a saniori Philosophia atque a vera Religione desciviſſe, ut eadem sentirent, ac Lochius in eo Regno natus, in quo cuique fas est quaslibet vel maxime impias opiniones defendere, atque Voltairius, quem libertas scribendi extorrem fecit a patria, & bonis omnibus exosum, aliique non pauci, qui eodem perciti æstu ad impiarum novarumque opinionum scopulos adhæserunt: hocque pacto pervenisse multos eorum, qui tales viros in aliis disciplinis merito suspicientes arbitrantur eosdem etiam veritatem esse assecutos in Metaphysicis. Ad hos vero a præcipitio in viam revocandos, & etiam ad ipsorum Magistros, quos ingenio quidem nimis quam decet catholicum virum, indulsisse credo, non tamen catholicæ fidei nuntium prorsus misisse, in hunc locum orationem induco. Prius tamen adverto in articulis *Ame*, *Ame des bêtes* & similibus Encyclopædiæ editionis Lucensis veras spiritualitatis & immortalitatis animorum sententias adversus impios defendi, ut vel constare potest ex loco, quem §. 123. num. 49. pro tuenda contra Voltairium immaterialitate ex primo articulo protulimus.

7. Ut hos refelleret Josephus *de Chaumeix*, adversus Lochium, quem Helvetius & omnes Encyclopædiæ auctores tamquam Præceptorem suspiciunt, duo statuit, alterum, sicuti extensio est essentia corporis, ita cogitationem esse essentiam substantiæ cogitantis; alterum autem non omnes ideas a sensibus proficisci, sed aliquas esse ingenitas. Primum duabus omnino rationibus docet pag. 155. & seq. tom. 7. citati operis; quarum altera hæc est; omnia in corpore variari sensibus percipimus præter unam extensionem, quæ semper manet in eodem, quamcumque in aliis mutationem subeat. Igitur extensio est corporis essentia, quam nos primariam & substantialem appellamus Log. §. 82. Similiter animam intimo sensu cognoscimus nunc dubitare, nunc certam esse, modo velle, modo desiderare, aliasque innumerabiles subire mutationes, sed in hisce omnibus mutationibus cogitationem perstare, & substantiam manere cogitantem deprehendimus. Ergo qua ratione confectum est extensionem esse

cor-

corporum essentiam, eadem conficitur cogitationem ad primariam animæ essentiam pertinere. Unde Lochium acerrime carpit, quod cogitationem in anima idem esse vult ac motum in corpore, nempe ad ejusdem substantiam accidere, uti motus ad substantiam corporis accidit. Altera ratio in eo posita est, quod remota cogitatione, quæ removeri posset, si accidens foret, Lochiani nec ipsi intelligere, nec aliis quærentibus respondere possunt, quid sit ea substantia, quæ cogitationis suscipiendæ capax est. Id autem argumento est cogitationem esse animæ essentiam atque substantiam.

8. Atque hæc est summa rationum, quibus auctor contendit cogitationem ad animæ essentiam pertinere. Verum ego persto in sententia, quam alias defendi §. 42. Ont. & supra §. 91. & seq. & vires omnes sive cogitandi, sive motrices, substantiarum in quibus insunt, esse accidentia proxime a Deo creata, & nihilominus ajo Materialistas nihil inde posse colligere, quod eorum systema confirmet. Nam quod attinet ad primum, rationes quibus efficitur vim motricem esse corpori accidentalem, accurate exposui §. 119. T. I. Phy. Gen. & paucis conclusi citato Ontologiæ loco, atque ad substantiam quoque cogitantem pertinere monstravi tum ibi, tum hic §. 91. & seq. Eas vero nunc repetere duco operæ pretium ut pressius, si fieri potest, urgeam in substantiæ cogitantis quæstione. Essentia corporis ipsa per se est indifferens ad motum versus omnes plagas, dexteram, lævam, inclinatam ad utramque, sursum, deorsum &c. quia corpus per omnes has plagas moveri potest, quin desinat esse corpus. Quare si vis motrix esset essentialis, ipsa quoque utpote ejusdem naturæ, ac essentia corporis, esset ad motum per omnes hasce plagas indifferens. Quia vero simul per omnes ferri nequit, debet esse ratio sufficiens, per quam intelligatur corpus ad unam ex iis determinari: quæ ratio nequit esse in vi essentiali, quia hæc est ad omnes indifferens, uti essentia corporis. Ergo hæc ratio quærenda est in aliquo alio absoluto, quod in corpore a Deo creetur, eoquod jam ostendimus §. 42. Ontol. mutationem, utpote relationem, ipsam per se effici nequire, sed creari oportere aliquod absolutum, quod ejusdem sit proxima caussa. Ergo Deus in corpore jam constituto gignere & creare debet aliquod absolutum, quod sit proxima & ultima ratio, cur corpus ex. g. dexteram versus moveatur; nec satis est illud quod ab aliquibus in medium affertur, vires quidem esse essentiales & ad nullam plagam determinatas, verum eas suscipere varias determinationes, atque, ut ajunt, modificationes, quibus ad aliquam certam diriguntur. Nam ut dixi §. 50. Ont. vel hæc determinatio sive modificatio est aliquod pure relativum, vel est absolutum; si primum, ipsa per se gigni non potest, quia jam ostendimus §. 40. Ont. relationes ipsas per se generari, corrumpi, & variari non posse, sed solum absoluta, ex quibus eædem exsistunt. Sin vero secundum, vis essentialis erit vis solum quod attinet ad nomen, hoc autem absolutum, quo corpus versus certam plagam dirigitur, erit vera vis, cujus nomine intelligimus illud quod est proxima ratio motus, quo posito motus sine alio continuo sequitur. Jam vero hæc eadem conveniunt in vim cogitandi, & ideas alias post alias formandi. Nam posita in anima quadam idea certum est cum eadem posse conjungi plures easque diversas idearum series, animæque essentiam sartamtectam servari, sive anima ab illa digressa idea unam idearum seriem percurrat, sive aliam quamcumque. Quod perpetua confirmatum experientia probatione non indiget.

get. Unum tamen afferam exemplum. Si cogitem Davidem, & duos ejusdem filios, Salomonem atque Natanum, nonne anima mea potest ab eadem Davidis idea profecta tum per Salomonem & ipsius filios atque nepotes discurrens unam idearum seriem formare, tum per Natanum & ejusdem pariter filios atque nepotes alteram prorsus diversam? Quare si vis cogitandi & formandi ideas foret essentialis, sive cum animæ essentia tamquam attributum necessario copulata, eadem vis foret indifferens ad plures atque diversas idearum series, quæ cum eodem tempore omnes in anima esse nequeant, extrinsecus adsciscenda est ratio sufficiens, quæ animam determinet ad hanc potius seriem, quam ad illam. Quamobrem ob ea, quæ de viribus corporum disputata sunt, Deus gignere debet in anima aliquod absolutum, per quod determinetur ad hanc potius idearum seriem eliciendam, quam ad aliam quamcumque. Quod absolutum dicitur vis cogitandi, eoquod est proxima ratio cur anima hisce ideis afficiatur. Qua ergo ratione efficitur vim motricem esse accidens corporis, eadem tenemus vim cogitandi ad animæ essentiam pertinere.

9. Dices latum esse discrimen inter vim motricem, interque vim cogitandi; vis enim motrix necessario operatur, & simul ac corpus ea cietur, determinatum aliquem motum tamquam necessarium ejusdem vis effectum habeat necesse est §. 259. & seq. Ont. vis autem cogitandi libere agit, & cum anima percellitur eadem vi, non continuo debet operari, sed libera manet, ut ad hanc potius idearum seriem se determinet, quam ad aliam quamlibet. Vis igitur cogitandi in anima potest esse ipsa per se indeterminata & indifferens, quæ deinceps ab animæ libera electione determinetur. Quamobrem ex eo capite, quod vis debet esse omnino determinata, elici nequit eam essentialem non esse. Immo si audiamus laudatum Auctorem, Cl. Genuensem in epistola italica de origine idearum quæ habetur in calce Logicæ ipsius, & Philosophos passim, præsertim vero Leibnitianos atque Wolphianos, vis hujusmodi animæ est essentia ob id ipsum, quia eadem permanens variis multisque modis affici potest, quemadmodum extensio est corporis essentia, eoquod semper in corpore manens multimodis variari quit, ex. g. fieri major, vel minor, densior, vel minus densa, hanc vel illam figuram suscipere.

10. Verum hic memoria revocandum est, quod alibi diximus, §. 57. & seq. aliud esse absolutum in ideis & appetitionibus animæ, aliud esse relativum, sive directionem idearum & appetitionum ad hoc potius objectum, quam ad aliud; absolutum enim, sive ipsæ ideæ & appetitiones in se consideratæ non sunt in animæ libertate, nec ab eadem vi propria eliciuntur, sed tamquam absoluta accidentia a Deo gignuntur in anima; in ipsius autem libertate, seu vi se determinandi positum est, ut hunc absolutum actum in ipsis genitum ad hoc potius objectum, quam ad aliud quodcumque dirigant, cum agitur de actionibus voluntatis erga bonum tendentis, & cum de ideis, in hanc potius, quam in aliam quamcumque eodem tempore genitam suam dirigant attentionem. Cum ergo dicimus ideas & appetitiones esse accidentia absoluta eaque necessaria, in anima a Deo creata, id intelligimus de iisdem, quatenus absolute & in se considerantur, eo quod cum plures hujusmodi idearum series esse possint in anima, quin ejusdem essentia corrumpatur, extrinsecus ratio quærenda est, cur tales quoque tempore ideæ & appetitiones in anima exsistant. Iisdem vero in anima genitis non negamus liberam

ram

ram animæ vim dirigendi has vires extrinsecus genitas, & in eo positam esse ipsius libertatem putamus. Quamobrem animæ libertas non tollit, quominus vires cogitandi & appetendi in se consideratæ, sive quod attinet ad ipsarum veluti substantiam, sint omnino determinatæ, & idcirco ob allatam rationem ad essentiam animæ pertinere non possint.

11. Quod additur de proprietate essentiæ, quæ mutationibus obnoxia est, id habet fundamentum in præjudicata & communi opinione Philosophorum, qui ex altera parte non distinguentes primitiva corpuscula a corporibus in sensus incurrentibus, quæ ex multis corpusculis coalita sunt, & ex altera quælibet etiam primitiva in partes secari posse putantes, extensionem quæ est corporum essentia, non solum putarunt esse obnoxiam mutationibus, quæ ipsam intrinsecus relinquunt prorsus eamdem, sed etiam iis, quæ illam intrinsecus variant. Verum ex nostris principiis §. *92.* aliud est extensio corpusculi in genere & abstracte considerati, aliud est corpusculi concrete inspecti & exsistentis; extensio primi potest esse hae vel illa magnitudine, hae vel illa figura, hac vel illa densitate donata. At extensio corpusculi jam exsistentis habet hæc omnia non solum determinata, sed etiam ita necessario inter se & cum extensione copulata, ut neque per Deum figuram, magnitudinem, & densitatem mutare possit. §. 235. Ont. Quamobrem essentia ipsa corpusculi sive extensio intrinsecus variari non potest, sed solam in iis, quæ iidem extrinsecus accidunt, sive in vi motrice, & in relationibus, quæ ab illa oriuntur. Quamobrem etiam animæ jam exsistentis essentia omnino determinata esse debet in iis, quæ ad illam pertinent, eoquod nihil aliqua ex parte indeterminatum esse quit, & ipsa per se intrinsecus in iisdem variari non potest, sed solum in iis, quæ ad illam accidunt, sive in viribus, & relationibus, quæ ab iisdem proficiscuntur. Cum ergo cogitandi vis multimodis intrinsecus varietur, ut ex laudato *de Chaumeix* supra docuimus, concludendum est vim cogitandi esse accidens animæ, non autem ipsius essentiam. Sed consule quæ in hanc rem accurate disputavi §. *91.* & seq.

12. Sic constituta vi cogitandi tamquam accidente, quod in anima a Deo ereetur, venio ad rationes in contrarium allatas, & ajo non ex eo præcise, quod quæcumque a corpore sublata intelligantur, semper aliquam extensionem manere intelligimus, extensionem ad essentiam corporis confici pertinere, sed opus esse aliis quoque principiis, & iis duobus præsertim, quod extensum ex inextensis aut conjunctis aut disjunctis constare nequit, & in vero & uno extenso partes reipsa distinctæ tamquam partes non sunt, ex quibus §. *203.* Ont. eruimus extensionem esse illud primum quod in corpore est, quodque a corpore nullo pacto quit separari. At nihil simile de cogitatione deque cogitandi vi potest ostendi, & illud præsertim quod prorsus necessarium est, sublata vi cogitandi, nihil in anima superesse. Immo ex iis quæ tam de viribus motricibus quam de viribus intelligendi similiter conclusimus, satis patet vim cogitandi esse in anima eodem modo, ac est in corpore vis se movendi. Latum est, ait *de Chaumaix*, discrimen inter utrumque virium genus; nam sublata motrice vi remanet in corpore substantia extensa, & ideo sine vi motrice satis intelligimus, quid sit corpus; at sublata vi intelligendi quid restat in anima, & quid ejusdem nomine percipimus? In quo posita est altera auctoris ratio.

13.

13. Ad hoc primum ajo me non videre quantum momenti sit in hoc genere concludendæ rationis, quia non videtur absurdum, ut anima cognoscat suas operationes tametsi accidentales sint, dum ad suas reflectit cognitiones & ideas, non autem cognoscat essentiam animæ, quæ illas operationes exercet. Deinde utut hoc se habeat, animæ substantiam ajo cognosci, etsi nullis reipsa ideis afficiatur. Est enim anima substantia inextensa. Nec ajat de Chaumeix hanc animæ notionem esse negantem, ideoque illius adminiculo non percipi quid sit anima, sed quid non sit. Nam extensio, qua fit ut corpus cum una sui parte sit in una parte loci, non in aliis, aliquid negantis includit §. 31. n. 17. Ont. Quare negatio extensionis non erit vera negatio entis, sed negatio negationis, & ideo ens. Er revera cum ex altera parte anima debeat esse præsens loco, & ex altera non sit nec extensa, nec tamquam inextensum punctum, eoquod punctum est modus extensionis, non substantia; inde consequitur animam esse præsentem loco extenso, & quia partibus caret extensis, esse totam in qualibet loci extensi vel minima portione. Quæ notio ad speciem negans est revera ajens, utpote negatio negationis, quæ in extensione necessario reperitur. Quo magis declarantur ea quæ §. 109. n. 4. & seq. in hanc eamdem rem disputavi. Quare sicuti corpus sine vi motrice in ejusdem auctoris sententia intelligi potest quid sit, eoquod percipitur tamquam substantia extensa, idest ita præsens loco, ut cum una sui parte sit in una parte loci, non in aliis; multo magis sine vi producendi ideas intelligemus, quid sit anima, si eam consideremus ut substantiam extensionis expertem, sive ita præsentem loco, ut tota in qualibet loci parte reperiatur.

14. Ad illam vero rationem ab auctore expositam pag. 230. cit. VII. tomi, & in eo positam, quod si anima tamquam tabula rasa aliquando sine ideis fuisset, numquam a sensibus illas potuisset acquirere, eoquod sensus idearum e nihilo educendarum facultatem non habent, fateor eam valere quidem in Materialistas, eoquod putant corpora esse caussas efficientes sensationum animæ, & inde argumentum aliquod pro animæ extensione inferre conantur, nullum autem habere momentum contra me, qui contendo quemadmodum positio corporum in aliqua distantia, aut eorum conflictus est caussa occasionalis, cur Deus in corporibus procreet vires motrices, quæ nullo pacto virtute corporum ab aliis in alia migrare possunt §. 237. Ont. ita quosdam corporis & cerebri motus esse caussas tantum occasionales, cur Deus in anima quasdam sensationes & ideas progignat, & e contrario positis quibusdam in anima cogitationibus quosdam in corpore & cerebro motus, seu vires motrices creet §. 172. & seq. Quamobrem etsi anima sensationes & ideas ex sui natura & essentia non habeat, illas tamen a Deo tamquam accidentia recipere potest.

15. Atque hæc est mea de animæ essentia sententia, ex qua nego posse Lochium ejusque sectatores aliquod desumere momentum pro desendenda animæ materiali natura. Id quod est alterum ex iis, quæ mihi proposui, dum hanc quæstionem aggrederer. Quamquam in eo monstrando necesse non est facere longum. Cum enim ex altera parte possibilitas accidentium ab ipsamet essentia proficiscatur, sitque in aliquo saltem statu attributum ab ea determinatum §. 89. & seq. Log. & ex altera jam docuerim vim cognoscendi in substantia materiali sive extensa non posse reperiri §. 111. manifestum fit animam esse

sub-

substantiam immaterialem atque inextensam, tametsi vis cogitandi inter ipsius accidentia numeretur.

16. Est altera quæstio in qua examinanda duos ipsos tomos, quintum & sextum & partem etiam septimi laudatus auctor impendit, illud sibi propositum habens docere partim nullis a Lochio efficacibus rationibus ideas & principia ingenita explodi, partim multis iisque perspicuis eadem monstrari. Quem locum post ea, quæ in Logica §. 115. & seq. & hic §. 190. & seq. sententiam nunc in scholis communem secutus disserui, sic explico ex meis principiis, quæ de natura & accidentibus animæ, deque illius cum corpore necessitudine in antecessum constitui. Ac primum statuo, quemadmodum Deus ut auctor naturæ nullam vim & motum inde profectum in corporibus creat, nisi occasione sumta ab ipsis corporibus aut distantibus aut se contingentibus, dum alia incurrunt in alia §. 237. Ont. secundum leges ab eodem constitutas, ita Deum, ut auctorem naturæ, nullas a primo in anima sensationes & ideas excitare, nisi occasione virium & motuum, quæ secundum dictas leges in corpore & in cerebro gignuntur §. 172. Quare non est repudiandum axioma Peripateticorum, *nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu*, si loquamur de primis illis ideis, quas Deus in anima excitat ut auctor naturæ; quia quemadmodum per miraculum aliquas in corporibus creat vires, in quibus creandis ab aliis corporibus & a legibus a se statutis in corporum actione occasionem non sumit; ita etiam ut auctor gratiæ quasdam sensationes, ideas & appetitus in anima excitat sine ullo corporis & cerebri adminiculo. Verum quia in anima est vis attendendi ad ideas easque inter se comparandi, itemque vis, qua libere se determinat ad unam potius ex pluribus, quæ menti obversantur, contemplandam, Deus non ab impressionibus cerebri occasionem sumit unam ex pluribus continuandi sive per aliquod tempus gignendi, sed potius ex libera animæ electione occasionem arripit non solum eam continuate gignendi, & hoc pacto clariorem efficiendi, verum etiam continuandi impressiones cerebri, quæ secundum leges motuum alioquin cessarent, & eas magis magisque confirmandi. Quamobrem hæ ideæ ab initio quidem originem ducunt ab impressionibus cerebri, sed deinde & ipsæ sunt caussa occasionalis firmiorum atque diutius durantium cerebri impressionum. Et revera præscindendi & abstrahendi facultas quomodocumque explicetur, a sensibus proxime pendere non potest. Nam experimentis compertum fit eam esse facultatem, qua anima in objecto, quod per sensus ideam & sensationem ex multis coalitam excitat, unam potius ideam ex pluribus arctissime copulatis sibi contemplandam proponit, tametsi aliæ quoque menti obversentur, quarum rationem non habet §. 115. & seq. Log. Jam vero quod mens in eam potius tamquam in objectum paimarium intendat, oriri non potest ex eo, quod fortior aliqua cerebri impressio eamdem menti fortius & clarius repræsentet. Quo enim ideæ magis abstractæ sunt, & ab iis veluti sejunctæ adjunctis, quæ magis sensus lacessunt, uti sunt ideæ substantiæ & entis, eo minorem in cerebro impressionem faciunt, ut patet. Nihilotamen minus Philosophi mens sibi easdem tamquam primarium suæ contemplationis objectum sine difficultate proponit. Nec aliquis confugiat ad habitum, quem eadem acquisivit. Nam §. 39. pluribus docui facilitatem illam, quæ in mente Philosophi est, non vero in hominum vulgi, transeundi ab ideis singularibus & prorsus determinatis ad uni-

universales atque indeterminatas, simul ac aut quædam res, aut aliquis terminus in sensus incurrit, a cerebri impressionibus, quæ solas ideas singulares & determinatas excitant; pendere & proficisci non posse, sed vere in anima reperiri, & ab eadem suismet viribus comparari. Ergo hæ universales & abstractæ ideæ proxime non oriuntur a sensationibus, sed ab animæ facultate attendendi ad easdem, quæ idcirco proxima erit occasionalis caussa, cur illæ ideæ ad quas contemplandas se dirigit, continuate a Deo creentur, sive conserventur, & idcirco etiam vestigia in cerebro iis respondentia diutius & fortius imprimantur.

17. Rebus ita compositis facile est respondere ad argumenta Helvetii & aliorum ejusdem sententiæ. Duo siquidem mihi ostendenda adversus eosdem propono, alterum omnes mentis operationes idem non esse ac sentire, alterum autem, etsi demus judicare idem esse ac sentire, non tamen inde consequi animam esse extensam atque corpoream. Quod ad primum attinet, jam confecimus in Logica §. 217. eos assensus, quos damus propositionibus non evidentibus, utpote liberos, a sensationibus, quæ necessariæ sunt, & ubi in anima exsistunt, necessario operantur, idem non esse ac sentire. Scio quid ab Helvetio responderi posset, animæ libertatem in appetendo esse inane commentum, omnesque ipsius operationes necessitatis lege teneri. Verum præter ea, quæ ad animæ libertatem sartamtectam defendendam supra disseruimus, & in Theologia Naturali accuratius disseremus, hoc ipsum est quod maxime evertit tam falsam Helvetii sententiam. Illa siquidem facultas, qua potest anima Philosophiæ meditationibus assueta se ad ideas maxime abstractas & sensum minima vi afficientes convertere, certo certius ob supra allatam rationem a sensationibus saltem proxime minime pendet. Quam vero innumerabiles ideæ ab hujusmodi facultate in singulis disciplinis proficiscuntur? Ergo etsi hujusmodi abstractæ notiones, quod attinet ad substantiam, sint eædem illæ, quæ per sensus in animam illabuntur §. 115. Log. tamen quod attinet ad modum, quo in anima exsistunt, & ad varias rationes, quibus ab animæ vi attendendi & reflectendi inter se conjunguntur, ab iisdem diversæ sunt, & ab internis animæ facultatibus pendent. Atque ut maneam in exemplo, quod hac in re fuit allatum a Lochio, nonne multa corpora artificialia, ut horologium, ab hominum viribus proxime oriuntur, quia quamvis homines nullum novum corpusculum, quod ad substantiam attinet, gignere possint, ea tamen, quæ a natura genita sunt, variis multisque modis disponere queunt, & hoc pacto formant corpora artificialia saltem quod pertinet ad rationem, qua partes dispositæ sunt, multum diversa ab iis, quæ natura progignit? Res in anima similiter accidit, quæ sua virtute nullas quidem novas ideas absolutas gignere potest, eas tamen quæ per impressiones cerebri tamquam per caussas occasionales in eadem fuere a Deo creatæ, aliter aliterque disponere ac conjungere quit, & hac ratione novum idearum penu sua sibi virtute a sensationibus valde diversa comparare. Ex quibus compertum fit non omnes mentis operationes sensationibus contineri.

18. Quod vero defendit Helvetius de judiciis ac ratiociniis, id quidem verum est, si de judiciis necessariis, & simul omnino singularibus & determinatis agamus, non autem si de liberis, aut de universalibus. Nam libera, quæ de propositionibus obscuris proferuntur, requirunt liberam animæ electionem,

qua

qua se ad hanc potius partem determinat, quam ad contrariam §.217. Log. universalia vero eam animæ facultatem, unde ideæ abstractæ proxime ducunt originem. Atque in hoc positum esse discrimen inter judicia & ratiocina belluarum, interque similes actiones hominum jam supra docuimus §.35. n.4. quod belluæ destitutæ vi præscindendi solas habent ideas singulares atque determinatas, & idcirco solum quod attinet ad ideas singulares aut eliciunt judicium simplex, quo cognoscunt A esse in B, quod dicitur simpliciter judicare, aut compositum, quo, cum videant A esse in B, & B in C, percipiunt quoque idem A esse in C, quod ratiocinari appellatur. Eadem utimur distinctione in memoriæ negotio. Nam alia est memoria sensitiva rerumque omnino singularium quæ per sensus ante in animam ingressæ sunt, alia est rationalis & idearum universalium. Primam esse diminutam quamdam sensationem a sola renovatione vestigiorum cerebri pendentem patet ex iis, quæ in antecessum disputavimus §. 10. Hanc vero præter cerebri impressiones postulare quasdam alias animæ facultates, a quibus ideæ abstractæ proxime pendent, fit compertum ex iis, quæ paulo ante & §.36. & seq. disseruimus. Ex quibus efficitur nullum esse momentum in iis, quæ ad suam & aliorum sententiam defendendam Helvetius in medium produxit.

19. Ceterum etsi daremus omnes animæ operationes, ipsum quoque judicium ac ratiocinium esse idem ac sentire, non inde tamen consequeretur, quod ille contendit, animam esse extensam ac materialem. Siquidem iis rationibus, quæ persuadere & cogere possunt, in antecessum docuimus §. 110. & seq. nullam omnino sensationem in substantiam extensam & materialem cadere posse, & ipsosmet Peripateticos inscios atque imprudentes impiis dedisse ansam defendendi animam humanam esse posse extensam atque corpoream, eoquod belluis sine ulla substantia immateriali & incorporea veras sensationes tribuerunt §. 112.

20. Quamvis autem hac ratione efficiatur etiam animam belluarum esse expertem corporis atque materiæ, tamen non inde sequitur, quod Helvetius contendit, eam esse ejusdem naturæ atque humana est, & alteram ab altera sola organorum majori perfectione differre. Nam §.35. n.3. jam ostendimus in psittacis aliisque feris esse organa vocabulis proferendis maxime accommodata, quorum adminiculo præsertim homines usum rationis paulatim acquirunt §. *cit.* & nihilominus quantacumque patientia in iis per longum tempus instruendis quis utatur, non posse eosdem ita condocefacere, ut aliquem rationis usum adipiscantur. Flexibilitas autem manuum in singibus aliisque bestiis, & mira in imitandis hominum actionibus dexteritas, qua generis humani infantes linguam patriam addiscunt, itaque sensim comparant rationis usum, satis commonstrant nihil esse momenti in eo discrimine, quod citati auctores inter belluas & homines posuerunt, ut inde rationem elicerent, cur animæ belluarum numquam rationis lumen affulgeat, bene vero humanæ post aliquod tempus, & potius omnino suadent hanc rationem esse petendam ab ipsamet animarum utriusque generis differentia, & ab ipsismet attendendi & comparandi facultatibus, quæ sunt longe præstantiores in animis hominum, quam in animis belluarum §. *cit.* Illud enim quod num. 2. Helvetius in medium producit de perpetuo motu, quo agitantur singes, quique impedimento est quominus sint capaces fastidii, nimis leve est, quam ut refutari mereatur, præser-

tim cum etiam humanæ speciei infantes tametsi eodem motu, ut ipse fatetur, cieantur, nihilotamen minus aliquem in singulos dies progressum facere in usu rationis observentur.

21. Rationem vero ab ipsomet allatam num. 3. propter quam suspicari possumus, esse posse in singulis extensis moleculis sentiendi vim, & in eo positam, quod in iisdem inventa est vis attractrix præter extensionem, soliditatem & impenetrabilitatem, quæ solæ proprietates antea in corporibus cognoscebantur, jam diluimus §. 123. n. 14. & seq. cum rationes Lochii, a quo eam petivit Helvetius, refutaremus. Nam fecimus planum eam vim aliasque omnes vires, quæ in corporibus esse queunt, non esse nisi motrices, quas occasione sumta a corporibus in iisdem Deus generat. A vi autem motrice, qua corpora cieri posse fit manifestum ex iis, quæ §. 97. & seq. Ontol. differuimus, quale argumentum colligi potest ad vires sentiendi & cogitandi, quas toto cœlo a motricibus esse diversas, & in primitivo corpusculo esse nequire jam vidimus §. 111. & seq.?

22. Restat ut examinemus auctoris principium de evidentia & verisimilitudine, quo suadere conatur quæstionem de animæ immaterialitate atque immortalitate solum verisimilibus in utramque partem rationibus posse tractari. Do quidem homini nihil esse aliud alio verius, sed ajo duas esse veritatis etiam evidentis species, alteram qua non solum perspicue, verum etiam proxime nosco prædicatum A esse in B, adeout opus non habeam alterius prædicati cognitione, ut in hoc principio *totum est majus sua parte*, alteram autem qua perspicue quidem nosco prædicatum A esse in C, sed non proxime, verum remote, quia primum nosco A esse in B, & B in C, indeque in cognitionem devenio, quod A est in C §. 53. Log. Hæc autem remota cognitio potest esse in multiplici gradu; nam si cognosco A esse in B, B in C, & ideo A in C, dici potest remota in primo gradu; si nosco A esse in B, B in D, & D in C, & ideo A esse in C, hæc cognitio erit remota in secundo; itaque progrediendo fieri potest remota in quamtumvis maximo gradu. Id vero perpetuo contingit in disciplinis, & præsertim in Geometricis, in quibus ultimæ & intricatiores propositiones sunt evidentes non minus quam prima principia, sed in altiori quodam gradu, iis tamen qui omnes gradus a quibus pendent, clare & distincte perceperunt. Quo posito certo principio, ajo non minus esse mihi evidentem meimetipsius exsistentiam, quam corporum extra me positorum, sed illam esse proxime talem, eo quod cum cognoscam me cognoscere, inde colligo me exsistere, hanc autem solum remote, eoquod primum in cognitionem venio exsistentiæ Dei & ipsius attributorum, & inde certo colligo exstare corpora, quæ circum me stant §. 95. & seq. Log. Quamobrem fallitur auctor, dum putat exsistentiam aliorum corporum minus esse cuilibet certam, quam suimetipsius, eoquod primum aliter esse possit, non vero secundum. Nam est distinguendum inter absolutam Dei potentiam, interque ordinariam, & similiter inter propositiones absolute necessarias, interque illas, quæ solum conditionate sunt hujusmodi. Siquidem inde colligemus, si attendamus solum ad claras corporum extra nos positorum ideas, & ad intimam eorum conscientiam, quam Deus in nobis excitat, non autem ad illud ejusdem attributum, quod in eo positum est ut neminem fallere possit, Deum illa absoluta potentia, qua præditum est, posse in nobis

eas

eas excitare, tametsi corpora in hac rerum universitate non exstent; sin autem ad utrumque attendamus, non posse Deum ulla ratione id efficere. Quod satis est, ut res aliter, ac est, esse nequeat, ideoque ut certissimi simus corpora exstare.

23. Nihil hoc loco respondeo ad ea, quæ adversus animæ libertatem Helvetius differit; hac enim de re mihi integrum servo in Theologia Naturali, quam paulopost aggredior.

CAPUT SEPTIMUM.

De Habitibus.

§. 201. Propositio.

Habitus intellectuales esse proprie in anima sive in ejus facultate intelligente jam docuimus §. 39. iis rationibus, quæ monstrant etiam habitus virtutum in animæ facultate volente reperiri. Confirmatur utraque pars ex eo quod ex altera parte hi habitus repititis actibus comparantur, & ex altera hi actus sunt partim animæ idest cognitiones & appetitiones, & partim corporis idest motiones aut cerebri solius cum agitur de habitibus memoriæ, & virtutum, aut simul alicujus externi corporis membri, ut sunt habitus saltandi, pulsandi instrumenta, loquendi, scribendi, & omnium earum artium quæ corpore exercentur. Ergo ab utraque substantia posse habitum, sive facilitatem vere acquiri dicendum est.

§. 202. Objectio.

Habitus est facilitas quæ restat etiam cessantibus actibus, quibus ea facilitas comparata fuit. Atqui cessantibus cognitionibus & appetitionibus nihil in anima restat præter ipsius essentiam. Ergo nullus in anima habitus vere exsistit. Prob. minor. Si quid restaret, forent vires cognoscendi & appetendi; atqui in nostra sententia, qui volumus non dari vires sine mutationibus inde ortis §. 259. Ont. cessantibus cognitionibus & appetitionibus, cessare debent & vires iis gignendis idoneæ. Ergo &c.

§. 203. Responsio

Dist. maj. Si quid restaret absoluti, restarent vires co. si quid restaret relativi ne. Equidem concedo abeuntibus cognitionibus appetitionibusque nihil in anima restare absoluti, eoquod ex altera parte hoc absolutum non posset esse nisi vis cognoscendi & appetendi, & ex altera ob rationes citato Ontologiæ loco prolatas nulla vis sine respondentibus sibi mutationibus perstare potest. Sed ajo in

in anima, cessantibus ejusdem actibus, remanere aliquod relativum sive dispositionem aliquam a viribus cogitandi & appetendi genitam, in quo habitus sive facilitas eosdem actus denuo ponendi consistit, quemadmodum in corpore nova quædam figura & dispositio partium residua est, postquam cessarunt vires, quæ illam effecerunt.

§. 204. Instantia

Atqui nulla nova saltem interior relatio in anima restare potest. Ergo nulla distinctio. Prob. min. subs. Ut nova interior relatio in anima restet, hæc nova relatio a viribus genita deberet intercedere inter plures animæ partes; atqui inter plures animæ partes nova relatio a viribus genita esse nequit. Ergo &c. Prob. min. Ut hæc nova inter partes relatio a viribus genita exsistat, deberent partes animæ a viribus aliter, ac antea erant, disponi, quemadmodum partes componentes corpus a viribus motricibus aliter disponuntur; atqui non sunt in anima, utpote simplici, hæ plures partes quæ aliter, ac antea erant, disponantur. Ergo &c.

§. 205. Responsio

Dist. min. non sunt in anima plures partes actuales quæ aliter disponantur co. potentiales ne. Nam ut alibi dixi, anima non est veluti punctum geometricum quod est modus, sed est substantia quæ licet non habeat plures actuales partes, habet tamen plures facultates aliqua distinctione minori quam maxima, secretas, quæ a cognitionibus & appetitionibus atque ab earum viribus aliter quam antea erant, disponi & affici possunt: quæ dispositio cum sit aliquod relativum, in anima restare potest etiam corruptis cogitandi & appetendi viribus.

§. 206. Instantia

Atqui licet anima plures habeat partes potentiales, nulla nova interior relatio & dispositio in ea gigni & superesse potest. Ergo nulla dist. Prob. min. sub. Quamvis in corpusculo primitivo sint plures in potentia partes, tamen nulla nova interior relatio & dispositio a viribus motricibus generari potest, nec idcirco iis abeuntibus restare, sed sola exterior ad alia corpuscula, ratione habita quorum novum situm acquirit, eoquod nulla ratione comprimi, & dividi, & variare figuram, densitatem, & magnitudinem potest §. 235. Ont. Ergo similiter tametsi anima plures habeat partes potentiales, nulla interior &c.

§. 207. Responsio

Dist. consequens. Ergo similiter tametsi anima &c. si mutationes

nes animæ forent positæ in sola variatione externi situs, uti sunt mutationes corpusculi co. si mutationes in anima forent internæ ne. Inter mutationes a viribus motricibus in corpusculo genitas, interque illas quæ a viribus cognoscendi & appetendi in anima generantur, est hoc insigne discrimen, quod illæ positæ sunt in sola externa mutatione situs corpusculi, quod viribus cietur motricibus, ratione habita aliorum, ad quæ vel magis, quam antea, accedit, vel a quibus magis discedit, adeo ut si nulla forent præter corpusculum percitum, nec in ipso foret hæc nova exterior relatio. At vires cogitandi & appetendi gignunt in anima mutationes internas, scilicet novas ideas & appetitiones, quæque tales permanerent, etiamsi una tantum anima foret. Ergo quemadmodum vires motrices quia generant solam externam situs ratione habita aliorum corporum novam relationem, etiam cum abeunt, eam in corpusculo relinquunt; ita quia vires cognoscendi & appetendi mutationes animæ internas efficiunt, iisdem cessantibus nova interior relatio & dispositio in anima sit residua necesse est.

§. 208. Instantia

Atqui licet animæ mutationes sint internæ, tamen non magis variari possunt potentiales animæ partes, quam potentiales corpusculi primitivi. Ergo nulla distinctio. Prob. min. sub. est eadem ratio in utrisque. Ergo &c. Prob. ant. Ob id ipsum quod corpusculi partes sunt potentiales, non actuales, aliter disponi nequeunt, nec intestinum habere motum, quo aliter disponantur & ad quem distinctio inter partes realis maxima desideratur §. 228. Ont. atqui hæc ratio desumta a partibus, quæ actu distinctæ non sunt distinctione reali maxima, impedire debet ne partes animæ potentiales sive ipsius facultates aliter disponantur. Ergo &c.

§. 209. Responsio

Dist. min. atqui hæc ratio desumta a partibus quæ distinctione reali maxima distinctæ non sunt, impedire debet ne potentiales animæ partes aliter disponantur, si hæc dispositio motu perficeretur co. si perficeretur mutatione alterius speciei ne. Discrimen est inter mutationes, quæ a viribus motricibus effici possunt in corpusculo, interque illas quæ a viribus cogitandi & appetendi in simplici animæ substantia. Primæ nequeunt esse nisi mutationes figuræ, magnitudinis, & densitatis corpusculi, quæ obtineri non possunt nisi motu singularum corpusculi partium intestino, idest proprio & vario & in omnes plagas directo, qui tam varius motus

tus

tus in partibus distinctione reali minime discretis haberi non potest. Ex quo fit ut interna partium corpusculi dispositio variari non possit, & ideo figura, magnitudo, densitas sint ejusdem substantiales differentiæ. At mutationes in anima genitæ a viribus cogitandi & appetendi sunt toto cœlo diversæ a motu intestino §. 123.n.4.& seq. Unde mirum non est si haberi possint, & animæ facultates intrinsecus variari, tametsi inter eas distinctio realis maxima non intercedat. Hac de caussa quia contactus fit sine ullo motu intestino, diximus in Ontologia §. 80. & seq. corpusculum aliter aliterque posse contingi, & fieri posse ut aliqua ipsius pars potentialis proxime contingatur sine proximo aliarum contactu. Ergo facultates animæ a viribus cogitandi & appetendi aliter ac antequam vires reciperent, disponi possunt, & in hac a viribus relicta dispotione positi sunt habitus sive facilitates cujusdam rei efficiendæ.

§. 120. SCHOLION XVII.

Si res ita foret, nullius esset momenti quam §. 91. attulimus, ratio, ut vires cogitandi & appetendi ad animæ substantiam accidere doceremus, idque a responsionibus adversariorum vindicaremus. Nam si potentiales eædemque ad substantialem animæ essentiam pertinentes partes aliter aliterque ab hisce viribus disponi possunt, fieri quiret quod ibidem fuit objectum, ut vires cogitandi & appetendi sint animæ essentiales, tametsi aliter aliterque affectæ & dispositæ deprehendantur, prout alia atque alia sunt objecta, quæ cognoscuntur atque appetuntur. Sed ut quæ eo loci disseruimus, cum his quantum in re adeo obscura fieri potest, conciliemus, adverto primum in corpusculo nullam situs variationem quæ a viribus motricibus inducitur, esse necessariam, eoquod corpusculum esse quit sine ulla motrice vi, atque idcirco sine ulla variatione situs, quæ solum quæ a viribus effici potest. Ex quo similiter eruo nullum habitum nullamque facultatum animæ dispositionem, quæ a viribus cogitandi & appetendi in anima gignitur, esse animæ necessariam, eoquod anima sine ulla vi ideoque sine ulla dispositione inde profecta ex nostris principiis permanere potest. Hinc autem efficio latum esse discrimen inter sententiam quam ibi confutavi, interque hanc meam. Nam Adversarii volebant, uti aliqua figura in genere & indeterminate est necessaria corpori, nulla tamen determinate, ita semper aliquam ideam & cognitionem animæ necessario inesse, nullam tamen determinate, sed easdem continenter variari. Id vero est quod iisdem non potui assentiri. Nam quod substantiæ per se individuæ & simplici jam exsistenti & determinatæ ita necessarium est, ut neque per divinam omnipotentiam omnino abesse queat, non potest solum in sensu indeterminato esse necessarium, propterea quod etsi substantia antequam exsistat, percipi possit tamquam apta ut vel cum hac, vel cum illa differentia substantiali jungatur, tamen cum exsistit, omnia quæ necessario insunt, determinata habere debet §. 111. Log. Quamobrem etsi hic defendamus animam a viribus cogitandi & appetendi posse ita disponi, ut evanescentibus viribus hæ dispositiones

nes in anima perstent, nihilo tamen minus possumus in illa nostra manere sententia, atque in principio, quo innititur, & sustinere nullam neque indeterminate cognitionem & ideam cum animæ substantia necessario cohærere.

2. At enim priusquam anima viribus cogitandi & appetendi pulsaretur, ipsius facultates erant aliquo modo affectæ & dispositæ, & nihilominus a viribus iisdem aliter afficiuntur ac disponuntur. Ergo aliquis ex hisce modis foret indeterminate necessarius, nullus tamen determinate, contraquam volumus. Verum ajo, priusquam anima viribus hisce cieatur, nullo eamdem affici & disponi ex iis modis qui a viribus cogitandi & appetendi inducuntur, propterea quod nullam adhuc habet facilitatem cujusdam rei efficiendæ, sed solum affici modo diversi generis, ut corpus antequam viribus pellatur motricibus, est quidem aliquo modo, sed diverso a quolibet ex iis, qui a viribus efficiuntur, idest nullam habet alicujus ex pluribus intensionibus & directionibus velocitatum, sed tantum cujuscumque velocitatis negationem.

3. His ita constitutis examinandæ sunt aliæ difficultates, quibus hæc habituum in anima residentium doctrina premi potest. Nam objicitur 1. hosce habitus esse inexplicabiles qualitates; intelligi enim non potest quid sit illa dispositio a viribus cogitandi & appetendi in anima relicta: 2. non posse intelligi aut explicari qua ratione hæc dispositio reddere possit facilius exercitium quarumdam actionum mentis & corporis: 3. supervacaneos videri, quia facilitates acquisitæ a spiritibus animalibus renovandi quasdam nervorum cerebri solius aut etiam aliarum corporis partium impressiones satis esse possunt ad explicandas facilitates ab anima acquisitas in ideis & appetitibus formandis, præsertim cum ex nostro systemate ideæ & appetitus ab anima proxime non eliciantur, sed ab ipsomet Deo proxime creentur.

4. Fateor clare non intelligi quid sint hujusmodi habitus & dispositiones in anima relictæ a viribus cogitandi & appetendi. Sed aliqua ratione explicari possunt iis, quæ in corporibus usuveniunt, atque in nostros sensus magis incurrunt: si enim corpus ex aspero & irregularis figuræ fiat levigatissimum & rotundum, omnes percipiunt ab illo ope virium, a quibus ea figura & lævitas inducta fuit, acquisitam fuisse quamdam facilitatem, quam antea non habebat, percurrendi planum simul ac vi super eo pellatur. Aliquid simile in anima usuvenire putandum est, tametsi non cognoscamus quid sit. Hoc tamen non vetat, quominus in certam veniamus habituum cognitionem, si modo eosdem habitus in anima esse certis observationibus & rationibus inde conclusis, teneamus, quemadmodum nos id tenere colligi potest ex iis, quæ paulo ante & §. 39. disputavimus. Ex quibus liquet etiam quid alteri difficultati sit respondendum. Quod attinet ad tertiam, constat ex citato §. 39. quosdam esse habitus, qui a vestigiis & impressionibus cerebri pendere non possunt, itaque fieri ut necessarii sint habitus, qui etiam in mente resideant. Quamvis autem substantia actionum mentis a Deo proxime efficiatur, tamen illarum directio est in animæ potestate. Circa id vero potissimum anima facilitates acquirit. Ergo ex hac mea doctrina necessitatis divinæ actionis in cognitionibus & appetitibus efficiendis nihil colligi potest, quod efficiat habitus atque facilitates ab anima comparari non posse.

5. Sed hæc hactenus de loco tam obscuro & difficili, in quem ingressi sumus, ut communem Theologorum sententiam circa habitus virtutum Theolo-

galium fartam tectam defenderemus, & cum naturali ratione, quantum fieri posset, conciliaremus. Qua de re consule quæ §.199. n.15.& seq. differuimus. Nunc antequam Psychologiæ finem imponam, unum addo. Inter habitus exercitio acquisitos esse usum rationis patet ex eo, quod est facilitas acquisita ab hominibus usu communi loquendi, qua suas cognitiones, sive ideas, judicia & ratiocinia dirigere facile possunt secundum regulas Dialecticæ ex aliqua parte notæ omnibus, qui lumine rationis utuntur. Quare si quis ab aliis non discat rationem qua suas cognitiones dirigat, eum puto numquam rationis usu potiturum. Ex historiis a Wolphio relatis id comprobavimus de homine qui solus fuerat in sylvis nutritus; ex historia vero Academiæ Parisiensis de surdo & muto inter homines educato. Vrrum puto fore ut idem eveniat, si plures infantes nec surdi, nec muti simul adolescant; eoquod nullo adhibito præceptore, nullisque astricti legibus cogitandi quosdam quidem habitus acquirerent transeundi ab aliis ad alias cognitiones, sed inter se valde disjunctas, prout occasio ferret, & non dissimiles iis, quibus in somniis pulsamur. Inde eruitur necessitas educationis & servandæ alicujus inter homines societatis; qua de re ex professo tractatur in scientia de jure Naturæ & Gentium.

F I N I S.

E R-

ERRORES	CORRIGE

EX PRÆFATIONE.

Pag. IX. lin. 17. Naturalis	Naturali
lin. 25. sit	fit

EX OPERE.

Pag. 15. l. 12. post summum	post somnum
15. l. 36. sancium	saucium
21 l. 35. canscia	conscia
48. l. 1. uaturam	naturam
ead. pag. l. pen. redarguntur	redarguuntur
49. l. 14. solam	solum
52. l. 8. voloris	valoris
53. l. 2. da aliis	de aliis
66. l. 2. revertr	revertor
66. l. 10. yeus	yeux
69. l. 26. esse	esse
77. l. 30. conditionalæ	conditionatæ
90. l. 7. erat	erant
93. l.31.omittantur verba *Deus potest &c.* usque ad verba *Prob. ant.* lin. 35.	
99. l. 26. in alius	in aliam
101. l. 37. imagnes	imagines
103. l. 14. in psis	in ipsis
107. l. 41. materialitas	materialistas
ead. pag. & l. exeeusum	extensum
110. l. 23. uume	suum
ead. pag. l. 24. saut xpultricium	aut expultricium
125. l. 15. directione	directionem
132. l. 32. cettis	certis
135. l. ult. existens	existence
153. l. 13. conjunctum	conjunctam
154. l. 1. fieri	fini
ead. pag. l. 41. consurfus	concursus
156. l. 10. necessarium	necessariam
167. l. 21. aliarumque	aliorumque
176. l. 15. impressi	impressis
179. l. 25. actu	aut
ead. pag. l. ult. vites	vices
188. l. 3. ne	nec
191. l. 11. an imis	animis
199. l. 29. motum	motuum
ead. pag. l. 37. posse	non posse
ead. pag. l. penult. ant	aut
ead. pag. l. 28. con	non
ead. pag. l. 30. num	cum
211. l. 17. retima	retina
221. l. 3. re ipsa	ne ipse
ead. pag. l. 11. posser	posset
224. l. 17. Demouriteorum	Democriteorum
230. l. 16. ad ideis	ab ideis
237. l. 11. & vires	vires
28. quæ solum quæ a viribus	quæ solum a viribus

NOI

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto, per la fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. Angelo Tommaso Gattelli Inquisitor Generale del Sant' Offizio di Brescia nel Libro intitolato: *Elementa Logicæ, Ontologiæ, Psychologiæ ac Theologiæ Naturalis Tom. tertius continens Psychologiam, auctore Joanne Baptista Scarella Cl. Reg.* non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente, per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo licenza a Giammaria Rizzardi Stampator di Brescia, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe; e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 11. Maggio 1762.

[*Marco Foscarini Cav. Proc. Rif.*
[*Alvise Mocenigo 4.° Cav. Proc. Rif.*
[*Polo Renier Rif.*

Registrato in Libro a carte 131. al num. 608.

Giacomo Zuccato Segret.